20. a. 1. 4.

Nº 1
12-2973

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 32
Tabla
Número 1

CIVITATES
STATVS ECCLESIASTICI

B-10559

THEATRVM CIVITATVM ET ADMIRANDORVM ITALIÆ,

Ad ævi veteris & præsentis temporis faciem expressum

à

IOANNE BLAEV, G. F.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA



AMSTELÆDAMI,
Typis IOANNIS BLAEV,
MDCLXIII.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

LECTOR BENEVOLE,

Quodnam ſit noſtrum in hoc Theatro inſtitutum, ex Præfatione poſt Dedicationem immediatè ſequenti, comperies.

BEATISSIMI

PATRIS

ALEXANDRI

SEPTIMI,

PONTIFICIS

MAXIMI,

PEDIBVS

HOC VNIVERSVM

CIVITATVM

ET

ADMIRANDORVM

ITALIÆ

THEATRVM

SVMMA VENERATIONE

ADVOLVIT

IOANNES BLAEV,

GVILIELMI FILIVS,

AMSTELÆDAMENSIS.

PRIVILEGIVM

CÆSAREVM.

LEOPOLDVS,
Divina favente clementia, Electus Romanorum Imperator Semper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex: Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ; Comes Tyrolis, &c.

Agnoſcimus, & notum facimus tenore præſentium, Vniverſis, quod, cum Nobis fidelis & dilectus Ioannes Blaeu, Bibliopola Amſteldamenſis, humillime expoſuerit, ſe opus quoddam egregium in ſingulare rei librariæ beneficium ac ornamentum ſuis ſumptibus typo in publicum edere conſtituiſſe, Theatrum ſcilicet Civitatum & Admirandorum Italiæ, ad ævi veteris & præſentis temporis faciem expreſſum, idque in duas diviſum partes, quarum prior Civitates deſcribat, & hæc rurſum diviſa ſit in ſectiones quinque, quarum prima contineat Civitates Status Eccleſiaſtici; Secunda, Status Regis Catholici, ut ſunt Regnum Neapolitanum, Sicilia, Mediolanenſis Ducatus, aliique; Tertia deſcribat Magni Ducatus Etruriæ Civitates; Quarta, Mantuam, Mutinam, & Rhegium, Parmam & Placentiam, Venetias & ditiones ſubditas, Genuam, Lucam; Quinta, Pedemontium & Sabaudiam; Poſterior vero pars Admiranda Vrbis Romæ deſcribat, ſubdiviſa itidem in Sectiones quinque; quarum prima ea loca deſcribat, in quibus ludi & ſpectacula populo exhibeantur, ut ſunt Circi, eorumque ornamenta, Obeliſci, Theatra, Amphitheatra, Naumachiæ; Secunda ſit de ædificiis publicis, qualia ſunt Templa, Sepulchra, Fora, Porticus, Baſilicæ, Thermæ, Balnea, Aquæductus, Fontes; Tertia Privatorum Palatia; Quarta Triumphos, Columnas, Arcus Triumphales; Quinta Statuas exhibeat: demiſſe Nobis proindè ſupplicando, quatenus impreſſorio Noſtro Cæſareo tam excellentem hancce ipſius operis editionem ad ſexennium condecorare benigne clementerque dignaremur. Nos itaque, attento hoc ſupplicantis laudabili in rem librariam ſtudio, ejuſdem precibus annuendum duxerimus: quemadmodum per præſentes annuimus, atque adeo omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, & aliis quibuſcunque librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus ac vetamus, ne quis prædictum opus per ſex annorum ſpatium, à prima editionis die computandum, intra Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Noſtrorum hæredita-

riorum fines, ſimili, aut alio quovis typo vel forma, ſive in toto, ſive in parte recudere, alio recudendum dare, vel alibi impreſſum vendere & diſtrahere citra voluntatem, & abſque præſcitu prædicti Ioannis Blaeu, clam aut palam quovis modo præſumat; ſi quis verò ſecus faciendo Privilegium & interdictum hoc Noſtrum Cæſareum ſpernere, negligere, aut transgredi auſus fuerit, eum non modo hujusmodi Operis perperam quippe recuſo & adducto de facto privandum, ſed & pœna inſuper decem marcarum auri puri Fiſco Noſtro Cæſareo fraudis vindici pendenda, omni ſpe veniæ ſublata, decernimus mulctandum; dummodo tamen prædictum opus Authoritati Noſtræ Cæſareæ, Sacrique Romani Imperii juribus ac conſtitutionibus, & alias bonis moribus contrarii quidpiam non contineat, hujusque Noſtri Privilegii Cæſarei tenorem, pro omnium notitia in fronte impreſſum exhibeat; & cum negotiationem ſuam librariam in hac Civitate Noſtra Viennenſi exerceat, quaterna exemplaria ad Cancellariam Noſtram Imperialem Aulicam immediatè conſignet. Mandamus itaque univerſis Noſtris & Sacri Imperii Regnorumque & Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum ſubditis, cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis aut præeminentiæ exiſtant, tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, præſertim autem iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio, vel ſuperiorum ſuorum nomine, & loci Iuris & Iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quemquam Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum temere & impune transgredi, aut violare patiantur; quin potius contumaces quos compererint, præſcripta pœna mulctari, aliisque modis coërceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam evitare voluerint. Harum teſtimonio litterarum manu Noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum. Quæ dabantur in Civitate Noſtra Viennæ, die vigeſima ſecunda menſis Februarii, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo tertio, Regnorum Noſtrorum Romani quinto, Hungarici octavo, Bohemici vero ſeptimo.

LEOPOLDVS.

V[t]. WILDERICVS BARO DE WALDERDORF.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium,

J. WALDERODE.

CIVITATUM

ET

ADMIRANDORUM ITALIÆ

PARS PRIMA.



AMSTELÆDAMI,

Typis IOANNIS BLAEV,

M DC LXIII.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

AD
LECTOREM,
De hujus Operis instituto.

BENEVOLE LECTOR,

Cum ante aliquot annos Belgicæ Vrbes in Theatrum producerem, Italiæ quoque me exhibiturum promisi; distuli tamen hucusque promissa, non quod eorum essem immemor, sed quo magis absolutum & locuples foret opus; nec spes mea me fefellit; nam interim dum debito me liberare studeo, in tantam molem accrevit operis materia, ut pristino ab instituto quodammodo recedere debuerim. Promiseram enim duo Volumina, quorum primum Italiæ Civitates, alterum Vrbis Admiranda contineret, iisque totum opus absolvere erat animus. Nunc vero illud in duas quidem Partes, sed plura volumina distribuere coactus sum; illarum partium alterâ Civitates, alterâ Vrbis admiranda describuntur; partes illas rursus in Sectiones suas divido. Primæ partis Sectio prima eas habet Civitates quæ Ecclesiam Romanam agnoscunt dominam, & integrum volumen sibi vindicat; secundam Sectionem, quæ & volumen secundum, Regis Catholici in Italia Status postulant: tertiam Magnus Dux Etruriæ, quartam Lombardiæ Principes, & Respublicæ Veneta, Genuensis & Lucensis suis exornatam cernent civitatibus, nisi Principes illi plures interea mihi subministrent subjectarum sibi civitatum delineationes ac descriptiones. Postrema Sectio in Serenissimi Ducis Sabaudiæ locis, tam in Italia quam Sabaudia sitis, versabitur; quorum amplissimam mihi Magnanimi Principis

a libe-

liberalitas jam præbuit ſegetem. Secundæ parti, quam memoravi Admiranda Vrbis continere, ſuas quoque tribuere ſectiones haud potui evitare: Loca, quæ ludis ſpectaculisque populo exhibendis fuere dicata, in prima Sectione, quam nunc ſimul cum prima primæ partis offero, deſcribenda duxi; tum quod inter publica Vrbis ædificia antiquiſſima eſſent & pulcherrima; tum etiam quod populo adeo fuerint in deliciis, ut panem ad victum, & voluptatem è ludis Circenſibus tantummodo exoptaret. Hujus partis Sectio Secunda ob oculos ponet ædificia publica, Religionis, Reipublicæ, negotiationis, vel delectationis gratia conſtructa, cujusmodi fuere, Templa, Sepulchra, Fora, Porticus, Baſilicæ, Thermæ, Balnea, Aquæductus, Fontes, &c. Palatia privatorum figurabit Tertia; Quarta, de Triumphis, Columnis, & Arcubus triumphalibus aget; Quinta & poſtrema, Statuas in theatrum ducet: adeo ut nihil eorum, quæ Romæ admiratione digna fuerunt, ac quorum aliquid ſaltem conſequi potui, deſiderabis. Sed priusquam te valere jubeam, illud ſcias velim; maxime mihi adfuiſſe virorum quorundam eruditorum favorem, non ſolum in corradendis undique accuratis hiſce Civitatum delineationibus, ſed & earundem deſcriptionibus; inter quos primum meretur locum Carolus Emanuel Vizzanius, qui quidem, dum viveret, filios meos Romæ non vulgari benevolentia eſt proſecutus, quam poſt illorum in patriam reditum pluribus argumentis data occaſione etiam in me accumulavit. Hic eſt ille Vizzanius, qui generis nobilitate conſpicuus, ſcriptis clarus, Advocatus Conſiſtorialis, atque ob multifariam eruditionem ad Aſſeſſoris in Sancto Officio dignitatem evectus eſt, & cujus operâ pleraque conſequutum me fateor; in primis ab Illuſtriſſimo Senatu Bononienſi accuratiſſimam Bono-

niæ

niæ & delineationem, & descriptionem. Ab Innocentio à Comitibus, Generali Ecclesiæ Romanæ Campi Magistro, & Summo militarium operum Præfecto, Ferrariam, Vrbinum, Pisaurum, Centum Cellas, aliaque: qui & plura contribuisset, sed, heu! tantum nobis bonum Parcæ inviderunt! ab Antonio Rota, Asculi Piceni. Eugubii, à Vincentio Armanni. Interamnii, à Francisco Simonetta. quorum nomina honoris & laudis gratia potissimum adfero, tum etiam ut aliis stimulos addam hæc studia promovendi, tum vel maxime ne tam vanus videar, ut ex aliorum laboribus gloriam mihi dari velim. Ignosce tu, quisquis ea perlegis, si alicubi erraverim, vel curam meam haud satis pervigilem aliquid effugerit; & fave conatibus meis: atque ita me vel sumtuum vel laboris, quos tibi inserviendo indefessus impendam, magnitudo ab executione promissorum meorum nunquam deterrebit. Vale & fruere. Ex Musæo meo Typographico, ipsis Kal. Novembr. MDCLXII.

Tuus

IOAN. BLAEV.

- THEATRVM hoc dividitur in partes duas, quarum
  - PRIOR Civitates Italiæ describit, & rursum divisa est in Sectiones quinque, harum
    - Prima continet Civitates Status Ecclesiastici.
    - Secunda habebit Status Regis Catholici, ut sunt
      - Regnum Neapolitanum.
      - Sicilia.
      - Mediolanensis Ducatus.
      - Aliique.
    - Tertia describet Magni Ducatus Etruriæ Civitates.
    - Quarta
      - Mantuam.
      - Mutinam & Rhegium.
      - Parmam & Placentiam.
      - Venetias, & ditiones subditas.
      - Genuam.
      - Lucam, &c.
    - Quinta
      - Pedemontium, & Sabaudiam.
  - POSTERIOR Admiranda Vrbis Romæ describit, & subdivisa est itidem in Sectiones quinque, quarum
    - Prima ea loca describit in quibus ludi & spectacula populo exhibebantur, ut sunt
      - Circi, eorumque ornamenta.
      - Obelisci.
      - Theatra.
      - Amphitheatra.
      - Naumachiæ.
    - Secunda erit de Ædificiis publicis, qualia sunt
      - Templa.
      - Sepulchra.
      - Fora.
      - Porticus.
      - Basilicæ.
      - Thermæ.
      - Balnea.
      - Aquæductus.
      - Fontes, &c.
    - Tertia, privatorum Palatia,
    - Quarta
      - Triumphos,
      - Columnas,
      - Arcus Triumphales,
    - Quinta, Statuas exhibebit.

PARTIS PRIMÆ
SECTIO PRIMA,
IN QVA
CIVITATES
STATVS ECCLESIASTICI
DESCRIBVNTVR.

ROMA NOVA.

ROMÆ, quæ, ut cæteræ urbes, ab infimo nata, à pastorum manu condita, Regum, Consulum, Dictatorum, Imperatorum dominatu usa, per varias ædificandi ætates ad Constantini Magni tempora deducta est, hanc novitatis laudem Nazarius tribuit: *Celeberrima quæque Urbis novis operibus enitescunt, nec obsoleta modo per vetustatem redivivo cultu insigniuntur, sed illapsa, quæ antehac magnificentissima putabantur, nunc auri luce fulgentia indecoram majorum parcimoniam prodiderunt.* Itaque NOVAM licebit ab hoc Imperatore ROMAM indigetare, cum tanto Nazarius anteferat hæc nova aut novata omnibus antiquis. Audi Lipsium: *fidem istis Nazarii laudationibus qui fideliter constare putat, ignarus est oratorii moris. Struxisse & instaurasse quædam illum Principem lubens credo; ad veterem artem aut splendorem, da veniam, hodie non credam.* Romam Novam tamen ab eodem Constantino M. jure appellaveris, licet diversissima à Nazario, ut infra dicam, ratione. Byzantium hujus Imperatoris jussu cum instauraretur, ac pene totius orbis (ego Urbis addo) locupletaretur spoliis, sic ut Romam jam exæquaret, Constantinus M. lege latâ, & in lapideam columnam incisâ novam Romam appellari voluit; & PALILIA sive PARILIA à Romulo instituta XI. kal. Maji, qui est dies natalis urbis Romæ à Romulo conditæ, suæ quoque Romæ novæ mille & octoginta quatuor post annis à se instauratæ natalem diem anno Christi 330. XI. Kal. Maji indixit.

Nazar. in orat. ad eund.

Lipsius lib. 3 de magn. Rom. c. 5.

Hubert. Giphanius in suo Indice histor. rer. Romanar.

Sed frustra Urbi æternæ nominis æternitatem novam excitando Romam tollere conatus est: quia Neptunio Homeri vaticinio posteritati Æneæ, à qua orti creduntur Romani, Imperii æternitas promissa fuit. Imperium enim licet ante octingentos & quinquaginta octo annos à Carolo Magno, Leonis III. Pont. Max. auspiciis, ad Germanos translatum sit, tamen ROMANI nomen retinuit: ut poëtico quodam ac veluti fatidico spiritu cecinisse videatur Tibullus:

Georg. Fabricius in sua Roma p. 24.

Roma tuum nomen terris fatale regendis.

Illud tamen in Orientem translata Imperii sede Constantinus M. modica sua laude effecit, ut Byzantium jam novam Romam appellatam, quam æternam Imperii sedem futuram esse credebat, tantum mille annis minus triginta Christianis Imperatoribus retinuerit, & Romam veterem satis adhuc pro majestate Imperii, nisi ipse denudasset, ornatam externarum gentium, Gothorum Vandalorumque direptionibus objecerit. Nam grassante per Italiæ viscera Barbarie, aliisque super alias expugnatis civitatibus, Alaricus Gothorum rex bis Romam anno Christi 408. & 410. obsedit, toties etiam cepit. anno 547. eadem Roma à Totila Gothorum rege direpta Isauris militibus, non multo post tempore à Belisario recuperata, tertio anno sequente in Barbarorum manus reincidit. Contemptu nostrorum Imperatorum etiam quater capta: primum ab Arnulpho Franco, tum ab Othone III. Saxone; deinde ab Henrico IV. item Franco: denique patrum memoria à Carolo V. Fronsbergio, & Borbonio ductoribus. Ut restaurationem toties direptæ, incensæ, eversæ Urbis merito in dubium vocet Paulus Melissus:

Dionys. Petavius in rationario tempor. part. 1. lib. 6. Procop. lib. 3 bel. Goth.

Meliss. de urbib. Italiæ.

De te alti casus, atque ima ruina triumphat;
De te Barbaries rapta trophæa gerit.
Nec spes ulla super fore ut integra vivaque surgas.

Mirum tamen nemini videri debet, quod ab hac translatione Imperii, & quæ hanc insecuta est, eversione Urbis Romam Novam appellare audeam. Roma vetus erat urbium princeps, mundi domina, operum opus, pulcherrima rerum, universi miraculum. Olim suæ potentiæ terminos Orientem, & Occidentem fecit; in annuis reditibus supra centum quinquaginta auri milliones possedit: subditos in Orbe universo supra trecentos hominum milliones complexa est. Iacet illa nunc. At *Roma nova*, etsi prisca illa non major, certe melior;

Roma nova unde dicenda.

Comparatio utriusque Romæ.

Nicol. Vernulæus in differt. oratoria de peregr. in Ital. suscip.

ROMA.
Eminentiss.mo et Reverend.mo
FLAVIO S.R.E. CARD. CHISIO,
LEGATO AVENIONENSI
ALEXANDRI VII. PONT. MAX. NEPOTI,
Hanc VRBIS ROMÆ TYPVM
devotissime offert J. Blaeu.
S.P.Q.R.
S. ANGELO. PIGNA. CAMPIDELLI. TRASTEVERE. REGOLA. S. EUSTACHIO. MONTI. COLONNA. PONTE. RIPA. TRIVIO. PARIONE. CAMPO MARZO. BORGO.
L' INSEGNE DELLI XIIII
Scala modulatoria de passi 1000. che fanno uno miglio Italiano.
200 300 400 500 600 700 800 900 1000
Piede Romano, de quali 5. fanno il Passo.
RIONI O REGIONI DI ROMA.

ſi non cultior, certe ſanctior eſt. Mutatis ſæculis ſuæ in melius fortunæ decora, ſuæ majeſtatis mutavit inſignia. Capitolinis olim arcibus pugnaces aquilæ præſidebant: nunc Vaticanis molibus veneranda præeſt Summorum Pontificum Sanctitas. Illæ terrarum ſpatiis imperabant: hi admirabili clavium ſceptro pertingunt ad cœlum. Felicius oppido Capitolium, ubi Vaticano ſubmittit faſces. Adhæc poſt Gothicas everſiones atque incendia Romani Pontifices plurimi numerantur, qui de reſtituendis excolendiſque Romæ, quam Novam appellito, ædificiis ſuperiore præſertim noſtraque ætate contenderunt: ut nec jam toto Terrarum Orbe quidpiam magnificentius prædicari poſſit; & rediviva Roma Pontificiam Majeſtatem intuendo ſuos olim Auguſtos mirari deſinat, opibus quidem gentium refertos, ſed ferme inhumanos, & Romano externoque ſanguine contaminatos. Sed Roma jam ſolum meminit tam aſperam poteſtatem; quæ duntaxat ex Pontificum principatu æſtimat felicitatem ſuam.

Donatus in Epiſt. dedic. ſuæ Romæ.

In hoc ergo Conſtantino M. (licet ejus in Orientem exceſſu Romana inclinata res ſit) ſumma quædam laus tribuenda videtur, quod Romanos Pontifices opibus augendo, Vrbiſque concedendo imperium univerſæ rei Chriſtianæ conſuluiſſe cenſeri poſſit. Nam poſt id tempus Pontificum in excitandis ad Dei Opt. Max. Divorumque honorem Eccleſiis, fundandiſque in pauperum, ac infirmorum ſolatium hoſpitiis ſtudia exſtitere: profana etiam ædificia ad conſervationem, atque ornamentum Vrbis eoſdem Pontifices habuerunt inſtauratores. Quæ ſingula ante quam perſequar, de Vrbis ſitu, ambitu, montibus ei incluſis, ſubjectiſque vallibus, & campis; item regionibus viiſque in quas diviſa, nonnulla ſunt præmittenda, ac primum de ſitu Vrbis.

Situs. Renatus Moreau in animadverſionibus ad Scholam Salernit.

Strabo lib. 17. refert in condendis urbibus eam cautionem adhibendam, quam in exſtruenda Alexandria Alexandrum magnum tenuiſſe conſtat, ut ſcilicet & commerciis, & aëris proſperitati conſulatur. Civitas laudanda eſt, quæ ad ſolem, & ad ventos bene obverſa aquis bonis utitur. Aquilo ſereniſſimus eſt Europæis; Auſter noxius; Lybicis gentibus ſalutaris. Subſolanus ſaluberrimus Aſianis; Europæis inſalubris. Zephyrus Vaſconibus pernicioſus; Græcis, & Italis tam gratus, tam ſuavis, ut nullum habeas apud Poëtas magis laudatum. quibus præmiſſis ſitus Vrbis noſtræ indagandus.

Georgius Fabricius in ſua Roma p. 22. *Situs Romæ novæ.*

Hodie valles, & campi ex vaſtitate, & ruinis ædificiorum altius quam credi queat exaggerati ſunt. Itaque *Roma nova*, quæ eodem maxima ſui parte quo vetus loco, partim in montibus, partim in vallibus campiſque ſubjectis poſita, qua parte ſui valles, & campos occupat, altior ſit veteri illa neceſſe eſt. Rutilius Gallicanus hoc in ea miratur, quod munitiſſimo loco ſita; nec alpibus ſolum ab omni ſubjecta vi, ſed Apennino defenſa. Lipſius ait mare ei vicinum eſſe ad commoditates, nec expoſitum nimia propinquitate ad pericula claſſium externarum: flumen item opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur; quo maritimi conventus accipiantur. Georg. Fabricius loco ſterili poſitam refert, Auſtro objectam (quem Europæis noxium Strabo ſcribit) & cœli aliquanto gravioris eſſe.

Rutilius in itinerario quod extat.

Ambitus Romæ novæ.

Ambitus Vrbis, qui nunc eſt, XIII. M. paſſus non excedit. In mœnibus circiter trecentas, & ſexaginta turres, multis tamen ex his collapſis, numeravi.

Mœnia.

Muri vetuſtiſſimi è rudi primum lapide quaſi coacervati, quos exſtruxit Tarquinius Priſcus quadratis lapidibus, quorum ſinguli juſtum plauſtri onus complebant: fuere autem è ſaxo Gabino, Albano, Tiburtino & Preneſtino: ea enim ſaxa firmiſſima, & igni impervia. Poſtea facti ſunt latericii, qui adhuc durant. Nam antiqui illi à Gothis Vandaliſque diruti, & effoſſi ſunt. Hos deinde bellorum injuria, aut temporum collapſos Adrianus I. Pontifex impenſis centum aureorum millibus reſtauravit. Eoſdem Nicolaus V. auctore Platina, reſtituit facta acceſſione novorum aggerum ac propugnaculorum. Cum Sergio II. ſedente Saraceni SS. Apoſtolorum Baſilicas expilaſſent, Leo IV. Principis Apoſtolorum Baſilicam muro cingendam decrevit, & quadriennio totum opus abſolvit, & novæ urbi Leoninæ nomen dedit anno ſalutis 850. Vrbanus

banus VIII. longo tempore interjecto validissimis propugnaculis ad nostram artem munivit, & viam Longara vulgo dictam Vrbi inclusit.

Portæ in Cis-Tiberina. Portæ in Cis-Tiberina parte decem numerantur. I. Populi ab adjacente S. Mariæ populi templo, olim Flumentana à vicino Tiberi dicta. Hanc Alexander VII. Pont. Opt. Max. 1656 magnifice restauratam suo gentilitio insigni marmoreo decoravit. II. Pinciana, à palatio Pincii Senatoris; olim Collatina, à Collatia oppido. III. Salaria, à via salaria, olim Quirinalis. IV. Pia, quam sublata veteri Nomentana Pius IV. Pont. exstruxit, & suo de nomine appellavit. V. S. Laurentii, à templo suburbano; olim Tiburtina & Esquilina, à Procopio etiam Preneſtina vocata. VI. Major, ab ædificii magnificentia, propter ductum aquæ Claudiæ, cujus ibi vestigia apparent; olim Lavicana à Plinio, à vetustioribus Raudusculana. VII. S. Ioannis, vel Laterana, à templo Lateranensi; olim Cœlimontana, aliquando Asinaria. Per hanc Alarico duce ingressi Gothi, Vrbem captam diripuerunt, Innocentio I. Pontifice. VIII. Latina; olim Ferentina, ab oppido Hernicorum. IX. S. Sebastiani, à templo, quod extra Vrbem est; olim Capena, & Apia, à via. Per hanc Carolus V. Imp. est ingressus, victor rediens è bello Africano. X. S. Pauli, vel Ostiensis; olim Trigemina.

Portæ in Trans-Tiberina. I. Porta Ripæ vel Vinaria, quod extra eam vina externa, maxime tamen Campana & Thusca vendantur; olim Portuensis, & Navalis dicta. Hanc Innocentius X. à fundamentis erexit. II. S. Pancratii in Ianiculo monte; olim Aurelia, aliquando Trajana. Hanc idem Innocentius excitavit. III. Septimia in eodem monte, olim Fontinalis. Per hanc Fronsbergio & Borbonio ducibus Germania Romam diripuerunt, Clemente VII. Hetrusco, Pontifice Maximo. IV. Vaticana, vel S. Spiritus à Xenodochio adjacente templove vicino nomen habens, circa quam olim Triumphalis porta fuit, quam nullus rusticus intrare poterat. V. Velitum, vulgo de *cavalli leggeri* ab eorundem vicina statione. VI. Pertusa vel S. Peregrini in dorso Vaticani, non longe à stabulis Palatinis. VII. Anglica. VIII. Porta Castelli, per quam apud molem Hadriani sive Castellum S. Angeli in campos iter est.

Colles magnæ Vrbis. Inter Colles ut olim Palatinus à prima Imperii sede in eo constituta, sic nunc Vaticanus ob Petri Principis Apostolorum Basilicam, & Pontificum sedem primatum habet. I. *Vaticanus*, trans Tiberim, olim habitatus non fuit, nec ad Vrbem pertinuit, Scipionis sepulcro spectabilis: postea Othonis II. Imperatoris: nunc vero S. Petri Basilica, item Palatio, hortisque Pontificiis, de quibus infra, clarus atque nobilis est, & ab ortu Tiberim spectat. II. *Ianiculum*, mons Ianicularis Servio dictus ab ortu meridieque Tiberim respicit; etiam mons aureus ab arenis appellatur. III. Cis Tiberim *Capitolinus* vel *Tarpejus*, olim domicilium Deorum dictus, quod tempore regis Tarquinii ultra LX delubra, Ædes sacras, & sacella cum altissimis turribus haberet. Ad meridiem Tiberim; ad occasum Vrbem planam; ab ortu Forum, & montem Palatinum habet: nunc etiam suo Capitolio, ac fano S. Mariæ ara cœli dicto, & palatio ob asservatas in utroque antiquitates studiosis hominibus commendatus. IV. *Palatinus* quondam Romuli sedes, postea Aug. Imp. subterraneis meatibus fere totus pensilis, à nullo habitatus & ruinis deformis; Farnesiorum tamen horto, qui pene solus totum montem Palatinum occupat ob antiquitates inclusas spectabilis est, ad occasum Capitolinum respiciens. V. *Aventinus*, hodie S. Sabinæ, prima Pontificum sedes, ad occasum Tiberim spectat, ab Aventino Albanorum rege dictus; seu (ut alii) ab avibus Remi. VI. *Cœlius* à Septem-trionibus habet Titi amphitheatrum, vulgo Colossum. Nominatus à Cœle quodam Hetruscorum Duce, qui cum Romulo contra Sabinos arma socia conjungens, castra in eo posuit. Hodie à Lateranensi templo, & S. Crucis in Ierusalem celebratur. VII. *Esquilinus* attingit ab ortu Vrbis muros; à meridie, viam Lavicanam, quæ Esquilinum separat à Cœlio monte, quod excubiæ ibi agerentur, primum Excubinus; postea mutata pronunciatione, Exquilinus, & melioris soni gratia Esquilinus; à poëtis Esquilius, litera videlicet de medio

medio ſublata; ut Ovidius 2 Faſtorum.

Monte ſub Eſquilio. ——

In eo viſendæ *S. Mariæ Majoris*, & *S. Petri ad vincula* ſacræ ædes. VIII. *Viminalis* nomen invenit à viminum copia: Iuvenalis Satyra 3. *Eſquilias, dictumque petunt à vimine collem.* In locis incultis, quæ hortos, aut vineta non habent, nunc populi, & ſalicum vimina, & arundines pollicis craſſitudine naſcuntur. In ortum tendens, reſpicit campum Eſquilinum: in meridiem partem fori Romani. IX. *Quirinalis*, noſtro tempore mons Caballus, à gemina Bucephali ab Alexandro M. domiti (ut quibuſdam placet) ſtatua adhuc viſenda à Sixto V. Pont. ante æſtivam Pontificum habitationem erecta his titulis: *Opus Phydiæ*, *Opus Praxitelis*. quæ habitatio magnifica ſane cum Palatio hortiſque Barberinorum hunc montem celebriorem reddit. X. *Collis Hortulorum*, vel (ut Suetonius) Collis Hortorum, Quirinali contiguus. ab hoc monte deſcendebant Candidati magiſtratum à populo petituri. Ab ortu tangit ejuſdem montis Campum; à Septentrione Vrbis mœnia: ab hortis ad noſtra uſque tempora nomen retinuit. Dicitur etiam mons SS. Trinitatis à Cœnobio Minimorum Gallicanæ nationis. In eo palatium & horti M. Ducis Etruriæ.

Præter dictos colles ſunt tres alii minores. I. *Citorius* dictus, etiam citatorius, quia ad eum tribus citabantur ad magiſtratus eligendos. haud procul ab Antonini columna, cui ſuperſtructum Ludoviſiæ gentis palatium novum. II. *Iordanus* in regione Pontis Vrſinorum nobilis palatio. III. *Teſtaceus* inhabitatus, è teſtis, ac fragmentis figulinis congeſtus formam habens cucurbitæ: propinqua ei eſt Porta Oſtienſis, & pyramis Cæſtii, Epulonum Septemviri.

Regiones. Vrbs Roma in Regiones XIV. diviſa fuit. Teſtatur id antiquus lapis in Capitolio ante domum Triumvirum, quos nunc Conſervatores nominant:

IMP. CÆSARI DIVI TRAIANI PATRICI FIL.
DIVI NERVÆ NEPOTI
TRAIANO HADRIANO
AVG. PONTIF. MAXIMO
TRIBVNIC. POTEST. XX.
IMP. II. COS. III. P. P.
MAGIST. VICORVM VRBIS REGIONVM XIIII.

Totidem hodie numero ſunt Sixti V. beneficio, qui Burgi Regionem adjunxit: cum ante ejus Pontificatum XIII. tantum eſſent.

Inſignia Regionum.

I. Regionis montium, tres montes.
II. Trivii, tres gladii.
III. Columnæ, columna.
IV. Campi Martii, luna.
V. Pontis, pons ad caſtellum.
VI. Parionis, gryps.
VII. Harenulæ, cervus.
VIII. Euſtachii, Salvator medius inter duas coronas.
IX. Pineæ, nux pinea.
X. Campitelli, caput draconis.
XI. Angeli, Angelus.
XII. Ripæ, rota.
XIII. Trans-Tiberinæ, caput Leonis.
XIV. Burgi, Leo & Stella in trimontio.

Regiones in vicos, viaſve dividuntur. Suum quæque Regio præfectum tenet, quem vulgari vocabulo, *Capo di Rione* appellant.

Viæ. Viæ intra Vrbem noſtris temporibus plurimæ latæ, ac rectæ antiquas multum excedunt. Priſci enim ſuam Rectam in Campo Martio, herbis duntaxat obſito non ædificiis habuere: una Lata dedit nomen integræ Regioni. Cæteræ flexuoſæ & anguſtæ, ait Tacitus: *Vrbs arctis itineribus, huc, atque illuc flexis atque enormibus vicis.* Cicero in Rullum: *Non optimis viis, anguſtiſſimis ſemitis.* Quod vitium Neronianus ignis poſtea decoxit. Quanquam viarum extra Vrbem magnificentia, quas Priſci Romani plurimas, & plurimo opere ad longiſſima ſpatia muniverunt, erecta in foro Romano Columna, in quam omnes viæ Italiæ ſectæ deſinebant, tot miracula excitaſſe videri poſſint.

Viæ interdum ſemitæ dicuntur, cum anguſtæ ſunt, ut alta ſemita: improprie vero plateæ, ut ab Ælio Spartiano qua vero vehuntur, viæ dicuntur.

Roma vias olim habuit 38, quarum hodie veſtigia non obſcura; de quibus in deſcriptione Romæ Veteris fuſe locutus ſum. In Viis novis, Via Felix, à Sixto V. & Via Pia, à Pio IV. Pontificibus directæ palmam ferunt, ambæ longiſſimæ, atque latiſſimæ. Sequuntur aliæ, quas Sixtus V. recto tramite per Vrbem ſtatuit ſumptuoſe. Reliquæ antiqua

tiqua fere nomina retinent, inter quas Via lata præcipua eſt.

Fora. *Piſcarium*, proxime ædem S. Angeli in Piſcina, & *Olitorium*, inter Capitolium & theatrum Marcelli, dicuntur iis adhuc eſſe locis, ubi fuere antiquitus.

Suarium, & *Boarium*, ubi olim Romanum. Hinc Georg. Fabricius ait: *hanc* (quæ eſt rerum humanarum fragilitas & viciſſitudo) *in foro Romano ſues veneunt*, & *in arce Tarpeja crux hominum nocentum ſupplicio cernitur erecta*.

Piſtorium, unum prope S. Mariam rotundam, alterum in vico Iudæorum, tertium prope S. Laurentium in Damaſo, quartum ad Pontem Ælianum. Conjunctæ fere lanienæ & macella piſtoribus. Commune omnium mercium, & rerum venalium *Forum* in *Campo Agonio* eſt. Cæterum de foris apud Antiquos ad ſplendorem Vrbis, & hominum neceſſitatem factis conſule deſcriptionem *Romæ veteris*.

Tiberis fluvius. Tiberis in Etruria ex monte Apennino, paulo ſupra Arnum oritur, inter ſeptentrionem autem, & occaſum in Vrbem influit: & meridiem verſus apud Oſtiam oppidum, in mare Tyrrhenum oſtio amplo, & proxime deducta foſſa, quæ ibidem efficit inſulam, infertur: propter terram quam radit, flavus, & leni pluvia turbidus fit. *Aqua Tiberina.* Aqua Tiberina in Vrbe venditur, & in fictilibus urceis, aut vaſis lapideis continetur, fitque in eis limpidiſſima, potu amabilis, & abſque corruptione longo tempore pura. Amnis hic impetu celer eſt, & vorticoſus: latitudine ferme quatuor jugerum, *Tiberis auctus.* Dionyſii temporibus. De Tiberis auctu extat libellus Ludovici Gometii: & ad quantam altitudinem excreverit ſunt pluribus in locis indicia lapidibus inciſa. Anno Chriſti 1379, die 9 Novemb. ad tres cubitos crevit. Signum apparet ad S. Mariam ſupra Minervam. Anno 1495, menſe Decembri, Alexandro VI. Pontif. Max. Pontificatus ejus anno tertio, altitudine 13 pedum. Iterum Leone X. Pont. Max. excrevit. Anno 1530. Clementis VII. Hetruſci, anno 7, 8, id. Octob. ſereno cœlo, inopinato Tiberis incremento, tota Roma navigabilis facta eſt, ruptis videlicet Lacus Velini aggeribus. Signum ad S. Euſtachium oſtenditur. Pauli IV. Campani, anno quarto, id. Septemb. adverſo maris curſu Tiberis auctus, duos pontes labefactavit: Ælium, per quem in Caſtellum S. Angeli acceſſus eſt: Palatinum, per quem ad arcem veterem aditus fuit. Templum in Inſula magna ex parte; adjunctum ei cœnobium totum evertit. Anno 1598, 9 Kal. Ianuarii, Clementis VIII. Pontificatus anno ſeptimo, Tiberis extra alveum elatus tantam Vrbi ſtragem dedit, ut nullam poſt hominum memoriam majorem, Pontifice jam triduo *Ferraria*, quam receperat, reduce & ſalvo. At qua erat pietate Beatiſſimus Pater, pro anno ſæculari Sacro Iubilei inſtaurabat omnia, domoſque eluvione everſas exædificandas curabat. De Tiberi hæc breviter ſubjiciam: eum è monte Apennino natum currere milliaria cccc. per urbem ſacram geminari, & facere Inſulam Regioni XIV. ubi duo pontes appellantur: poſt iterum unum effici, per pontem Lepidi, qui nunc à plebe Lapideus dicitur, juxta forum boarium, quod Caci dicitur, tranſeuntem ſuorum turbinum vorticibus, & maritimas naves ſuſcipere, & mediterraneas deducere.

I. Mulvius, vel (ut in antiquis libris Salluſtii) Molvius: non enim Milvius (ut nunc vulgò appellatur) dicendum eſt, quod & Baſilius Zanchus confirmat. *Pontes Tiberini.* Fornices habet magnos quatuor, binos mediocres, totidem parvos. Extra Vrbem ſitus eſt, derivato vocabulo ab Æmilio Scauro conditore, eumque ſemi-dirutum Nicolaum V. Pont. Max. perhibent inſtauraſſe. II. *Ælius*, primus pons, qui influentis in Vrbem, Tiberis ripam conjungit. Ab Ælio Hadriano Imperatore prope ſepulcri ſui molem factus; nunc pons Caſtelli, vel pons S. Angeli. Fornices habet quatuor: longus eſt palmos cccc xxx, à Nicolao V. Pont. reſtauratus. In eo ponte equites aurati creari hodie ſolent. in vicina platea ſupplicia à reis exiguntur. III. *Pons Sixti*, reſtitutus enim eſt à Sixto IV. olim Ianiculenſis, & aliquando pons ruptus. *Georg. Fabricius in ſua Roma pag. 175.* Poſt hunc pontem ſe flumen dividit, & Inſulam circumfluit. IV. *Pons quatuor capitum*, à quadrifronte ſimulacro marmoreo Iani ibi poſito in citeriore ripa. olim Fabricius, è regione theatri Marcelli, inſulam in flumine ſurgentem,

gentem, quæ biremis formam refert, & Lycaonia dicitur, Vrbi conjungit. Insula est longa pass. CCL. lata vero L. Fornices duos ingentes habet. Hunc Paulus tertius corruptum refecit, & restituit. V. Sequitur *Pons S. Bartholomæi*, quondam Cestius, eandem Insulam regioni Trans-Tiberinæ jungit. Forma arcus triumphalis factus, fornice in medio ingenti, & ab utraque parte parvulo. VI. *Pons S. Mariæ Ægyptiacæ*, olim pons Senatorius: quia aquam ex insula duabus partibus cum impetu defluentem accipit, reliquis major fornices habuit sex, pilas quinque: vi autem fluminis abruptus, vulgò ponte Rotto indigetatur. Leguntur & alii duo pontes, qui hodie non sunt; sed eorum in flumine vestigia apparent: *Triumphalis* nimirum, & *Sublicius*. Hujus pilæ quatuor in Tiberi è regione hospitalis S. Spiritus ex aqua eminent: Sed falluntur qui illi annectunt Portam triumphalem. Ille omnium primus fuit, & antiquissimus, hodie vero nullus. factus ab Anco IV. rege è trabibus tabulisque iliceis, unde nomen accepit. Postea ex marmore factus ab Æmilio Lepido marmoratus dictus est. Ex hoc ponte Horatius Cocles Hetruscorum sustinens exercitum, cum Largio, & Herminio pugnavit; sed illis salvis, se in fluvium solus dedit. quam historiam in Turno suo, Italorum duce, effinxit Virgilius.

Insula Tiberina. In medio Tiberi, & media Vrbe, si Tiberis tractum spectes, insula est ab inædificato S. Bartholomæi fano appellata, in quo quatuor columnæ ex Ophite, & porphyreticum labrum, cum tabula ex marmore Pario, qua vix pulchriorem videbis Romæ. De insula jam in pontium enumeratione memini. In ea S. Bartholomæo, & S. Ioanni Colevitæ Sacræ ædes sunt: his Nosocomium adjunctum, illis cœnobium FF. S. Francisci strictioris observantiæ. Nosocomium hoc anno 1656 & 57, grassante per Vrbem pestilentia, cum tota Insula curandis lue contagiosa infectis Romanis habitatoribus peculiariter concessum fuit.

Campi. Campos omnes in veteri Roma recensui, atque descripsi. hic tantum de Campo Martio libet repetere, eique celebriora urbis loca.

Campus Martius. Campi olim in urbe fuerunt planicies vacuæ ab ædificiis, qui aut spectaculorum caussa habebantur, certorumque conventuum; aut usibus civium necessariis addicti erant. Campus igitur Martius dictus, quod Marti dicatus esset. In eo qui triumphum egerant clari viri, mortui cremabantur. In eundem Tribus vocabantur ad comitia, ut novos magistratus crearent in eo loco; quem comitiis dicatum *Septa* vocabant, ornatum picturis, & incrustationibus. In hoc Campo animi caussa ambulabant homines ociosi. Olim fuit locus extra Vrbem; incœpitque ab eo loco, ubi nunc S. Laurentius in Lucina, usque ad pontem Mulvium, secundo ab Vrbe lapide extensus. Nunc pars ejus mœnibus inclusa, & variis ædificiis occupata frequentissime est habitata. Ecclesiarum continet hic Campus magnum numerum, & palatiorum non minorem. Nam Tiberino flumine, monte Capitolino, Palatino, Aventino, Quirinali & Hortulorum septus per ingens spatium se explicat. In eo sunt PP. Societatis Iesu bina Templa splendidissima, alterum nomini IESV, alterum *B. Ignatio* fundatori Societatis sacra. Item *Collegium Romanum*, *Sapientia*, sive Gymnasium publicum, *Pantheon*, vulgò Templum rotundum &c. Palatia habet magni nominis, *D. Marci*, *Burghesiorum*, *Pamphiliorum*, Farnesiorum, & Medicæorum. De aliis Campis Romam veterem consule.

Vicus Iudæorum. Tiberinæ Insulæ in citeriore ripa sive sinistra adjacet Iudæorum vicus, muro, portisque à reliqua Vrbe separatus. Hunc Iudæi magno numero cum in Vrbe essent, à Papa Paulo IV. separatim incolere; & pileum flavi, croceive coloris serico tectum ad Christianorum differentiam portare in capite jussi sunt.

Platea Agonalis. Platea Agonalis olim Campus Agonius; nunc commune forum rerum venalium, & publicæ deambulationi inserviens, Pamphiliorum palatio, & Pamphilico Obelisco ab Innocentio X. Pont. Max. quam maxime hodie celebris redditur. *Obeliscus Pamphilius.* Obeliscus hic præruptis quibusdam velut Apennini anfractibus sustentatus, quatuor partibus præcipuos rivos, non sine magno, sed jucundo in

do in æstivis caloribus fragore ejaculatur: quatuor item lateribus, quatuor gigantæâ magnitudine mares cubito procumbentes, primos orbis terræ fluvios totidem urnis designantes effundunt. hinc ferociore equo è montis cavernâ, inde sitibundo leone erumpentibus. De his vide nostro tractatu de Obeliscis.

Campus Floræ. Campus Floræ spatio non magnus, sed satis celebris. Profestis diebus variæ in eo merces venduntur: Festis autem, præcipuè equi.

Platea Hispanorum. Platea Hispanorum à palatio eorundem, in quo Legatus à rege Catholico residet, dicta, monti Pincio subjacet; exterorum incolarumque deambulationibus ob latitudinem, prospectum atque vicinum fontem ab Vrbano VIII formâ navigii ædificatum celebrata. Reliquæ plateæ Farnesia, quam duo fontes exornant, qui eam æstivo tempore cum sol ad occasum inclinat, ut amœnior sit rhedâ exspaciantibus prohibiti in altum erumpere, inundant. Grimana, sive Barberina, Burchesia, Columnensis, &c. à suis quæque palatiis nominatæ, quia minorum gentium, sint hac brevitate contentæ.

Forum Trajanum. De Foro Trajano in veteri Româ dixi ejusque columnâ Cochlide.

Forum Antoninum. Forum hoc, in quo Antonini columnâ Cochlis erecta est, instar fori Trajani ornatum fuit porticibus, quæ immanibus columnis nitebantur. Cochlidem in medio decrevit erexitque Antonino Pio Senatus post ejus mortem. P. Victor: *Templum D. Antonini cum Cochlide Columnâ, quæ est alta pedes* CLXXV, *habet gradus* CCVI, *& fenestellas* LVI, quam sanè ruinosam, & incendiis ac vetustate undique exesam Sixtus V. Pont. Max. refectis sigillis & basi, atque in summo ex ære D. Pauli: in Trajanâ autem columnâ D. Petri inauratis statuis restituendam curavit. Sed quia templum P. Victor statuit propè Columnam; erat hoc in fine olim ejus fori, ubi grandes adhuc marmoreæ columnæ visuntur cum epistilio, in Platea Petræ, ut dicunt. Quod alii Basilicam, alii Porticum malunt dicere. Rectiùs dixeris templum, ut ostendunt solidi parietes, parsque fornicis, quæ in ædes Romani seminarii obversa est. Exstat porrò in eadem columna insculptum egregii miraculi præclarum monumentum, qua majus annales habere non possunt. Nam, ut Baron. tom. 2 annal. sub anno 146 cum Romani ab ingenti hostium multitudine aliquando ita conclusi fuissent apud Cornutum oppidum in expeditione Marcomannicâ, ut ex locis difficillimis nulla exeundi nec vi, nec arte facultas daretur; atque insuper cùm aliis incommodis, tum maximè siti vexarentur: & M. Aurelius Imp. cum deos suos precatus ab illis non exaudiretur; tunc milites Christiani, quorum magna copia in exercitu erat, flexis genibus ad Deum verum se converterunt: qui mox illos exaudiens, non solùm aquam Romanis, qua reficerentur, immiserit: sed & eodem momento hostes vehementi grandine, igne, & fulminibus consumpserit. Ex admiranda fulminum immissione Christianorum Legio fulminatrix deinde dicta fuit. De columnis hisce vide, alio volumine hujus nostri Theatri.

Area Basilicæ Vaticanæ. Area seu spatiosius illud solum ante D. Petri ædem frontispicio ejus obversum, & Palatium Vaticanum dexterum habens, præterquam quod insigni fonte decoretur, quem Innocentius VIII eduxit, Paulus V perfecit, vastum atque excelsum lapidem quadratum quidem, at sensim gracilescentem atque in acumen quasi desinentem ostentat veteri nomine Obeliscum dictum. De hoc vide in tractatu nostro de Obeliscis.

De Hospitiis. Post in Divorum honorem à Summis Pontificibus aliisque principibus viris excitatas multiformes Ecclesias nihil admirabilius laudeque dignius mihi visum est, quàm tot per totam Vrbem, ut vocantur Hospitalia, non solùm publica omnium, ut amplissimum S. Spiritus, in Campo Vaticano: S. Salvatoris in Cœlio: S. Mariæ de consolatione in Velabro: S. Iacobi de Augustâ, in valle Martiâ: SS. Trinitatis ad pontem Sixti; verùm etiam propriâ singularum civitatum, atque nationum, ut Florentinorum, apud S. Ioannem Baptistam: Germanorum apud S. Mariam de anima: Hispanorum, apud S. Iacobum: Gallorum apud S. Ludovicum: Anglorum apud S. Thomam: Flandrorum propè Turrim Argentinam: Vngarorum

rum prope S. Petrum: Suecorum apud S. Brigidam: Genuensium à Mediadusto Cicadâ conditum apud Ioannen Baptistam prope ripam Tiberis: ut alia omittam, in quibus locis infiniti homines gravibus morbis laborantes, domestici, atque externi, tum curantur, tum etiam aluntur. Ex his Nosocomium S. Spiritus ob immensitatem ædificii & proventuum magnitudinem, descriptionem postulat longiorem.

Hospitale seu Nosocomium S. Spiritus.

Domum hospitalem S. Spiritus nomine in Civitate Leonina Innocentius III. Pont. Max. de gente Comitum erexit; eandem obsoletam ac sordidam ac vetustate penè collapsam usque ad solum diruit, & pulcherrimis ædificiis in meliorem amplioremque formam Sixtus Papa IV. ampliavit, amplissimisque reditibus ditavit, quos annuos ferunt esse septuaginta millium aureorum nummûm, queis peregrini, ægroti, vulgò concepti, orphani, pueri puellæque alerentur. Nobilibus quoque seorsim à promiscuâ plebe loca idonea decentique apparatu attribuit. Tota ædificii moles vastissima est, Nam & ambitu suo templum elegans, & habitationes palatiorum instar diversas complectitur. Habitationem primam tenent quadragenæ circiter nutrices, à quibus expositi lactantur infantes, nutriunturque ad eam ætatem, quâ genius atque indoles cujusque appareat. Secundam occupant pueri, quorum alii ad liberalia studia, alii ad opificia, ut cuique expedit, admoventur. Suntque numero circiter quadringenti. In tertiâ hujus ædificii parte consistit puellarum agmen quingentesimo numero contentum, quas à parentibus desertas nisi hic locus exciperet, fames & rerum omnium egestas conficeret, aut vitæ turpitudo consequeretur. Hæ puellæ secundum regulam monialium Ordinis S. Teclæ diriguntur. Ad hæc amplius centum lecti mundissimè instructi in amplissimâ & picturis, auratisque lucente aulâ sunt collocati, in quibus ægroti quiescunt, & summo studio eorum morbi curantur. Aulæ hujus in medio sub tholo lapideis statuis exornato ara sita est, ut sacrum officium Missæ, licet affixi lectis ægri, audiant. Præter hanc aulam alia quoque hic cubicula reperias ægrotis hominibus de plebe, & alia nobilibus curandis. Huic moli palatium etiam inclusum Commendatoris S. Spiritus, cujus familiares seu domestici nonagesimum forte numerum æquabunt. Templo, de quo supra memini, adjectæ sunt habitationes commodæ religiosis Ordinis S. Spiritus, & sacerdotibus, à quibus sacra peraguntur.

Hospitale SS. Trinitatis ad Pontem Sixti.

Domum SS. Trinitatis ad pontem Sixti Archiconfraternitas ejusdem SS. Trinitatis peregrinantium Romam devotionis causâ esse voluit hospitium, & convalescentium ex morbo recreationis locum, quibus in eo triduò, aut quatriduò, ut firmiores sint, permissum est demorari. Ingens huc toto anni tempore multitudo confluit peregrinorum, inprimisque hebdomada majore, quam sanctam vocant. Ego anno proximè peracti Iubilei uno illîc die cibata duodecim millia peregrinantium ex iis, quibus id observatum fuit, audivi. Qui hebdomadâ majore huc peregrini accedunt, his à nobilibus Romanis, Prælatisque, ab ipsis etiam purpuratis Patribus & pedes lavantur, & cibi ministrantur. Mulieres in hoc ipsum hospitale recipiuntur loco privato, in quo à sui sexus hominibus perofficiose tractantur. Huic domui hospitali contigua est alia apud Tiberim, quam Sixtus V alendis vestiendisque pauperibus condidit ædificium amplissimum & commodissimum, capaxque hominum recipiendorum bis mille, quod censu annuo quindecim millibus scutatorum dotavit; inscriptio hoc loquitur:

SIXTVS V PONT. MAX. PICENVS
PAVPERIBVS PIE ALENDIS, NE PANE, VERBOQVE
CAREANT, MVLTO SVO COEMPTAS ÆRE
HAS ÆDES EXTRVXIT, APTAVIT, AMPLIAVIT,
PERPETVO CENSV DOTAVIT.
ANNO DOM. M D LXXXVII. PONT. II.

Hospitale seu Nosocomium Incurabilium.

Nosocomium Incurabilium haud procul ab eo loco, in quo Augustanum stetit Mausoleum, ex legato Petri Columnæ Cardinalis fundatum, erectumque est. At Cardinalis Antonius Maria Salviatus attributo censu auxit: fabricam curandis feminis, & magnos redditus adjecit. Titulus edocet, hîc solùm incurabilibus morbis infectos recipi,

hucque

hucque (inviti licet) ex aliis hospitalibus traducuntur.

Hospitale Consolationis, quod vocant, annis 1656 & 57, curandis peste infectis fuit deputatum. Templo illud, quod Consolatrici Matri dedicatum est, adjunctum piorum eleemosynæ posuerunt. Montem Pietatis pauperum commodo Clemens VIII instituit. Hîc pignoribus datis egentes sine fœnore argentum ad tempus mutuantur.

De Collegiis. Ad stabiliendam Sedem Apostolicam Romanamque Ecclesiam nihil efficacius potuit excogitari, nihil Pontificum Maximorum munere dignius, quàm tot exterarum nationum in Vrbe, ac toto prope terrarum orbe fundata Collegia.

Collegium, quod Sapientiæ appellatur. Princeps Collegiorum Sapientia est, cui instaurandæ ornandæque Vrbanus Papa V. D. Thomam Aquinatem incomparabili sacrarum disciplinarum scientia præditum Romanam in Vrbem evocavit. Hanc ipsam sapientiæ domum Alexander VI. negligentius cultam deformatamque melioribus auspiciis refecit, tantisque proventibus dotavit, qui facultatum omnium professoribus pro dignitate alendis sufficiant. Ei palatium splendidum à Gregorio XIII. Pont. domicilium Musis, & schola discentium adjectum est, cui præfecti sunt duodecim Consistoriales Advocati. Illud non omittendum, Leonem X. etiam eandem Romanam academiam, quam Sixtus novum vectigal commentus in salaria professorum fundaverat, accitis undique viris doctissimis instaurasse atque auxisse. Quare illius velut auctoris memoria quotannis funebri laudatione, frequenti Principum, Doctorum, Auditorumq; conventu, in ejus aula Gymnasii celebratur.

Seminarium Romanum. Seminarium Romanum post Concilium Tridentinum Pius IV. Pont. Max. instituit collectæ ex tota Italia nobilissimæ juventuti. Paulus V qui ejus curam Cardinalis sapientissimè gesserat, postea evectus ad Pontificatum ædes Romano Seminario coëmptis, quæ ad Templum Antonini fuerant, duabusque majoribus ad idem culmen sublatis amplissimas paravit, quarum Pauli Pontificio stemmate decorata frons: duplicem præterea porticum, Triclinium atque ingentia cubicula adjecit, aulam præsertim, in qua præter alias literarum excercitationes, per Bachanales ferias minora seu comica dramata: rarius autem Latino metro insignes tragœdias habere solet nobilis juventus, non sine Romæ admiratione ac plausu. Idem Paulus magnam locorum amplitudinem, quam præcelsi è laterculo parietes Thermarum Antoniniarum includebant, eidem Seminarianæ juventuti liberaliter indulsit, ut ex Thermis Antoninianis, tanquam è suburbano opportunè commodum caperet. Itaque repurgato, & complanato solo, concisis, sublatisque ruderibus, cum à contentione studiorum & scholis vacant, ad Thermas animi gratia conveniunt, & ibi majoribus pilis, follibusque colludentes sese jucunda exercitatione reficiunt. Vt ex miserabili ruina Antonini moles jam refecta videatur; quod quæ membra abluerat, animos mœrore detergat: nec minus corporum, quam bonam mentis valetudinem ad vitam, sapientiamque propagandam tueatur.

Gregorius XIII. Bonon. Religionis causa Collegii Romani Societatis Iesu amplissimo redditu aucti ad omnes nationes optimis disciplinis erudiendas ære dato extruxit. *Collegium Romanum Societatis Iesu.* Opus sanè si fabricæ amplitudinem ac dignitatem, si universitatem disciplinarum, quæ in eo traduntur, si professorum doctrinam: si attributos redditus: si discipulorum ex eadem Societate ad omnes dein terras commeantium, externorumque multitudinem spectes, non Vrbis, sed universitatis dicas esse collegium, in quo tam variæ nationes una vivunt anima, mente sapiunt, lingua loquuntur. Primum in fundamenta lapidem Pontificio Gregorii nomine jecit Philippus Boncompagnus fratris filius, S. Sixti Cardinalis. Ipso ædificationis initio cum jam surgeret murus, Pontifex fabricæ ipsius structuram præsens inspicere voluit, cumque muri partem vidisset simplici opere constructam, illico deiici jussit, atque opere lateritio & magnifico refici. Tum ædificationem strenue promovit. Biennio post in eam, qua spectatur, formam est perductum. Externa collegii facies latissima è grandi lapideaque corona in medio eminet,

tum

tum celsam extat in turrim: duobus hinc atque hinc supremos cancellos claudentibus acroteriis. Eadem latere cingitur lævigato modo in fascias procurrente, modo retracto & exæquato: angulatis eadem lapidibus Tiburtinis, antarum instar projectis munita, non sine multiplici directoque ordine patentium fenestrarum. Media pars Gregorii simulacrum in loculo ponendum expectat: altiusque imposita ejusdem insignia egregie sculpta ostendit, sub quibus titulus in marmore inscribitur:

GREGORIVS XIII. RELIGIONI
ET BONIS ARTIBVS.

Deorsum ad justam ædificii formam duplex ostium habet, pulcherrimis instructum antepagmentis, & arcuato supercilio quod prothyrides sustinent. Horum unum auditorum quamlibet multitudinem excipit, vestibuloque mittit in atrium gymnasii, & illo exeuntem reddit. Porrò impluvium coctili latere stratum, radiorum instar intercurrentes candidi lapidis patulæ ac perpolitæ glebæ in syderis speciem figurant: tum quaterne ambiunt quadratæque porticus sub quibus depicta videbis celebriora Societatis Iesu per Orbem collegia additis magnificis inscriptionibus singulorum. Porticus hæ nixæ pilis Tiburtini lapidis: è pilis antæ prostant, inferiores Ionici generis: his vero superstantes, Corinthii, quibus epistilia & coronæ incumbunt. Binis scalis se mutuo è regione spectantibus ascensus est ad superiores porticus, quæ lapideis mœnianis cancellatim marginantur ad pulchritudinem simul, & securitatem deambulantium. Cohærent quadrilateris porticibus scholæ: superioribus verò Aula etiam ingens ad publica munia doctrinarum: in qua summa Gregorii effigies ad vivum expicta in solio sedens visitur, purpuratis Patribus ad latera considentibus. Ad ejus pedes alumni accidunt è Romano, alisque collegiis, quæ reliquos circum aulæ parietes picta sunt, & ubique terrarum à Pio Pontifice religionis propagandæ studio constituta. In summo titulus totius nomine Societatis inscriptus est:

GREGORIO XIII. PONT. MAX.
HVIVS COLLEGII FVNDATORI
SOCIETAS IESV AMPLISSIMIS
AB EO PRIVILEGIIS MVNITA,
ET INGENTIBVS AVCTA
BENEFICIIS, IN HOC TOTIVS
ORDINIS SEMINARIO
PARENTIS OPT. MAX.
MEMORIAM, SVIQVE GRATI
ANIMI MONIMENTVM P.

Collegium Germanicum.

Collegium Germanicum Romæ excitata in Germania religionis dissidia peperêre. Nam cùm Germanica gens passim novæ sectæ erroribus implicaretur, Ignatius Loyola conditor Societatis, cui à Iesu nomen est, his malis medicinam cupiens adferre, Ioannem Moronem S. R. E. Cardinalem iis temporibus Apostolicæ Sedis in Germaniâ Legatum, amicum suum monuit, rogavitque ut is Iulio II tum clavum tenenti auctor esset ad tutandam in Germania Catholicam religionem excitandi Seminarii, in quo Germanica, & Hungarica juventus in spem tuendæ, propagandæque fidei educata, domi pridem consignatum exemplar cultus religionum, ac doctrinæ ipsa per sese exprimeret, quod deinde transferret in patriam sordibus hæreticæ improbitatis oppositum. Igitur Iulius Pontifex magnitudinem rei secum expendens Moronis precibus annuit illicò, collegiumque institui cœptum est, quod Summorum Pontificum primò, & Cardinalium sustentatum eleemosynis, Gregorii XIII Germanicæ nationis amantissimi Pontificatus inclytus liberalitate ac magnificentia erexit, is namque Templum S. Apollinaris ædesque ei adjunctas Germanis alumnis habitandas dedit, pensionesque S. Apollinaris Canonicis (quos extingui passus est) dari solitas, multis aureorum millibus annuatim adauctas concessit, voluitque hoc ære centum propagandæ in Germania religioni alumnos, & tredecim è Societate Iesu Patres (penes quos inspectio esset) honestissime sustentari. Plura de his alumnis vide supra in titulo *Templum S. Apollinaris*. Neque hîc Gregorianæ pietatis & magnificentiæ terminus fuit, sed in plerasque sese nationes ultro exse-

exseruit. Nam & *Græcorum* alumnorum Collegium condidit, & *Neophytorum*, & *Anglorum* & *Maronitarum*, *Illyricorumque*, quod Laureti erat, in Vrbem transtulit. Extra Vrbem quæ sequuntur, per Orbem excitavit Collegia, *Viennense* in Austria. *Pragense* in Boëmia. *Gratiense* in Stiria. *Olmucense* in Moravia. *Fuldense* in Hassia, cujus alumnis sæviente bello Germanico Agrippinæ Coloniæ operam rei literariæ navantibus de victu fuit provisum tenuius. Adhæc *Braunsbergense* in Borussia; quo famigeratum Braunsberga est oppidum. *Musipontanum* in Lotharingia. *Vilnense* in Lithuania: *Funaënse Arimaënse* & *Anzuchixamense* in Iapone eundem laudant Pontificem conditorem. Sunt vero & alia ab aliis Pontificiis extructa collegia. *Clementinum* à Clemente VIII Pont. fundatum: *Vrbanum* propagandæ fidei Vrbani VIII sonat magnificentiam, ex quo alumni in varias mundi partes Catholicæ fidei semina dispersum ablegantur.

Hîc typographiam videas Syriacis, Armenis, Græcis, Hebraicis aliisque typis ad orientales omnes linguas excudendas necessariis oppido instructam: item Bibliothecam, qua impressi conduntur libri, quos ex variis nationibus conflati alumni libere possunt suis quique popularibus transmittere. Cardinalitiæ liberalitatis monumenta sunt Collegia ab iisdem fundata.

Spectabilis in purpura Dominicus Capranica Romæ sibi domum extruxit: quam deinde doctrinarum studioso cœtui legavit, eisdemque alendis annuos redditus. Angelus porrò ejus frater à Pio II creatus Cardinalis domum illam incoluit: sed ne jussio Dominici irrita esset, collegium ei conjunctum, quod *Capranicum* appellatur magnificentius ædificavit. *Nardinum* Stephanus Nardinus à Sixto IV dictus Cardinalis alendis ad sapientiam adolescentibus in Parionis regione instituit. *Matthæjorum* Hieronymus Matthæjus Card. quo definitus adolescentium numerus ad bonas artes educatur stabile devotionis suæ monimentum constituit. *Nazarenum* Michaëlis Angeli Tonti liberalitate consistit, qui collegium hoc adolescentium instituit ad discentium bonas artes, quod ab eodem quondam Nazareno Archiepiscopo Nazarenum dicitur. *Hibernorum* Ludovicus Cardinalis Ludovisius fundavit, & PP. Societatis regendum commisit. *Salviatum* Cardinalis Antonius Maria Salviatus instituit constitutis redditibus, in quo ex orphanotrophio, cui ipse aliquando præfuit, delecti adolescentes ad studia literarum alerentur.

De Cœnobiis.

Nosocomiis, quæ miserabilium domus personarum & collegiis, quæ propagatura fidem juventutis gymnasia sunt, succedant creberrima utriusque sexus cœnobia, in quibus præconia Deo nocturna diurnæque preces utrobique assiduè persolvuntur. Verum quamvis raro conjuncta, sed sparsim erecta sint, tot tamen ea sunt, ut si simul collocentur, ex his magna Vrbs statuenda sit: tanti verò ornatus, ut eorum pleraque sufficerent singulis urbibus illustrandis. Quæ omnia si quis complecti velit Elenchum eorum per regiones Vrbis quatuordecim contexat necesse est, quod proposita nobis brevitas dissuadet.

De Electione Roman. Pontificis.

Anno à partu virgineo millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, Ianuario mense mortuo Innocentio Papa X confestim eligendo Pontifici conclavia de more in Palatio Vaticano extrui singula pro singulis Cardinalibus cœpta. Subière autem, quisque suum, sequentes.

Card. Medicæus Decanus Florentinus.
Fr. Barberinus Florentinus.
Spada de Brisichella.
Sacchetti Florentinus.
Ginetti Veliternus.
Capponi Florentinus.
Harrach Germanus.
Ant. Barberinus Florentinus.
Columna Romanus.
Pallotta de Caldarola.
Brancacci Neapolitanus.
Bicchi Senensis.
Carpegna Vrbinas.
Franciotti Lucensis.
Durazzi Genuensis.
Filomarinus Neapolitanus.
Bragadinus Venetus.
Cæsius Romanus.
S. Clementis de Firenzuola.
Montaltus Romanus.
Facchinetti Bononiensis.
Grimaldus Genuensis.

Rossetti Ferrariensis.
Rapaccioli Romanus.
Ceva Pedemontanus.
Giorius Camarinensis.
De Lugo Hispanus.
Ludovisius Bononiensis.
Cibo da Massa di Carrara.
Sabellius Romanus.
Cherubinus de Mont' Albotto.
Astalli Romanus.
Retz Gallus.
Chisius Senensis.
Lomellinus Genuensis.
Homodeus Mediolanensis.
Ottobonus Venetus.
Conradus Ferrariensis.
Imperialis Genuensis.
Borromæus Mediolanensis.
Sanctæ-crucis Romanus.
Albicius de Cesena.
Aquaviva Neapolitanus.
Trivultius Mediolanensis.
Gabrielli Romanus.
Vrsinus Romanus.
Io. Carol. Medicæus Florentinus.
Sforza Romanus.
Odescalcus Comensis.
Widmañ. Venetus.
Raggi Genuensis.
Maidalchinus Viterbiensis.
Hassicus Germanus.
Pius Ferrariensis.
Gualterius Vrbevetanus.
Azzolinus Firmanus.

De la Queva Hispanus, & Sandoval Hispanus, conclave non ingressi, mansêre in Hispaniâ; & Mazarinus Romanus in Galliâ.

Harrach, Durazzi, Filomarinus, & Hassicus intrârunt conclave, jam aliquot diebus obseratum. At verò Trivultius, Spada, Durazzi, Cherubinus, & Gabrielli infirmi exiêre è conclavi; sed tempori in illud rediêrunt.

Caraffa in conclavi extremum vitæ diem octava Mensis Febr. die clausit.

Hic notandum quando dicitur *conclave* additâ pluralitate verbi universam *ædificatorum conclavium* per varias Palatii Vaticani partes, singulis, binis, ternis, quaternis & pluribus conclavibus uno loco extructis, interruptam seriem intelligi.

Verùm ut ordine quodam singula persequar, dicam primò de cæremoniis circa mortuum Pontificem observatis. Defuncto Pontifici novendio Missarum, aliisque sollemnibus parentabatur; ornatum deinde Papalibus indumentis cadaver in S. Petri Basilicam deferebatur; & ne illud confluens multitudo populi contrectaret indecentius, loco clathrato reponebatur, porrectis tantum per clathros ad osculandum sacris pedibus, quos innumeris basiis certatim uterque sexus venerabatur. Interea supplicationes cum apparatu, ac cæremoniis habebantur,& Purpurati Patres ordine composito è Vaticana Basilica in conclave concedebant. Quo obserato Dux Savellius, quod peculiare illud Savellicæ gentis officium esset, ut inclusorum Cardinalium animi malorum impendentium cura vacui, soli vacare possent Pontificiæ electioni, mille, & ducentis armatis ad Vaticanas ædes excubantibus præstabat securitatem. Regionum etiam singularum præfecti alternis vicibus denso agmine militum stipati tutam Sede vacante Vrbem à nocturno tumultu reddebant. Igitur postquam Sedes jam trimestri spacio vacaverat, & diebus octoginta duraverat Conclave; exploratis interea sæpius suffragiis singulorum Cardinalium (quæ non voce ferunt; sed in papyro describunt, obsignantque) tandem Eminentissimus Cardinalis Chisius pluralitate votorum Romanæ Ecclesiæ summus Pontifex impositus est. Quo facto, combustis primum ex more ad invidiam evitandam schedis suffragatorum, Franciscus Cardinalis Barberinus, loco Eminentissimi Decani Medicæi (qui ex podagræ doloribus erat infirmior) Cardinalis Capponi, primus Presbyter, & Card. Trivultius, primus Diaconus prædictum Card. Chisium accessêre, rogantes, num suæ electionem personæ legitime factam, ratam haberet: qui velle se primum Divinum numen consulere, respondit. Et flexo poplite cum orasset, surgens dixit, se acceptare; elegitque sibi nomen Alexandri VII. Actus hujus illico rogati sunt testes Illustrissimi Sacrista, & Cæremoniarum magistri. Porro electus Pontifex à Trivultio, & Gabrielli primis Cardinalibus Diaconis post altare deductus, assumptis ibi Papalibus ornamentis,

tum

tum sella ex holoserico villoso rubri coloris ante aram collocatus, omnes ex ordine Cardinales ad manus, vultusque osculum admisit. Deinde Card. Trivultius, præcedente quodam è magistris cæremoniarum, sacello egressus ad fenestram aulæ (quam novam, & nepotum Pontificiorum appellant) ex qua in D. Petri aream prospectus est, festinavit, acceptamque è manibus Cæremoniarum magistri crucem populo ostendit, & novi electionem Pontificis divulgavit his verbis: *Annuncio vobis gaudium magnum. Papam habemus Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Fabium S. R. E. Cardinalem Chisium, qui elegit sibi nomen Alexandri* VII. Quam publicationem electi Papæ gratulabunda populi acclamatio mox excepit, hoc sono verborum: vivat, vivat Alexander VII! vivat novus Pontifex! vivat gens Chisia! Per idem tempus dato signo consueto explosa in S. Angeli Castro tormenta bellica unico murmure omnes Romanæ Vrbis incolas peractæ electionis certiores reddidere. Ad horum deinde fragorem compulsatæ per Vrbem campanæ, mixto tubarum sonitu, tympanorumque, ac læto scloporum stridore. Interea novus Pontifex comitante sacro Purpuratorum Patrum Senatu è Sacello ad Gabrielli Card. conclave, suo (uti ex more licet) omni supellectile nudato, divertit; & dimisso comitatu caussa quietis capiendæ in lecto paulisper recubuit. Ex eo tempore apertum variis Palatii Vaticani locis Conclave omnibus patuit; confluxitque subito multitudo hominum ingens Conclave perlustrantium, ac magnus Prælatorum, Optimatumque numerus Pontificia observantium cubicula. Admissi haud multo post ad Papalem audientiam Camillus Pamphilius, Ludovisius, Iustinianus aliique Principes, ac Regum exterorum legati. Dum hæc ita agebantur, congregati denuo Cardinales in Sacello deportandum ad se curuli sella Pontificem expectabant. Ingressus illud Pontifex, à Trivultio, & Gabrielli Cardinalibus ornatu, vestituque Pontificio, alba, cingulo, stola, palliolo rubro, mithra atque annulo indutus, in sinistro altaris latere, quod sedere in medio propter reverentiam abnueret, collocatus est. Hic submissis genibus adoraturi Pontificem Cardinales recepti sunt ad osculum pedis, manus orisque. Quibus peractis cæremoniis repositus sedili Pontifex, & è Sacello Palatii per majores gradus ad D. Petri Basilicam delatus Cardinalium collegio præeunte, ac choro musicorum concinente Antiphonam: *Ecce Sacerdos Magnus, &c.* deinde hymnum: *Te Deum Laudamus, &c.* in Sacello Sanctissimæ Eucharistiæ dicato Laudes, & gratias Divinæ Majestati persolvit. Inde conscensa rursum sella ad Apostolorum Petri, & Pauli sepulcrum, atque altare deportatus, sedensque porrectis ex altari pedibus ad adorationem sui osculationemque Cardinales ad unum omnes iterato admisit. Denique ex altari descendens deposita mitra solennem impertiit populo benedictionem; sumptoque miloco bireto holoserico exceptus minori sede ad Vaticanum palatium delatus est.

De Coronatione.

Vndecimo post electionem die Sanctissimus D. Alexander Papa VII. solenni ritu more Prædecessorum suorum coronandus magno Cardinalium, Prælatorum, & Procerum comitatu è Sixtino Palatii Vaticani sacello in aream Basilicæ D. Petri sella curuli deferebatur: ubi erecto ad Portam Sanctam throno collocatus, Canonicos, & reliquum minorem Vaticanæ Basilicæ clerum ad pedis osculum admittens, infinitis circumstantium acclamationibus Pontifex salutatus est. Tum è throno in sellam conscendens, per majorem Basilicæ portam, alias raro patentem non minore majestate, quam reverentia, paternè interim per intervalla benedicens populo, ad Sanctissimæ Eucharistiæ sacellum oraturus Deum accessit. Peracta oratione perbrevi, eodem ordine atque applausu ad Gregorianum sacellum deductus, extructoque ibidem solio repositus, à Cardinalibus, reliquisque Prælatis solitum obedientiæ votum recepit, his genu præbens, illis manum exosculandam. Inde præferentibus tiaras diversas Sacellanis ad Apostolorum sepulcrum, ac altare delatus, accensa interim à Cæremoniarum magistro ternis vicibus stupa mundanæ vanitatis & re, & verbis hisce (*Sancte Pater*

ter sic transit gloria mundi) admonebatur. Vicinum altari Pontificem tres ultimi Cardinales Presbyteri venerabundi excepere. Quibus ille ad vultus osculum, & pectoris admissis, paulisper de genu precatus, iterumque erectus Missæ confessionem exorsus est, hoc ordine: dexter ei Cardinalis Prodecanus, sinisterque Evangelii Diaconus erat, & post eum cæteri Cardinales Diaconi. Interea à Musicorum choro cantari introitus: & finita confessione ad curulem sellam redire Pontifex. Tum à tribus ordine Cardinalibus consuetæ pro Papa ex Cæremoniali orationes legi; levarique Pontifici mithra, & pallium Papale à primo Cardinale Diacono assistente imponi his verbis: *Accipe pallium sanctum plenitudinem Pontificalis officii, ad honorem omnipotentis Dei, & gloriosissimæ Virginis Mariæ ejus Matris, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

Postea Evangelii Diaconus tribus diversis pallii crucibus, tres acus majores, tribus item diversis gemmis in capite seu nodulo micantes affigere; videlicet unam cruci in pectore; in humero dextro alteram, & tertiam in tergo. Sic palliatus, sed sine mithra ad aram redire Pontifex. Resumpta deinde mithra Thronum conscendere, & à Cardinalibus, Prælatisque adorari. Finita adoratione exurgens sine mithra legere introitum: cantataque collecta iterum solio componi. Interea primus Cardinalis Diaconus ferulam manu gestans, una cum Apostolicis subdiaconis, Auditoribus Rotæ, ac Advocatis consistorialibus, aliisque officialibus in duos ordines divisis ad S. Petri Confessionem descendere, dicentique elata voce: *Exaudi Christe &c.* alii respondere: *Domino Nostro Alexandro* VIII. *à Deo decreto summo Pontifici, & universali Papæ, &c.* idque ter repeti; uti & illud à dicto Cardinale: *Salvator mundi, &c.* & à cæteris: *Sancta Maria tu illum adjuva, &c.* Inde Epistola Latina cantari à subdiacono Apostolico, & Græca à subdiacono Græco; tum cæteræ omnes Papali Missæ sacrificio propriæ cæremoniæ accurate observari; quas in Cæremoniali Romano pluribus adnotatas hic brevitatis causa prætermitto. Igitur decantata Missa repositus curuli sella Pontifex iisdem, quibus celebrans, ornamentis retentis bursam ex albo serico, floccis, limbisque aureis ornatam, in eaque viginti quinque Iulios antiquæ summorum Pontificum monetæ porrigente Francisco Cardinale Barberino Vaticanæ Basilicæ Archipresbytero accepit, simulque dictum Pontifici Latino sermone: *Capitulum & Canonici D. Petri consuetum sanctitati vestræ Presbyterium largiuntur pro Missa recte decantata*: redditumque id subito à Papa Cardinali Diacono, qui Evangelium cantaverat. Absolutis tandem sollennibus universis Pontifex prosequente Cardinalium, Prælatorum, atque Officialium magno numero, curuli sella delatus sub umbella, à Conservatoribus Vrbis, & regionum ejus præfectis portata, ad consuetum publicæ benedictionis solarium processit, duobus de more satellitibus prægrandia ad utrumque latus Pontificis flabella deferentibus. Vbi ad solarium ventum est, collocato sublimi solio Pontifice, assistentibus Trivultio, & Gabrielli Cardinalibus cantatus à Musicis versiculus: *Corona aurea super caput ejus, &c.* & recitata à Prodecano Cardinale Francisco Barberino sequens oratio. Omnipotens sempiterne Deus, Dignitas Sacerdotii, & auctor regni, da gratiam, famulo tuo Alexandro Pontifici Ecclesiam tuam fructuose regendi: ut qui tua clementia Pater Regum, & Rector omnium fidelium constituitur, & coronatur; salubri tua dispositione, cuncta bene gubernentur. Per Christum D. N. &c.

Qua lecta oratione Cardinalis Gabrielli mithram Papæ deposuit; & Trivultius Card. tiaram tribus distinctam coronis multisque gemmis fulgentem eidem imposuit, his additis verbis: *Accipe tiaram tribus coronis ornatam, ut scias te esse Patrem Principum, & Regum; Rectorem Orbis; in terra Vicarium Salvatoris nostri Iesu Christi, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.*

Coronatus ad eum modum, ornatusque Pontifex solennem recitans Benedictionem, quæ incipit: *Sancti Apostoli &c.* veniensque ad hæc verba: *Benedictio Dei Patris Omnipotentis, &c.* se erigendo in pedes numerosissimo in S. Petri

area jam ab aliquot horis expectanti populo ter benedixit; à quo infinita quasi vota, acclamationesque recepit. At Papalem benedictionem indulgentiarum largitio seu peccatorum remissio comitabatur, quam Trivultius Card. Latino, & Gabrielli Card. vulgari publicabant sermone.

Inde ad Sixti IV sacellum, seu Capellam Sixtinam reversus Pontifex, & Papali exutus amictu ab Cardinale Capponi nomine Cardinalium universorum congratulatione solita: *Ad multos annos,&c.* exceptus est. Interea diem hunc maximè festum incredibili celebritate populus Romanus peregit. Nam explosa sæpius è S. Angeli castro tormenta majora omnia cum minoribus; omnesque stipendiarii Pontificii in areâ Petri excubantes, turmatim dispositi læto scloporum strepitu inter certantes tubarum clangores matutinam lætitiam terminavêre. Sub vesperum præter consuetum Vaticanæ Basilicæ apparatum, ejusdem Hemisphærium prodigiosæ aliàs magnitudinis, frontispiciumque innumeris luminibus resplenduit. Palatii etiam Vaticani primæ in orbem fenestræ, solaria, & porticus hoc luminoso ornatu fuêre coronatæ. Cæterùm lætitiæ huic coronidem imposuit præter adsiduas missilium ignium è Castro S. Angeli vibrationes, admirabilis ille turbo igneus, qui arcuatim erumpens Iridis in morem gratissimo certè aspectu longè lateque subnascentibus igniculis aëra complevit, gentilitiis Alexandri Papæ VII insignibus ignitis supremo Castri apice haud modico tempore apparentibus.

Hæc de eligendi modo coronandique Romanos Pontifices. Nunc quo jure regiæ Majestatis insigne coronam usurpent, restat explicandum.

Auream coronam omnes Principes, ut Imperii Majestatem ostenderent, honoris causâ capite gestarunt. Primùm David, qui ante Homerum, & omnes veteres scriptores regnavit, coronam, ut lib. 2. Reg. c. 12. legimus, talenti pondere, gemmis pretiosissimis illuminatam, ex urbe Ammonitarum, quam bello subegerat, gestandam sibi sumpsit.

Romani duas coronas inter triumphandum gestabant, lauream unam, quam victoribus imponebant; auream alteram gemmis radiisque interpolatam, quam publicus minister, qui eodem curru vehebatur, supra caput Imperatoris tenebat. Hanc verò radiatam coronam colori arcus cœlestis similem fuisse, ut divinitatis specimen indicaretur, auctor est Vellejus Paterculus lib. 2. de Octavio Cæsare loquens: *Adventanti Romam immanis amicorum occurrit frequentia; & cum intraret Urbem, Solis orbis super caput ejus curvatus, rotundatusque in colorem arcus, velut corona tanti mox viri capiti imponi conspectus est.* Suetonius in Aug. cap. 94. *Videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine, & sceptro, exuviisque Iovis Opt. Maximi, ac radiatâ coronâ super laureatum currum bissenis equis candore eximio trahentibus.* Coronas etiam capitibus statuarum additas fuisse Ammian. Marcel. lib. 17. de Obelisco loquens: *Ei sphæra superponitur ahenea, aureis laminis nitens: quæ confestim vi ignis divini contacta, ideoque sublata, facis imitamentum in figurâ æreum, itidem in auro imbracteatum velut abundanti flammâ canentis.*

Ex quibus planè testimoniis collegit Lazius lib. 9. commentariorum reipub. Romanæ, fuisse apud majores nostros morem illum, quo Sanctorum imagines in templis cum solari coronâ formantur; præsertim cum iis radiatis coronis splendidiores appareant, divinitatisque speciem oculis intuentium exhibeant. Sed licet curiosius inde petitam consuetudinem fingendi formandique radiatos sacrarum imaginum vertices, absurdum videri non debeat; magis tamen veritati consonum arbitror, ab ipsomet lumine, quo sæpe sanctorum facies enitebat, hanc consuetudinem descendisse. Nam ut ait Abdias lib. 5. & Eusebius lib. 2. Historiæ, sæpe Apostolos ingens lux circumfulsit, ut eam nullus ferre aspectus posset, exemplo Moysis, cujus facies ex Dei congressu fulgebat. Ergo ut ad institutum regrediar, olim Persarum reges tiaram rectam capite gestabant, apud quos lex erat, ut Capitalis esset is qui eam capiti suo imponeret. Gentium quoque sacerdotes coronas capitibus deferebant, ut decus illud ostenderent, quod maximè ad sacerdotii præsidium splendoremque præstare videretur. Vnde veteres admirati

rati sunt Sacerdotem Cumanorum in Ponto, cui, ut à Strabone literis proditum est, maximus secundum Regem honos habebatur, & regium diadema gestare licebat. Præterea in Emesâ urbe Phœniciæ, sacri viri, qui sacerdotio fungebantur, tunicas ad talos usque demissas manicatasque deferebant, & capite coronam pretiosorum lapidum, variegatis coloribus fulgentem honoris causa gestabant. Quem ornatum Antoninus Cæsar, qui ex Solis sacerdote, militis turba, Imperator Romanorum electus est, inter serias gravesque causas retinuit, ut Herodianus lib. 5. testatur. Postea verò Constantinopolitani Imperatores idem ornamenti genus inter triumphandum usurparunt, quod illi tuphum dixere; nonnulli recentiorum talyptram appellant. Nostri vero Pontifices Maximi, cum duplicem personam sustineant, duplici etiam dignitatis causa, corona coronantur, ut Innocentius III. serm. 3. de coronatione Pont. confirmavit. *Ecclesia sponsa non nupsit vacua, sed dotem mihi tribuit absque pretio pretiosam, spiritualium plenitudinem & latitudinem temporalium: magnitudinem & multitudinem utrorumque. In signum spiritualium contulit mihi mithram* (loquitur enim de se ipso Innocent.) *in signum temporalium, dedit mihi coronam; mithram pro Sacerdotio, coronam pro regno; illius me constituens in Vicarium, qui habet in vestimento & femore suo scriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.* Sed age nunc de mithra, & de Regia corona aliquid dicamus, ut quantum Ecclesiasticis moribus hæc accommodata videantur, enodemus. Mithra l. 28. ff. de auro & arg. legat., ut explicat Brissonius, capitis redimiculum dicitur. Apud Eusebium lib. 2. cap. 1. lamina vocatur, qua ornatus Iacobus, quum primum ab Apostolis in Episcopum Ierosolymitanum consecratus est. Quod sane genus ornamenti licet ab Aaron, & ejus filiis originem duxerit, postea tamen in Ecclesiam translatum est, ut eo omnes fere omnium nationum Episcopi uterentur. Sed hæc quidem quæ de mithra dicuntur, multorum hominum consensione recepta ac comprobata sunt; quæ vero de *Regno* seu *Regia* Pontificum *Corona*, nonnullis sunt tenebris involuta.

Primum igitur omnes communi sententia existimant, hoc ornamenti genus à Constantino Magno originem duxisse, uti Innocentius III Pont. serm. 1 de B. Silvestro confirmavit. *Constantinus M. secedens Byzantium, coronam capitis sui voluit B. Silvestro Pontifici conferre, &c.* Arbitror tamen, Coronam illam, quæ sola cingebat tempora (cujus Plutarchus in vita Magni Pompeji meminit, & in vetustissimis numismatibus exprimitur) ob reverentiam clericalis coronæ *à Silvestro* Pontifice fuisse rejectam; cum dedecus videretur, raso capiti diadema imponere, vel apertum & ad cutem usque detonsum, vitta purpurea cingere. At vero Silvester Pontifex *Phrygium circulare* gestandum sibi sumpsit, id est phrygiam tiaram. Romanus itaque Pontifex in signum Imperii utitur Corona, & in signum supremi Sacerdotii utitur mithra; sed mithra semper, & ubique utitur; quia Pontificalis auctoritas est prior, & dignior, & diffusior, quam Imperialis. Alii auctores non ad *Constantinum*, sed ad *Clodoveum* hujus coronæ originem revocant, ut ex Sigeberto anno Domini 550 colligere contendunt. *Clodoveus rex*, ait Sigebertus, *ab Anastasio Imperatore codicillos de consulatu, & coronam auream cum gemmis, & tunicam blacteam accepit. Ipse vero Rex misit Romam Pontifici coronam auream cum gemmis, quæ regnum appellari solet.*

Vnde facile colligi poterit, coronationem Pontificis à priscis temporibus originem duxisse, cum anno 683 sub *Agathone* I & Benedicto II. fuerit abrogata, qua pecuniam pro consecratione Pontificis dare, vel assensum consecrandi & coronandi ab Imperatore expectare oportebat. Eugenius II anno 824. 11 Cal. Iunii coronatus est. Formosus I. Papali corona anno 891 insignitus. Sed post Clementem II anno 1044. auctore Panvinio omnes Pontifices coronationis insignia acceperunt: ut inde verissima ab Isaia cap. 61. vaticinatione prædictum agnoscamus. *Sacerdotes vestimentis salutis indutos, & quasi sponsos corona decoratos fuisse.* At verò Pontifex Romanus, qui omnibus auctoritate præest, gentes, populos, tribus, & nationes sibi subjecit, ut Christi potestati subjugaret, triplicem coronam capiti aptavit

suo,

suo, ut se aliis regibus gloria, auctoritate, rebus gestis, superiorem ostenderet. Post omnes Pontifices superiore sæculo Paulus II, qui maxime ornamenta Pontificia excoluit, *Regnum* gemmis auroque distinctum mirum in modum decoravit, cum omnibus aliis dignitate antecederet.

De duobus summis honoribus Romanis Pontificibus solitis exhiberi, pedum osculatione, & Pontificum levatione seu portatione.

Romani Pontifices expressam Apostolici muneris imaginem præferunt. Apostoli autem cum docendi universum orbem curam acceperint, & Euangelizandi potestatem, pedum quoque pulchritudine ornati sunt ad pacem, & Euangelium deferendum, ut mundi & perfecti, *Crucis* virtute in toto orbe decurrerent. *Quam pulchri* (ait Isaias) *pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona!* Miratur Propheta in quas terras Euangelii præcones abierint, quam ornatis pedibus incesserint, quos Christus sua virtute abluisset; quanta lætitia perfusæ gentes, ad quas Apostolici viri talibus ornamentis insignes accesserant; ut non solum gratiam in nuntio atque Euangelio esse arbitrarentur, verum etiam totos pulchros ac speciosos agnoscerent, ad quorum usque pedes Spiritus Sancti *Crucisque* gratia decurrisset. Solent enim externa illa pedum ornamenta ad gratiam & venustatem conferre, & spectantium conciliare animos, cum in eis nihil indecorum & molle conspicimus. Ob quam causam Sponsus suam Sponsam commendabat, quod in calceamentis suis pulcherrimi essent incessus, quod illa in Euangelii præparatione, non per vagas & ancipites vias, incomposito aut molli gressu, aut tractis passibus aberraret, sed cum decore maximo, & externo quodam pedum ornatu incederet. Tertullianus libro de Habitu mulierum, *Cultum* appellat, qui in auro, & argento, & gemmis, & vestibus continetur; *Ornatum* verò in habitudine partium corporis, quæ oculos trahunt, constituit. Vtrumque Rom. Pontifices, qui pacem cum Deo toti mundo conciliant, & Euangelium pacis per legatos, & epistolas quotidie evulgant, magna omnium admiratione consecuti sunt. Nam ut muneris majestatem & pedum decorem ostenderent, & se ad Euangelii prædicationem expeditos ac promptos indicarent, *Crucem* calceamentis addiderunt, ut non à profanis rebus pulchritudinem pedum aucupari; sed ex ipsomet officio & munere cultum & ornatum colligere viderentur.

Cæterum calceamentis Pontificum sive sandaliis (quæ inter Papalia etiam insignia numerantur) duplici de causa omnium ornamentorum pretiosissima crux intexitur. Primo ob populi reverentiam; deinde ut humilitatem atque demissionem ostenderent Pontifices, qui cum omnes populos communi voto ad suos pedes adorandos propensos agnoscerent, *Cruci Christi* osculationem potius, quam sibi ipsis tantum honorem deferri maluerunt, ut omnes Christianos benigne ad oscula pedum exciperent. Itaque ut expressam Christi imaginem referrent, & Salvatoris passionem in hominum memoriam redigerent, *Crucem* sandaliis affixerunt, ut Christiani homines eos honores, quos debitos & necessarios Pontifici deferebant, *Cruce* perspecta, alacrius exhiberent. Merito igitur Pontifex Maximus, gentes quas ad ipsius pedes procumbere videbat, ad *Crucem* Domini, quam sandaliis impressit, osculandum traduxit, cum in totius Ecclesiæ more, teste Nicephoro lib. 17. cap. 15. sit positum, non solum *Crucem* venerationis causa osculis petere, sed etiam Christi, & Sanctorum imagines capitibus & faciebus admovere. Præterea omnium Christianorum fronti, & pectori *Crux* Christi infigitur, ut superato diabolo, trophæum in frontibus reportarent. Romani verò Pontificis pedibus inprimitur, ut *Crucis* virtute fultus, gressus nostros in viam ducat ac muniat. Qui mos usque adeo verus & firmus est habitus, ut nusquam Romanum Pontificem depictum, aut marmore expressum, aut ære ductum videas, quin etiam præter infulam & Sacerdotii ornamenta, *Crucem* pedibus adpictam cernas. ut ex imaginibus venerandæ antiquitatis, quæ in Basilicis *Laurentiana*, *& Vaticana* multis abhinc annis depictæ sunt, constat.

Iam cur Romanus Pontifex humeris deferatur, videndum. Non barbaris modo gentibus, sed ipsis quoque Romanis in more positum fuit, ut quem Imperatorem facerent, eum in altum tollerent,

& in humeros efferrent. Ammianus Marcel. lib. 22. de *Iuliano* à Gallicanis militibus renuntiato. *Impositus*, ait, *scuto pedestri, & sublatus eminens, populo silente Augustus renunciatus est.* Herodianus lib. 7. *Erat puer quidam infans ex Gordiani filiis natus, nomen avi referens, hunc submissis quibusdam, afferri ad se jusserunt: quem cum domi ludibundum offendissent, impositum in humeros, per mediam ferebant multitudinem, plebi ostentantes, ac nepotulum Gordiani dictitantes, vocantesque eum nominatim, populo acclamante, & conspergente puerum frondibus.*

Iisdem quoque temporibus non modo Principes levabantur, sed etiam Vrbis Præfecti, ut suum fastigium altius tollerent, carpento vehebantur; & eos jam adventare publica voce præconis denuntiabatur. Romani vero Pontifices, qui in æterna Vrbe summam auctoritatem divinitus gerunt, præter vehicula & carpenta, quibus publice per Vrbem deferuntur, gestatoriam quoque sellam habent, quam lecticarii homines suis humeris sustinent.

Quod plane cuiquam mirum videri non debet, cum ab Isaia hæc Pontificum celebris gestatio prædicta jam fuerit cap. 49. *Et afferent filios tuos in ulnis, filias super humeros portabunt.* Huc accedit, ideo Pontificem in altum deferri oportere, ut populum, ovesque Christi sibi creditas circumspicere, eisque fausta precatione benedicere; & populi rursum illum in sublimi loco præsidentem commode spectare, & ex vultu Pastorem queant agnoscere.

Res etiam exemplis demonstrari potest. nam Hadrianus II in Lateranensem Ecclesiam à Clero, & Proceribus deportatus est, uti habetur dist. 63. cap. cum Hadrianus II ad Romanum Pontificatum ab Ecclesia Dei genitricis Dominæ nostræ, quæ dicitur ad Præsepe, traheretur, ad Lateranense Patriarchium certatim à Clero, & Proceribus, & plebe delatus est. Stephanus etiam II, ut refert Platina, & Franciscus Iannetus cap. 90. humeris in Basilicam Constantinianam, & inde in Lateranensem delatus est.

De Iubilei anno Sacro.

Institutio Iubilei antiquissima est, nam Moyses primus legislator annum Iubilei ex Dei oraculo non sine mysticis rationibus ordinavit ex septem hebdomadibus annorum perfectis, quæ simul quadraginta novem annos constituunt. Supplet ac perficit hunc septem septenniorum, ut ita dicam, circulum ipsa monas in quinquagesimo, non quidem per se numerus, cum sit individuus, sed numeri principium, & finis, fons, radix, ac parens. Non inepte propterea uni individuoque Deo, summo bono, rerum omnium auctori, atque parenti conservatorique comparata: qui non secus ac monas numerorum seriem, mundum, rerumque in eo cunctarum statum ac ordinem suo nutu immutabilis ac semper ipse moderatur, atque continet. Septenarium numerum quidem ab ipso mirifice commendari, plurimis constat argumentis: & maxima quæque ingenia caussas indagare satis nequeunt. Mundum inprimis ornavit septem stellis vagantibus, quas Planetas ideo vocamus. Et quia variis eximiisque virtutibus præpotentes in elementa ac inferiora corpora cuncta dominantur, haud male κοσμοκράτορας, tanquam mundi principes, veterum judicio nuncupatos fuisse legimus. Quin etiam homo, quem ad imaginem suam factum, ac ratione dotatum, veluti delicias suas orbi terrarum rebusque in eo creatis omnibus præposuit, tota membrorum symmetria, corporisque compage sic conflatus divino numine videtur, ut septenarii numeri vis atque potestas in eodem luculenter eniteat. Constat etenim, ipsum septenaria ratione concipi, formari, vivescere, perfici, adolescere, & roborari, nec non decrescere atque debilitari. Quemadmodum Platonici copiose demonstrant, argumentisque pervincunt, totam humani corporis fabricam atque hominis vitam isto dispensari numero. Quin etiam sensuum officia quatuor, visus, auditus, olfactus, & gustus in capite velut in arce posita, quo rationis temone regerentur, septem foraminibus, oris videlicet uno, oculorum, aurium & narium ter binis administrari: quintum verò tactus, per totum corpus diffundi, ut torporem viventis arceat, & vigilantiam excitet ad noxia quæque fugienda. Quapropter hunc numerum perfectionis, universitatisque plenitudinem in se continere, doctorum opinione receptum est. Quantum

igitur

igitur excellentiæ ac dignitatis numerus ſeptenarius rebus à Deo creatis adferat, hic diffuſius explicare ocioſum eſt. non ſilendum tamen quod rem attinet, eundem ab Omnipotente Deo numerum conſecratum ab initio fuiſſe, cum omnipotente verbo mundum ſex dierum ſpatio crearet, & tantis operibus conſummatis, ſeptimo die quieſceret, qui inde Sabbatum, id eſt, quies dictus eſt. Itaque diem ſeptimum quemque ſanctitudine peculiari ſublimavit, feriatumque ab operibus profanis eſſe voluit, cum hebdomadam abſolvat, nempe ſeptem dierum ſpatium: cujus curriculo ac repetitione menſes, anni & ſæcula peraguntur non ſolum, verum etiam ætates, animantiumque vitæ per climacteras quaſdam ſuas reguntur. Quare per Moyſen populi ſui ducem ſanciri legibus juſſit, ut ſeptimum quemque diem, menſem ac annum religioſiſſime colerent, hunc numerum in ſacris ceremoniis, & arcanis myſteriis reverenter obſervarent: ſeptimo die populus ab omni opere abſtineret, rebuſque divinis vacaret, quia Sabbatum Domini Dei, & ſignum fœderis ipſius eſſet: ſeptimo menſe tubæ clangerent, afflictioneque fierent expiationes à peccatis; ſex annis agriculturam exercerent, fructus colligerent, ſeptimo quieſcerent, fructus pauperibus relinquerent: ſex annis Hebræus emptus ſervitutem ſerviret, ſeptimo, ſi vellet, liberaretur gratis. Si nollet, aure pertuſa Domini maneret in ſæculum Iubilei ſequentis. Vtque poſt ſeptem hebdomadas annorum plenas, quæ conſtituunt quadraginta novem, ſequenti quinquageſimo feriarentur; quem tubarum ſeptem clangore, quadrageſimi noni anni menſe ſeptimo indicerent, publicarentque: quia Iubileus ac remiſſionis omnium vocaretur, eſſetque ſanctiſſimus: eodem non ſererent, nec ſponte naſcentia meterent, colligerentque primitias: eodem contractus, obligationes, & debita quævis diſſolverentur, exilia & ſervitutes omnes tollerentur, venditæ alienatæque poſſeſſiones redirent ad primos dominos, & unuſquiſque ad familiam priſtinam, nativumque ſtatum ſuum. Admodum igitur appoſite hunc annum Iubileum, quaſi remiſſionis, reditus atque lætitiæ haberi ac nominari legiſlator voluit à voce primigenia Hebraica *Iobel,* quæ lingua Hebræorum ſonat *reductionem vel reditum*; Chaldæis autem *arietem.* ex arietum autem cornibus erant compoſitæ illæ tubæ, vel buccinæ ſeptem, quibus hic annus à Sacerdotibus indicari ſolebat. Nec ineptè quidem, ſignificabat etenim ipſis *aries* Regnum ac Sacerdotium, dux enim & cuſtos eſt gregis. Principes igitur Sacerdotum, ſeptem ex lege tubis ſuis arietinis, priſtini ſtatus reductionem, velut maximi gaudii nuncium, populo publicabant.

Latini verò gaudium ineffabile, quod verbis explicari nequit, voce tamen teſtatum, non diſſimili nec minus antiquo vocabulo, *Iubilum* appellant: quemadmodum & Celtæ, Germanique rem pretioſam, charam, & gaudio afficientem, *Touwealum*, iidem *Iubileum* annum ſua lingua vocant *aureum,* à metalli ejus pretio, ut & omnia chara dicunt *aurea.* Quæ quidem nomina ex eodem fonte prognata ſunt, & anni dicti non minus, quam legis virtutes & effectus declarant.

Quid enim non gaudii & exultationis adferunt debitorum remiſſio, bonorumque recuperatio pauperibus, libertas ſervis? quid non deſiderii tantorum beneficiorum expectatio? Non immerito quidem annus hic, quem & *aureum* Germani nuncupant, ab afflictis & oppreſſis, tanquam pretioſus & charus haberi, votis omnibus exoptari, & excipi ſumma cum lætitia poterat. Cæterum non ſine divinis rationibus legiſlator ille ſummus eos ritus inſtituiſſe, legeſque tales præfracto, & barbaræ ſervituti adſueto populo impoſuiſſe videtur, quibus eum ad humaniorem cultum reduceret, & ad ſui timorem ac reverentiam compelleret. Atque hæ quidem haud leves inſtituti apud Hebræos *Iubilei* anni fuiſſe cauſæ videntur. At vero Chriſtus libertatis noſtræ vindex legem adimplens, Sabbatum feliciſſimum nobis attulit, miſſus à Patre, ut ſuis nuntiaret annum *Iubileum*, plenum ſalutis & gaudii ineffabilis. Hic legis abolevit obligationes, & reliqua vetera. Hic primi parentis crimine genus humanum infeſtiſſimi hoſtis ſervituti mancipatum ſua morte liberavit, hæreditatem amiſſam, & felices paradiſi poſſeſſiones exulibus

libus nobis ad eum redeuntibus benigne reſtituit. Iam verò cum vivificus dictæ gratiæ noſtræque theſaurus reparationis cunctis quidem pateat: non tamen ad ejus uſumfructum quis pervenire poteſt, niſi per legem gratiæ, & Sacramenta à Chriſto Domino noſtro inſtituta renatus, in Eccleſiæ gremium prius admittatur. Hujus igitur inæſtimabilis theſauri depoſitionem abſolutam è terris diſcedens Chriſtus Petro, & Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus commendavit, ut eundem per Eccleſiæ ſuæ membra fideliter & prudenter pro animarum ſalute, diſtribuerent. Itaque completis rurſum ſeptem ſeptenariis myſticis, quinquageſima poſt reſurrectionem die, cum jam in cœlum aſcendiſſet, promiſſum ſuis Spiritum S. miſit, cujus afflati numine, nihil non rite facerent ac docerent in ejus Eccleſia.

Remanet igitur hæc plena diſtribuendi poteſtas per Spiritum ſanctum in D. Petri, quem paſtorem in terris conſtituerat, & curam ſui gregis cum clavibus regni cœlorum dederat, ſucceſſore Hierarcha Romano, ut is pro uſu & neceſſitate temporum, paſſionis, & ſanguinis ſui incomparabili pretio ſuccurrat imbecillitati noſtræ. Sic enim viſum ſupremo Numini proprio non parcere Filio, ſed humiliatum conditionis humanæ caſibus, & morti ſubjicere, ut tanti pignoris pretio ſalutis æternæ porta ad eam tendentibus aperiretur. Itemque voluit, ut Filii ſui veſtigia hic inſequamur, noſtram ipſimet crucem, licet invalidi, portemus. Igitur Romani Pontifices D. Petri Succeſſores ad imitationem veteris Iubilei Hebræorum, quo populum ad pœnitentiam errorum & ſcelerum, vitæque correctionem pelliciant, invitant omnes propoſitis magnis præmiis ad veri illius Iubilei per Filium nobis promulgati communionem, veluti ad ſollemne Regis ſuperni convivium, & hymenejas epulas, ad quas neminem niſi amictu nuptiali ſplendidum, niſi fœdis vitiorum ſordibus expurgatum, venire decet. Quarum expurgandarum cauſa Summus Eccleſiæ Romanæ Pontifex limpidiſſimos nobis oſtentat fontes, nempe ſanguinem ſacroſanctum, ac merita Chriſti. Non abſurdum autem videri debet, quod convocet gregem univerſum ad ovile ſuum, ad Eccleſiam videlicet Romanam; quod orando, pulſandoque gratiæ cœleſtis portas aperiri poſſe, cæremoniis demonſtret, dum omnibus Ordinibus ſacris ſtipatus, maxima cum pompa portam Baſilicæ D. Petri Apoſtolorum principis in Vaticano, ſemper alioquin muro lateritio clauſam, anni illius initio precibus & malleo recludit, atque per eandem *Crucis* ſacroſanctæ ſignum triumphale, cereoque benedicto S. Spiritus lucem mentes illuminantem infert, populi multitudine ingenti ſubſequente. Quantus tum, ô ſuperi! hominum omnis generis ex univerſis Chriſtiani orbis provinciis ad ea Sacra Romam venientium confluxus? Expoſita cuivis ex inexhauſto paſſionis & meritorum Chriſti, Divorumque theſauro pleniſſimo peccatorum indulgentia, non propter dictas illas cæremonias, non ob noſtras preces, peregrinationes aut labores, ſed propter unicum noſtræ ſalutis aſſertorem Ieſum Chriſtum. Quod ipſum etiam in ſuis Edictis ſummi Pontifices promulgare nunquam prætermittunt. Ob has igitur rationes & in eum modum anni *Iubilei* feſtum à D. Petri ſucceſſoribus inſtitutum indicitur: non quidem Iudaico prorſus ritu, ſive ex veteris legis decreto, cujus cæremonias per Euangelii gratiam ablatas eſſe, Paulus ubique contendit; ſed ut legis Moſaicæ adimpleat myſteria, cum illa Iubilei tempore poſſeſſiones & bona his in terris duntaxat redderet, nexos ſolveret, & corpora in libertatem vindicaret: nobis autem per Euangelium *Iubileus* annus exoptabilior offertur, quo nexus animorum ſolvuntur à criminum vinculis, amiſſæque cælorum poſſeſſiones in libertatem aſſertis reſtituuntur.

Vt autem anno quoque centeſimo hæc feſta repeterentur, Bonifacius VIII Summus Pontifex primum decrevit; & portam Baſilicæ in Vaticano aperuit, largiſſimamque ſtatuit peccatorum omnium indulgentiam cunctis qui Vrbis inquilini triginta ejus anni diebus, quive peregrini aut advenæ, quindecim diebus, confeſſione, pœnitentia, ac corporis Chriſti communione prius luſtrati, ad ſacra religioſe per eam intraſſent.

Cle-

Clemens VI. Pontifex, flagitantibus Romanis, ad annum quinquagesimum *Iubilea* reduxit, cui & grati muneris dispensandi occasio visa fuit. Is alteram addidit portam Basilicæ D. Ioannis Lateranensis in Cælio, statuitque ut totidem vicibus & ibidem sacra visitarentur. Additæ postea ad similes visitationes faciendas duæ sanctiores aliæ Basilicæ, D. Mariæ Majoris in Esquiliis, & D. Pauli via Ostiensi. Atque ita portæ patefiunt in Vigilia Christi Nativitatis, initio *Iubilei*, eadem hora quatuor, una, ut diximus, per Summum Pontificem, aliæ tres per Basilicarum dictarum Antistites Cardinales. Sixtus IV denique temporis interstitium contraxit ad annos viginti quinque, ratus vitam hominis mille casibus & periculis expositam, rarius ad quinquagesimum annum pervenire, gratiæque illius expertem infinitam hominum multitudinem idcirco fieri: ætati cuivis anno quoque vigesimo quinto recte consuli, cum unius hominis vita ter annum illum felicem & optatum attingere possit, in juventute nimirum, virili ætate, & senectute; fraudarique duntaxat, quibus lubricam adolescentiam excedere non contingit.

De Bulla Cœnæ Domini.

Feria quinta post Dominicam Palmarum Romanæ atque universalis Ecclesiæ Pontifex lecto Apostolico diplomate, quod Bullam Cœnæ Domini vocant, ex superiori Vaticanæ Basilicæ solario cereum accensum recepta consuetudine in terram dejicit, in detestationem Hæreticorum, atque excommunicatorum abominationem: deinde præsentem in D. Petri area populum hæc sollennia spectantem benedictione iterata afficit, explosis interim è Castro S. Angeli bellicis tormentis irati Pontificis minas intonantibus.

Eadem die in Xenodochio SS. Trinitatis, quod ad pontem Sixti ædificatum est, insignis in pauperes & peregrinos, qui immani tum frequentia confluunt, charitas Prælatorum, & Procerum Vrbis Romæ enitet. Nam ipsi Cardinales, Principesque magno humilitatis indicio alii rubra succincti tunica pauperibus ad Christi exemplum aqua pedes abluunt; alii manducantibus iisdem potum & cibum ministrant.

De Insignibus militaribus, & Rosa aurea à Pont. Max. Principibus viris, & feminis deferri solitis.

Mos vetustus jam à multis sæculis inolevit, desumptus ex Machabæorum historia sacra, in qua lib. II. cap. XV. legimus, *Iudam* ducem exercitus Iudaici, priusquam iniret contra *Nicanorem* prœlium, vidisse in somnio summum Sacerdotem *Oniam* pro populo orantem, *Ieremiamque* Prophetam tradentem sibi gladium aureum tali exhortatione ad prœlium capessendum: *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israël.* Aggressus igitur prœlium Iudas occiso Nicanore prostravit ad XXXV hostium millia. Atque hinc occasio desumpta videtur sacri ritus istius, ut Romani Pontifices singulis annis in præclara Natalis Domini nostri Iesu Christi nocte, priusquam exordiuntur sacrificia, thure & aqua lustrali consecrent, & sanctis precibus inaugurent *ensem* affabre factum, aurea *vagina, baltheo, capuloque aureo* instructum, & ejus mucroni impositum *galerum* ex holoserico molli janthino consutum, duplicatumque exuviis mustelarum, vel, ut quidam vocant, in alpinorum murium candidissimis, fascia vel diademate aureo circundatum, & margaritis plurimis circumtextum exornatumque. Nobilis & optima semper habita est strena, quam parat ea nocte solam Pontifex Summus, magno cuipiam Principi donandam, qui bene de Rep. Christiana meritus est, vel bene mereri adhuc potest. Nec caret suis mysteriis aptissimis, quorum meminisse & exequi significata, Christiani ac Pii Principis interest. Rituales etenim Pontificum libri docent, per ensem illum consecratum inprimis Dei infinitam potentiam permanentem in Verbo, quo cuncta creavit, & quod tali die caro factum est, nimirum in Christo Dei Filio, homine vero, Patrique æquali, cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra, ut ipse cœlum scansurus ad Patrem dixit, mandans eandem, potestatem Petro, suisque Collegis in Ecclesia vel civitate nova nuper ab ipso condita, & sanguine ipsius consecrata, adversus quam portæ inferorum non essent prævalituræ. Cujus cum fundamenta firma in ovili suo Pastor bonus jecisset, ejus, ut dixi, gubernacula discipulis, ac Petro tanquam capiti, Vicarioque suo; cum clavi-

clavibus regni cœlorum commiſit. Quis Divinæ myſteria Providentiæ ſatis admiretur? dum perpendit, eam ſacræ illius politiæ ſuæ Prætorium ac Regale ſolium in arce Imperii terreſtris Vrbe Roma collocare voluiſſe, quo gladius ille poteſtatis ſupremæ, cui terrarum orbem jam ſubjecerat, auro Divinæ legis Chriſtianæque fidei tutius conſervaretur, atque ſalubrius regeretur. Itaque Petrus Apoſtolici ordinis Princeps trophæum *Crucis* Chriſti Romano inferre Capitolio juſſus eſt, quo veritatis æternæ lumen in ſalutem omnium efficacius faciliuſque poſſet ab ipſo capite per totum mundi corpus effundere. Deſignat igitur conſecratus gladius ille jus, imperium ac poteſtatem ſummam regendi in terris à Chriſto relictam Præſidi Eccleſiæ ſuæ Petro, & ejus ſucceſſoribus: à quibus Chriſtiani & pii Principes, etiam maximi haud gravatim hoc juris acceptant, & acceptarunt hactenus. Porro gladius à majore poteſtate Principi traditus ſimul commendat prudentiam & rationem rectam, quæ bonum à malo diſcernit: admonet juſtitiæ ad æquitatis æquilibrium cum cura perpendendæ. Quapropter ejus acumen anceps, ad pravum non minus paratum, quam ad bonum deſtinatum, ſi in temerarii vel maligni hominis manum incidat, non ſine cauſa tegitur atque munitur auro, per quod veteres olim *Sophiam* ſive Sapientiam ſemper intellexerunt; quæ inter artes & ſcientias omnes ita excellit, ut aurum virtute, pulchritudine, ac pretio cætera metalla ſuperat. Hinc Salomonis in Proverbiis exhortationem legimus: *Poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt; & acquire prudentiam, quia pretioſior eſt argento.* Iam patet quam apte Principis gladius, id eſt, legitima poteſtas à Deo data, ne lædat, vel lædatur, ſapientiæ ac boni conſilii aureo regimine conſervetur. Cæterum eximio huic ſummi Sacerdotis muneri *balteus* accedit ex auro puro confectus & pulcherrime elaboratus, quo honor & dignitas militaris conferri ſolebat antiquitus, eratque Ducum, Comitum, ac Principum geſtamen. Additur gladio non ſolum *balteus*, ſed & *galerus* ſive pileus, capitis nimirum, quo nihil in unaquaque re prius ac nobilius eſt, tegmen præcipuum: quod quidem abſolutæ libertatis, ſummæque nobilitatis habetur inſigne, non minus æſtimatum ſua ſignificatione, quam auri, gemmarum, ac materiæ pretio, cujus antiqua forma hemiſphærica, oblongior ab initio fuit; nunc tamen planiore vertice formant artifices myſteriorum ignari. Etenim illa galeri rotunditas ſuperior cœli nos tegentis figuram concavam repræſentans mentem vitæque rationes, omnes dirigendas ad æthera Beatorum domicilium eſſe ſedulo, Principem monet, cujus quadam imagine caput ſuum contegit. Idem ſignificat *galeri* color *janthinus*, ſive cæruleus, cœli ſereni ſpeciem habens: ſcilicet, ut Ennii Poëtæ verbis dicam, *cœli cærula templa* Principibus eſſe contemplanda docens, cui præſidet ſummus omnium conditor Deus, ab eodemque tanquam juſtitiæ ſole procedens S. Spiritus igneum numen: quorum hoc in latere per columbam candidam, ille per Solis radiatum globum ex auro unionibuſque in ipſius galeri vertice figurantur. Nec ocioſus eſt *pellium ac margaritarum* ille candor niveus, Deo pergratus color ad animum maxime tranſlatus, propter ſinceritatem, mentiſque puritatem, quæ nos Deo conciliat. Ponticos autem & alpinos mures candidos, quos *Armenios* nunc vocamus, talis intemeratæ ſinceritatis atque etiam caſtitatis immaculatæ ſymbolo nobilitatos fuiſſe legimus, utpote qui candorem ſuum ament, atque ſpurcitias tantopere abominentur, ut cum fovearum ſuarum oſtia cœno illita vident, ſe potius à venatoribus capi patiantur, quam eo fœdari velint. Pellis igitur ac margaritarum nitor admonere Principem debet, ut animi candore, vitæque ſincera probitate ſe gratum Deo hominibuſque præſtet. Nec ab ipſo ſcopo prorſus diſſitum, quod nationum omnium fere conſenſu candida tanquam divinis congrua ſacris adhibeantur, atque in primis *albatæ veſtes*, id eſt, puræ religioſæque, ut Servius commentat. Et hæc quidem de Strenæ Pontificiæ myſteriis. Summus Pontifex munus ipſe Principi genua ſubmittens tradit, & defenſionem Chriſtianæ fidei, Eccleſiæque Romanæ Catholicæ commendat ſolennibus verbis Deum Optimum

mum Max. precatus. *Catholicum Principem Christi Tyronem, ac devotum sanctæ Matris Ecclesiæ filium, sua gratia ad heroicas virtutes provehat, armis suæ justitiæ, sinceræ fidei, rectæque Religionis muniat & instruat adversus quoscunque Catholicæ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ inimicos: utique per ipsum vim æquitatis bonorum ad tutelam exerceat, molem iniquitatum malarum ad vindictam pariter evertat:* Princeps è dextra Pontificis munus acceptans, veneratus ex more Christi in terris Vicarium, Latinis verbis pro tanto honore gratias agit immensas, testatus superos, sibi nihil magis in votis esse, quam ut divina suffragante clementia, posset vel ex parte Summi Pontificis totque Procerum expectationi satisfacere. Gladium deinde nobili ministro suo deferendum tradit: qui ante *Crucis* sanctæ signum donum illud gestat, dum è sacrario Summus Pontifex deducitur.

Tum valedictis post factam congratulationem Cardinalibus Princeps cui gladius cum galero præfertur, à Castri Angelici Præfecto, Palatii item magistro, omnique adeo Nobilitate familiaque Pontificia, & Satellitio Palatino stipatus, magna cum pompa, & tympanorum sonitu, tubisque præcinentibus per Porticum milliariam è Palatio domum deducitur.

In Rosa aurea, à qua Dominica quadragesimæ quarta nomen accepisse videtur, isthæc notanda veniunt, quod Summus Pontifex sella curuli dicta Dominica, è Palatio in Basilicam Vaticanam delatus *rosam auream* ipse gestet, quam deinde solitis cæremoniis consecrat, mittendam alicui Christiani orbis reginæ, aut feminæ Principi præclaris virtutibus ornatæ. Tursellinus historiæ Lauretanæ lib. 5. cap. 8. inquit: Gregorius XIII rosam auream Lauretanæ Virgini utpote Reginæ mortalium, & cœlestium misit.

De Pontificis in Urbe Principatu. S. Hieron. Epist. ad Pammachium.

Quidam Romanæ Urbis consul designatus, cum Idolorum cultor esset, ausus fuit B. Damaso dicere: *Facite me Romanæ Urbis Episcopum, & ero protinus Christianus:* ex quibus verbis arguere licet, Romani Pontificis in Urbe dignitatem virorum etiam principum oculos pellexisse, cum omnes Reip. magistratus huic uni magistratui cederent, ut Cassiodorus lib. 10. per varias epistolas docuit. Quod verisimilius erit M. Constantini Imp. tempora actaque memoria repetenti. Constantinus siquidem ex Principibus primus fidem Christianæ veritatis adeptus, præcipuo quodam honore Romanum Pontificem, qui tunc Melchiades erat, complexus est. Ratus namque ad fidem dignitatemque suam pertinere, ut Urbem Romam, quam non Romani solum arcem Imperii, sed Christianæ quoque religionis solium esse comperiebat; Episcopo Romano Petri Principis Apostolorum successori, Christi Vicario, domicilium compararet: Melchiadi cum prædia ac dona multa, tum inprimis Augustale palatium in Laterano impertiit, ut refert Baronius anno Christi 313. ubi Spondanus num. 6. Illa tum Constantini beneficio exorta, seseque diffundens Rom. Pont. majestas atque potentia, pessundari deinde ab Alarico, Genserico, Theodorico, Vitige, Totila, Aistulpho Gothorum, Vandalorum, & Longobardorum regibus; restitui per intervalla à Belisario Iustinianæi duce exercitus, Pipino, & Carolo Magno Francorum regibus: iterum orto in Urbe Romana schismate non semel convelli. Donec Bonifacius Papa IX ad summum Sacerdotium evocatus ætatem consilio superans (triginta quippe annos natus erat) ex Umbria efflagitantibus Romanis reversus Pontificiam restitueret dignitatem, primusque Pontificum usurpatam hucusque Populo Romano eligendi in Urbe magistratus potestatem sibi soli debitam vendicaret. Idem Pontificatus opes atque potentiam tam late propagavit, ut frustra deinde pop. Rom. contra subsequentes insurgere Pontifices tentarit. Et quanquam Fridericus Barbarossa rescripto quodam suo Romanorum Pontificum in usurpanda civili jurisdictione temeritatem accuset his verbis: *Affirmat Pontifex omnem magistratum Romæ B. Petri esse cum universis regalibus. Hæc res fateor* (inquit Imperator) *magna est & gravis. nam cum divina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar, & sim; speciem tantum dominantis effingo, & inane utique porto nomen, ac sine re, si urbis Romæ de manu nostra potestas fuerit excussa.* Tamen iidem Pontifices ita principatum Urbis semper

Goldast. in collect. const. Imp. de anno 1155.

per adversus oppugnantes defendere, ut jam tandem nullo teneant opponente. Itaque beneficio Pontificis in reliquos majores minoresque in Vrbe magistratus jurisdictio omnis diffunditur, haud aliter, quam si minora astra ab uno sole tanquam genitore lumen mutuentur.

Magistratus jurisdictionem nomine Pontificio exercentes aut sacris rebus dati sunt, aut profanis; iisque vel civilibus, vel militaribus. Et consistunt vel in singulari persona, aut pluribus, quæ congregationes, sive collegia appellantur.

Quorum nomina atque officia singulorum antequam percenseam, visum est pauca de ministerio, & satellitio Pontificis præmittere.

De ministris Palatii Pontificii.

Officia ac ministeria Pontificis multa sunt, & superat illius Aulæ magnificentia omnes Christianorum Principum; tantaque est ejusdem observantia, ut ne Cardinales quidem, qui dignitate Regibus comparantur, Vrbe exeant, nisi petita, & habita licentia. Ministrorum vero proprie dictorum hic ordo est.

Quatuor habet Pontifex cæremoniarum magistros, qui durantibus functionibus publicis Cardinalibus agenda demonstrant.

Vnum Sacristam, qui ex Augustinianorum semper ordine deligitur, curam habens sacristiæ, & celebranti missam, Pontifici aquam, vinum & hostiam prælibans.

Magistrum sacri Palatii, qui ex ordine S. Dominici censendis libris datus, in sacello Pontificio dignitatis locum post Rotæ Romanæ Decanum occupat.

Præfectum aulæ, & præfectum cameræ utrumque magni nominis Prælatum.

Cubicularios multiplicis generis.

Cubicularios honoris, viros nobilitate literisve conspicuos, sic dictos, quod voluntarium sive arbitrarium eorum ministerium est. Ex his deligit Pontifex, qui creatis, pronunciatisque Cardinalibus extra Vrbem peregre commorantibus galerum seu pileum Cardinalitium asportent. Nec vulgare officium æstimes Cubiculariorum secretorum, ex quibus sex, septemve ad Papæ arbitrium participantes dicuntur, à quorundam munerum participatione appellati. Ex his cubiculariis & *Thesaurarius secretus* Pontificis eligitur, & *pretiosæ Custos supellectilis*: ille sacras largitiones, sive eleemosynarum distributionem administrat; hic aurum, argentum, gemmas, relliquias, & id genus alia ad Papam spectantia custodit. Sunt & alii cubicularii, queis ab urna est nomen; & qui cubicularii extra muros dicuntur: item cubicularii scutiferi, vel dapiferi Apostolici centum & quadraginta. Præter cubicularios secretos & Capellani secreti Pontifici inserviunt. Vnus ex his Papæ incedenti pedes extrema vestium de more sublevat: alius deportato in sacellum aut Ecclesiam Pontifici Crucis sacrosanctæ signum præfert. Reliquorum munus in portandis ante Papam cum pompa aliqua delatum tiaris, coronisque consistit. Habet præterea Pontifex & Procamerarium, & substitutum aulæ Præfecti, & Pincernam, & Architriclinum, & Præcursorem majorem cum epularum incisore, seu structore. Item Architriclinum pauperum cibatis omni tempore matutino pauperibus in palatio assistentem; cum Architriclino & structore Cardinalium collegii. Est & Præfectus stabuli, dignitatis officium à quodam ex Nobilitate Romana solitum administrari. Sunt etiam Cursores undecim, servitores armorum XXIV, & qui virgæ rubeæ appellati XVI, queis consistorii porta est observanda. Et qui à pedibus sunt LX & plures. Equites levis armaturæ communiter C, vel CC. Bombardarii milites, vel Sclopetarii CCC. Helvetii custodientes palatii Pontificii portas, & quotidianas alternatim excubias agentes CC interdum etiam trecenti. Hæc de ministerio & satellitio Pontificis.

De jurisdictione Pontificis Ecclesiastica, & magistratibus eam exercentibus.

Late patet per orbem terrarum Ecclesiastica Romani jurisdictio Pontificis; Civilis vero Romana Vrbe ac ditione Pontificia continetur. Vtraque per varios à Pontifice datos magistratus exercetur. Ecclesiasticam jurisdictionem Pontificio nomine primo exercent duodecim Prælati, Pontificii judices, & Auditores Rotæ Romanæ dicti.

De Rotæ Romanæ Judicibus.

Romanæ judicium Rotæ duodecimviri constituunt, Germanus I, Gallus item I, Hispani II, Itali VIII, hac ratione ut

ut unus ex his Bononienſis ſit, alter Ferrarienſis, tertius Venetus, quartus Toſcanus, quintus Mediolanenſis, & tres reliqui Romani. Ad hoc judicium pertinent omnes omnium Catholicarum provinciarum ex beneficiis Eccleſiaſticis ortæ controverſiæ. Item cauſæ civiles Romanæ, reliquæque ditionis Pontificiæ via provocationis, ſeu in ſecunda, ut loquuntur, Inſtantia. Notarii hujus Vniverſalis judicii ſunt octo & quadraginta, cuilibet Auditorum ſeu Iudicum Rotæ quatuor aſſignati.

De Congregatione ſancti officii. Varii Pontificio nomine Cardinalium, & Prælatorum celebrantur in Vrbe conventus, congregationes dicti, in quibus ad ſtabilimentum, & propagationem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ neceſſaria proponuntur, decernunturque. Congregatio autem S. Officii bis in hebdomade fieri ſolita cum ex Cardinalibus componitur, tum ex Prælatis inſignioribus, & magni nominis Theologis, qui omnes ſancti officii conſultores appellantur. Ab his de modis exſtirpandæ hæreſeos deliberatur, & ſi qui hæretica pravitate infecti accuſentur, in eoſdem ſevere inquiritur, contumaceſque carcere, aliiſque modis puniuntur.

De Congregatione Concilii. In Congregatione *Concilii* dicta, *Tridentini* textus *Concilii* dubius explicatur, & res eo non contentæ ad fidem pertinentes elucidantur. Hæc Congregatio hebdomadaria eſt.

De Congregatione Rituum. In Congregatione *Rituum* appellata natæ circa ritus cæremoniasve, propoſitiones ſanctorum, eorundemque Canonizationes controverſiæ examinantur, definiunturque. Ejus caput Cardinalitii Collegii Decanus. Ipſa Congregatio menſtrua eſt.

De Congregatione examinandis Epiſcopis. Congregatio examinandis Epiſcopalem dignitatem ambientibus conſtat ex octo, vel decem Cardinalibus, quibuſdam Prælatis & Theologis. Hi omnes Candidatum ad pedes Pontificis decidentem examinant, approbatumque Albo hujuſce Congregationis mandant inſcribi.

De Conſiſtorio. Conſiſtorium ex Papa, & Cardinalibus compoſitum, reliqua omnia collegia dignitate perſonarum, & magnitudine negotiorum antecedit. In eo quæ ad religionem Catholicam, Romanæ pacem Eccleſiæ, & Pontificiæ ditionis conſervationem pertinent, ſingulis ſeptimanis tractantur. Electi à regibus, capitulis, aut ab iis, qui id jus habent, Epiſcopi confirmantur, rejiciunturve, prout idonei ad hanc dignitatem, ineptive reperiuntur. Idem Conſiſtorium quibuſdam Eccleſiis, & Monaſteriis Epiſcopos, atque Abbates imponit, eligendi eoſdem poteſtate ſibi reſervata.

De Vicario Pontificis. Vicarii Pontificis dignitatem ab Epiſcopis ante uſurpatam Cardinalium collegio Sixtus IV Pontifex reſtituit. Iuriſdictioni Vicarii ſubjecti ſunt Eccleſiaſtici, & religioſi Romæ habitantes, confraternitates ſeu collegia laicorum, Hoſpitaliorum præſides, & miniſtri, item Iudæorum, & meretricum fæx. Subſerviunt eidem quatuor Notarii, & judices duo, alter civilibus; criminalibus cauſis datus alter. Habet & Vicesgerentem, cui peculiaris monachorum & monialium injuncta inſpectio eſt. Nec deſunt capiendis, plectendiſque reis lictores, & carcer.

De Summo Pœnitentiario. Summus Pœnitentiarius ex Cardinalium quoque collegio deligitur. Hic jure poſitivo illicita matrimonia concedit; inhoneſto, aut damnato coitu natos reddit legitimos; reſtituit in integrum, qui ob defectum, mutilationemque membrorum à percipiendis beneficiis Eccleſiaſticis ſunt excluſi; pluralitatem beneficiorum indulget; homicidii reos in foro conſcientiæ abſolvit; vota mutare permittit; denique peccatorum abſolutionem nullo pretio redemptionis concedit. Ejus Vicarii Pœnitentiarii dicti per tres Vrbis Baſilicas diviſi juriſdictionem in abſolvendis peccatoribus ad caſus ipſi Summo Pontifici reſervatos extendunt. Ex triplici ordine deliguntur, habentque ad ſingulas Baſilicas habitationem ſibi deſtinatam, qui ex ordine Patrum Societatis Ieſu ſunt, ad Vaticanam, ex obſervantibus regulæ S. Franciſci ad Lateranenſem; ex Dominicanis ad Eſquilinam Baſilicas habitant, & quotidie poſtulantium confeſſiones excipiunt. Summus Pœnitentiarius mandato Pontificis reſcribens his formulis utitur: *Fiat in forma*: *fiat de ſpeciali*: *fiat de expreſſo*: quarum diverſitate formularum ſupplicibus libellis plus minusve

minusve momenti inesse taxatoribus ostendit.

De signatura Iustitiæ, & signatura gratiæ, atque utriusque Præfecto, & Referendariis.

Quotidie fere concessorum à Papa beneficiorum aliarumque rerum aut jure debitarum, aut gratis datarum subscriptio ab eodem Papa postulatur. Quapropter duas Pontifex audientias, ut vocant, ordinavit; altera signatura justitiæ, altera gratiæ nominatur. Vtraque suum præfectum habet Cardinalem, suosque referendarios, quos legum esse peritos necesse est. Hi si libellis supplicibus nomen apponant suum, id præfecto Cardinali, aut potius ipsi Papæ signum est, petitam rem jure, aut consuetudine posse concedi. In rebus dubiis aut majoris momenti Referendariorum valet pluralitas: Papa verò supplicationibus his modis subscribit (PLACET) si res justa est: (FIAT VT PETITVR) si gratuita: utrique formulæ postponitur nomen Pontificis initiali litera significatum, E. g. per I, si Innocentius, per A, si Alexander nominetur.

De Vice-Cancellario.

Et Vicecancellarii dignitas cuidam è Cardinalibus tribuitur. Ejus habitatio ordinaria est palatium Cancellariæ; munus vero in expediendis quibusvis literis Apostolicis consistit, iis tamen exceptis, quæ forma Brevis Apostolici sub annulo piscatoris expediuntur. Subsunt illi officiales quam plurimi. In Consistorio secreto decreta collationum dignitatis Cardinalitiæ, item declarationes promotionum, & collationum episcopatuum excipit, & huc spectantia observat.

De tribus Archipresbyteris.

Ternis in Vrbe Basilicis, Vaticanæ scilicet, Lateranensi, atque Esquilinæ terni Cardinales, inde Archipresbyteri dicti præficiuntur. Eorum dignitas amplissima est, & conferendi beneficia sua cuilibet in Ecclesia potestas. Cardinalis Archipresbyter S. Ioannis Lateranensis civilis judex, & criminalis est personarum dictam Basilicam ad certum spatium circumhabitantium.

De civili Pontificis jurisdictione & magistratibus eam exercentibus, ac primo de Cardinale Nepote.

Pontifices Romani ex certa quadam providentiæ ratione cœperunt ultimis sæculis nepotem ex fratre, sororeve, aut adoptivum titulo Cardinalis superintendentis universæ ditionis Pontificiæ, in societatem gubernandæ rei adsciscere. Hic Pontificio nomine ad Reges, Principes, Apostolicos Nuncios, aliosque, & scribit literas, & subscribit; quamobrem Secretarii Pontificii titulo quoque insignitur. Idem diplomata Papalia Gubernatoribus, Prætoribus, cæterisque regionis Pontificiæ magistratibus insinuanda subsignat. Eidem omnium Principum ad Romanam sedem Legati negociorum suorum reddere rationem tenentur; & administrationis suæ magistratus Romani. Huic amplissimo muneri Alexander Papa VII. Flavium Chisum ex fratre nepotem nostris temporibus admovit.

De Congregatione, quæ Consultatio appellatur de ditione Pontificia rite administranda.

Congregationi in qua de gubernanda regione Pontificia tractatur, Cardinalis nepos præesse solet. Ea componitur ex sex aut octo Cardinalibus, & pari numero Prælatorum, unoque, qui & à secretis Pontifici est, & Card. nepoti familiaris. Huic collegio Vicelegati omnes, Præfecti, Gubernatores, Prætores, tum reliqui officiales rerum majoris momenti, quæ tempore administrationis accidere, rationem reddere tenentur; ab eoque horum casuum decisio expectari debet. Provinciæ ditionis Pontificiæ seu gubernatio earum inter Prælatos huic congregationi intervenientes divisa est, & quisque sua negotia provinciæ proponit.

De Cardinale Camerario.

Cardinalis Camerarius Apostolicæ cameræ, seu ærarii supremus præfectus de omnibus rebus dictam cameram quoquo modo concernentibus aliquando solus cognoscit; plerumque clericis Cameræ in societatem judicii admissis. Sin autem Papali eum consistorio impediri contingat, deciduntur quidem res, subscribunturque à Cameræ clericis; sed tamen ejus sub nomine publicantur. Idem Card. Camerarius appellationum quoque judex est, quæ à decretis præsidum viarum fiunt; cum iisdem ædificiorum, viarum, & Pontium controversias dijudicat: per interregnum Pontificium Vaticanum incolit Palatium: in publicum procedens Helvetiorum cohorte stipatur, iidemque durante interregno ejus sunt corporis custodes. Monetam suo insignitam stemmate gentilitio cudi mandat, curatque mortuo Pontifice recipiendis Conclave Cardinalibus fabricari.

De Reverenda Camera Apostolica.

Collegium Reverendæ Cameræ Apostolicæ ex Cardinale Camerario, Vice-

ce-Camerario, Vrbis Gubernatore, Thesaurario generali, Auditore Cameræ, Advocato pauperum, Advocato Fisci, & Fisci Procuratore generali, & duodecim Cameræ Clericis componitur. Ex his Clericis quatuor, carcerum scilicet, viarum, rei frumentariæ, & reliquæ annonæ præfecti deliguntur. Iurisdictio Cameræ Apostolicæ complectitur causas omnes, ex quibus compendium aut dispendium Cameræ enasci potest. Itaque singularum regionis Pontificiæ Camerarum, & Sedis Apostolicæ redituum est judex; item feudorum Ecclesiasticorum ad eandem sedem pertinentium, spoliorum, rationum à ministris datarum dandarumque, cudendæ monetæ. Materiæ verò vectigalium aliarumque rerum à Cameræ Clericis promiscue deciduntur.

De Auditore Cameræ.

R. Cameræ Apostolicæ Auditor jurisdictionem habet universalem. nam est judex ordinarius aulæ Romanæ, ministrorum Pontificiorum, mercatorum, exterorum Romæ degentium, Baronum, Principum, Legatorum, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Cardinalium, & quarumcunque appellationum ex causis Ecclesiasticis provenientium. Præses vero Cameræ revidendis ærarii rationibus est constitutus. Est & Commissarius Cameræ, ad quem in causis civilibus pertinet interesse Cameræ tueri.

De Thesaurario generali.

Thesaurarius generalis de causis spoliorum Ecclesiasticorum, injuste perceptis fructibus, illicita negociatione cognoscit. Ei peculiaris cura exigendorum Cameræ redituum incumbit. Rationes à ministris mancipibusque vectigalium, decumanis, propolis, portitoribus, pecuariis, cæterisque redditas revidet, atque examinat earundem veritatem.

De Congregatione degli Sgradii & de bono regimine appellata.

Congregationi de bono regimine idem Nepos Cardinalis præsidet. Ad eam recurrunt subditi, communitatesque ob impositionem onerum graviorum, ad obtinendum provisiones præsentaneas, & litteras cum summaria decisione, seu manu regia. Est & congregatio de re tractans nummaria. Huic quatuor interveniunt Cardinales, tractantque cum de cudenda moneta, tum de peregrinæ monetæ receptione, aut prohibitione.

Urb. St. Eccl.

In Congregatione Aquarum, de Fluminum cursu, pontibus, ripis & his similibus agitur.

In Congregatione viarum ac fontium de modis aquæductus per Vrbem deducendis, restaurandis, dirigendisque viis tractatur, præside Cardinale Camerario.

De Gubernatore Vrbis Romanæ.

Gubernator Vrbis semper Prælatus Ecclesiasticus est, in Palatio, quod olim Cardinalis Nardini fuit, nunc Cameræ est Apostolicæ, perpetuo residens. Subsunt ei tanquam Prætori Vrbano minores judices civilium, & criminalium rerum notionem habentes, qui eodem cum ipso gubernatore in palatio habitant. Magna hujus muneris dignitas est, nunquam enim gubernator in publicum procedit, quin bipennigeris sive armatis custodibus corporis stipetur.

De Senatore, & Conservatoribus Vrbis.

Sæcularibus nobilibus, aut principibus viris Senatoriam, & Conservatoriam dignitatem Pontifices Romani solent conferre. Vnicus nunc Vrbis Senator in Capitolio residet, in memoriam veteris Senatus, penes quem summa rerum erat, quæ nunc penes ipsos Pontifices est. Iurisdictio ejus regione Capitolina terminatur. Subsunt eidem judices bini, primus, & secundus dicti. Conservatores sunt tres priscorum triumvirorum speciem repræsentantes in peculiari palatio Capitolii habitantes, ad quos tuendæ & conservandæ Vrbis cura pertinet, & in populum Romanum specialis jurisdictio. In eorum palatio mercatorum, fabrorum, sutorum, pistorum reliquorumque opificiorum collegia sive corpora congregantur.

De magistratibus militaribus, & primo de Generali Ecclesiæ, seu militiæ Apostolicæ supremo Præfecto.

Pontifex ducem terrestris militiæ suæ titulo Generalis S. R. E. creat ordinarie virum illustrem sæcularem, à quo privatim in cubiculo suo fidelitatis juramentum exigit; tum porrecto bacillo ejus confirmat authoritatem. Iurisdictio ejus in omnem regione Pontificia dispersum militem extenditur. Subsunt eidem quingenti officiales, & ultra. Binis generalibus Ferrariensi, atque Avenionensi facienda præscribit, arcibus, munimentisque ditionis Pontificiæ præfectos designat.

De generali Classis Papalis.

Præfectus classis Papalis Apostolico Brevi declaratur, præstaturque ab eo jura-

juramentum Pontifici, Thesaurario generali præsente. Dicto audientes habet singulorum triremium magistros, reliquosque maritimæ militiæ officiales. Id magnæ dignitatis officium est delatum hodie Bichio, Pontificis ex sorore nepoti, & Priori Ordinis Melitensis.

De Præfecto Arcis S. Angeli.

Et Arcis S. Angeli præfectus Brevi Pontificio nuncupatur. Ei subest Vicepræfectus munus præfecturæ exercens in præsidiarios milites, eorumque officiales.

De Præfecto custodum corporis Pontificis.

Excubiis quoque suis Papa generalem sive præfectum designat, ejusque Vicarium. Hic binis equitum turmis, & pedestri Helvetiorum cohorti præest.

De ministris atque officialibus Pontificiis plura scire cupientem ad libellum Romæ impressum, qui Relatio Aulæ Romanæ inscribitur, studio brevitatis remitto, pauca adhuc de Cardinalibus eorumque creatione, atque illustribus Vrbis Romanæ familiis dicturus; tum Coronidis loco de Anione fluvio, & tuenda Romæ valetudine.

De Cardinalibus, eorumque creatione.

Goldast. in collect. const. Imp.

Cardinalium dignitatem Fridericus Barbarossa scommatico licet rescripto abunde expressit hoc exordio: *Loquar ad dominos meos, quamvis sum pulvis & cinis, & jumentum factus sum apud vos: tamen homines, & jumenta salvabit Deus. Multiplicavit Deus misericordiam suam super vos, qui congregavit vos à quatuor ventis cœli; ut recumbatis cum Abraham in sinu Patris sui. Fecit vos lucem de luto, fecit vos aurum de luto, &c.* At numerus Cardinalium interdum septuagenario major est, minor etiam interdum juxta Pontificis Max. arbitrium, & creationem. Ordo eorum hic est; sex ex illis Episcopali dignitate præfulgent, quinquaginta Presbyteri sunt, & quatuordecim, pluresve Diaconi. Officium in assistendo publicas functiones obeunti Pontifici, potestas vero in eodem eligendo consistit.

Creatio Cardinalium his ferè ritibus peragitur. Primum futurus Cardinalis in publico consistorio à Pontifice nominatur; tum paucis post diebus in capellam Papalem deductus, rituque sollenni Cardinalitio pileo donatus ad Pontificis pedes, manus, vultumque exosculandum admittitur; dato postea singulis ex ordine Cardinalibus osculo pacis, & præstito collegis suis consueto juramento. Interea hymnus Te Deum laudamus, &c. musice canitur, recitaturque à quodam advocato consistoriali canonizationis Raymundi (ni fallor) oratio.

De illustribus Romanæ Vrbis familiis.

Equites Romani & Vrbis ornamentum sunt, & Sedis Apostolicæ firmamentum, ob egregias virtutes, & singulares animi dotes, queis cæteras nationes antecellunt, ut jure ex iis tot Summi Pontifices, tot purpurati patres delecti videantur. Quamobrem ad rem visum est pertinere, familiarum, unde hi proceres orti sunt, literalem ordinem pertexere. Sunt vero hæ sequentes:

Accoromboni.
Alberini.
Albertonii.
Aldobrandini, *Florentia oriundi: ex his Clemens* VIII, *Pont. Max. progenitus.*
Alessii.
Altempsii, *Duces.*
Americi.
Antoniniani.
Aragoni.
Aritiæ.
Arnandi.
Arrigoni.
Attavanti.
Avilæ.
Bagnareæ.
Bandini.
Barberini, *Florentia oriundi: ex iis Vrbanus* VIII, *Pont. Max. ortus, & Princeps Prænestes.*
Barzelloni.
Benzoni.
Biondi.
Bisciæ.
Boccamazzæ.
Bonaventuræ.
Boncompagni, *Bononia oriundi: ex his Gregorius* XIII, *& Dux Soranus.*
Bonzi.
Buccabellæ.
Buffali, *Marchiones.*
Burghesii, *ex his Paulus* V, *Pont. Max. & Princeps Sulmonensis.*
Cæsarini, *Duces Ceri & Aquæspartæ.*
Cæsii, *Duces.*
Caffarelli.
Cancellieri.
Capizuccæ.
Capoferrati.

Capo-

Capograffi.
Capranicæ.
Capucini.
Caraffæ, *ex his Paulus* IV, *Pont. Max.*
Carboni.
Cardonæ.
Cenci.
Cinquini.
Columnæ, *ex his Martinus* V, *Pont. Max. & Principes.*
Consiglieri.
Contesti.
Conti.
Corbaræ.
Corniæ, *Duces.*
Cosciani.
Crescentii.
Crispi.
Cuccini.
Cupisii.
Cybo, *ex his Innocentius* VIII, *Pont. M.*
Delphini.
Dracones.
Fachinetti.
Farnesii, *ex his Paulus* III, *Pont. Max. & Duces Parmæ, ac Placentiæ.*
Ferri.
Formati.
Forni.
Foschi.
Frangipani.
Gabrielli.
Gaëtani, *ex his Nicolaus* III, *& Bonifacius* VIII, *Pontt. Maxx. & Principes, & Duces Sermonetæ.*
Gallesii.
Galli.
Giacobacci.
Giambeccari.
Giochini.
Gottifredi.
Grandi.
Gratiani.
Gryphoni.
Incoronati.
Infesuræ.
Iulii.
Iustini.
Iustiniani, *Principes.*
Iuvenales.
Labi.
Lancellotti.
Laricci.
Lauri.
Leni.
Leonini.
Lilii.
Ludovisii, *Bononienses: ex hac familia Gregorius* XV, *Pont. Max. & Principes Venosæ & Plumbini.*
Macaroni.
Macarozzi.
Maddaleni.
Magistri.
Maidalchini.
Mancini.
Manticæ.
Maphæi.
Marcellini.
Margani.
Martoli.
Matthæi, *Duces.*
Maximi.
Mazarini.
Mazzatostæ.
Mazzoi.
Medici, *ex his Leo* X, *Clemens* VII, *& Leo* XI, *Pontt. Maxx.*
Mellini.
Micinelli.
Mignanelli.
Molariæ.
Mottini.
Musæ.
Muti, *Duces.*
Nari.
Nigri.
Nobili.
Palini.
Paloni.
Palosii.
Pamphilii, *Eugubienses origine: ex his Innocentius* X, *Pont. Max.*
Paoluzzelli.
Paoluzzi.
Paparoni.
Paravicini.
Patricii.
Peretti, sive Mont'-Alto, *ex hac familia Sixtus* V, *Pont. Max.*
Peruschi.
Petri-Leones.
Petri-Matthæi.
Petronii.
Piccolhomini, *ex his Pius* II, *&* III, *Pontt. Maxx. & Duces.*
Pichi.
Pinzoni.
Ponti.
Porcari.

del

del Pozzo.
Rapaccioli.
Raſſi.
Roſſi.
della Rovere, *ex his Sixtus* IV *& Iulius* II, *Pontt. Maxx.*
Sabelli, *ex his Honorius* IV, *Pont. Max. & Duces.*
Salviati, *Duces.*
Sanctæ crucis.
Sanguinii.
Saphi.
Serlupi.
Sforzæ, *Duces.*
Spadæ.
Spanocchi.
Stephanuzzi.
Strozzi, *Duces.*
Suardi.
Suatari.
Surdi.
Tari.
Tebaldeſchi.
Theodoli.
Tidelini.
Torreſii.
Trenſii.
Vallenſes.
Vanucii.
Vecciæ.
Velli.
Veralli.
Veroſpi.
Veſpoli.
Victorii.
Viperoſchi.
Vitelleſci.
Vitelli.
Vitignani.
Vrſini, *Principes.*
Zazzari, &c.

De fluvio Aniene. Tertio ab Vrbe lapide pons eſt *Anieni* impoſitus, integer adhuc à Narſete, ut inſcriptio longa docet. Ad hunc pontem ferunt *Annibalem* imbrium inundatione perterritum, ſoluta obſidione caſtra moviſſe ab Vrbe. Hic Anio inferius Tiberi miſcetur, ibique Titus Manlius *Torquatus* gigantem Gallum ſuperavit, & à collo torquem ex auro detraxit, unde & Torquati nomen adhæſit. Obſervandum, Tiberinam aquam pluribus annis incorruptam ſervari ſolitam, ſuaviſſimam & ſaluberrimam, quoties hauritur paulo ſupra Vrbem uſque ad mare. Accidit hoc ex miſtione Tiberis cum *Aniene*, quoniam hic aquas habet multo infectas nitro, quod ne putreſcant, prohibet. Quique Tiberim ſupra *Anienis* oſtia accolunt, utriuſque aquas Romano more, ne corrumpantur, miſcent. Inter *Anienis* arenas leguntur amygdala, aniſum, feniculum, aliaque in petram verſa, ut in Romanorum conviviis in deliciis ſint, ludantque arripientes, putantes ſe dulciaria tragemata arripere, vocanturque paſſim *Confetti de Tivoli.* Superioribus quoque annis corporis cadaver humani cæſum, & in flumen *Anienem* projectum, arboris radici adhærens, in lapidem converſum eſt, & à putrefactione alienum, ut *Titus Celſus,* Patricius Romanus, à ſe viſum affirmat.

Romanæ Vrbis colles, quos ſaluberrimos Livius appellat, quemadmodum rubrica *de Situ* Vrbis meminimus, ob immutatum tot cavernis, & ſubterraneis meatibus aërem longè aliter hac tempeſtate affecti ſunt. Nam cœlum grave, atque intemperans Vrbem totam, colles pariter valloſque infeſtat: quare niſi lucente ſole ſuaſerim in apricum te prodire; quippe matutinum aërem, ac veſpertinum; nocturnum verò multò majore tuo periculo hoſpes ſentias. Vt non minus verè, quam utiliter edixerit, quiſquis ſequentes verſus in æde ſacra S. Mariæ ſupra Minervam ſcriptos compoſuit:

Enecat inſolitos reſidentes peſſimus aër
Romanus, ſolitos non benè ratus habet.
Hìc tu quo vivas, lux ſeptima det medicinam,
Abſit odor fœdus, ſitque labor levior.
Pelle famem, frigus: fructus, ſemurque relinque
Nec placeat gelido fonte levare ſitim.

Cæterum de ordine in cibis Romæ ſervando conſule Marſilium Cognatum ad 4 var. lect. libros. & de tuenda ibidem valetudine, Alexandrum Petronium, Medicum Romanum.

ANCONA.

Nomen. *Situs.* ANCONA portu celebri notissima ad mare Adriaticum posita civitas in ea Italiæ parte, quæ quondam Picenum, nunc *Marchia Anconitana* ab ea appellatur, sedet in angusto duorum promontoriorum, ex diverso coëuntium inflexi cubiti imagine, sive, ut Plinius scribit, *in ipso flectentis se oræ cubito.* Eam primum Picenam vocabulo Hetrusco nominatam Cato perhibet. *Fundatores.* At Strabo Græcam urbem; & à Syracusanis, qui Dores origine, Dionysii tyrannidem fugientibus anno ante Christum natum quadringentesimo sexto constructam communis est autorum sententia. *Origo.* Cæterum de hujus civitatis origine judicare distinctius Leander Alberti videtur, conciliando autorum varietatem hac ratione, ut Doricos Græcos à fundamentis primum urbem Anconitanam cœpisse exstruere; posteaque Syracusanos, aut Siculos eandem auctiorem reddidisse asseveret. Quidam tamen, ut Papias, Carinusque historici scripserunt, Anconam Dolopes Thessaliæ populos; alii Ancum Martium regem Romanum ædificasse prodiderunt: sed quia nihil soliditatis hæ sententiæ habere videntur, fidem earum apud autores relinquimus.

Termini. Olim Ancona inter Gallicas, Italicasque gentes quasi terminus interfuit: etenim, ut Mela tradit, Italia hic finiebatur, incipiebantque Galli Senones cum Gallia togata.

Anconam etiam Romanis è coloniis unam fuisse ex Plinio constat, & subscriptione statuæ C. Salleo Aristaneio ab Anconitanis erectæ:

Subscriptio statuæ. DECVRIONES, ET PLEBS COLONIÆ ANCONITANORVM.

Sed quo tempore Romani cives suos ad hanc civitatem habitandam miserint, non satis liquet. Verosimile est, post Tarentinum bellum circa annum Romæ conditæ quadringentesimum octuagesimum quintum, devictis à P. Sempronio Consule Picentibus, Italiæque terminis ad Æsim amnem usque propinquum Anconæ fluvium prolatis, Anconam in limitibus colonos fuisse deductos. Ancona, quemadmodum in historiis relegimus, sub Romanorum tutela usque ad Gothorum in Italia dominatum maxime floruit, *Romanis subjecta, Gothis.* à quibus pertinaciter obsessam tandem opidanorum virtute, & Cononis præfecti (quem Iustinianus Imperator cum præsidio urbi imposuerat) *obsidio.* captis licet disjectisque Gothorum vi suburbiis, est obsidione liberata, quemadmodum à Procopio, Blondoque traditur: qui alio quoque loco referunt apud Anconam Legatos Narsetis classem Gothicam superasse navium quadraginta septem, è quibus denæ solum fuga elapsæ, reliquis aut captis, aut depressis: cum Romana classis tantum navium triginta fuisset. Post Gothorum dominatum Longobardi Anconam tenuere, *Longobardis.* & cum Marchiones Provinciam Anconitanam administrantes in hac civitate sedem ac domicilium fixissent, universus ager Anconitanus ab his Marchia Anconitana est appellata. Expulsis deinde tota Italia Longobardis, Ancona cum cæteris Italiæ civitatibus ad Imperium Germanorum *Germanis.* rediit Imperatorum. Sed regnante Lothario Imp. & Sergio clavum Pontificatus tenente cum esset Saracenorum crudelitate excisa, superstites ex tantis malis opidani eam reædificarunt; auctaque deinde novis opibus, novisque incolis Ancona libera civitas esse cœpit; *Libera.* tantusque fuit in retinenda libertate civium consensus, ut paucorum hominum magistratum pauci quibus id negotii datum erat, clam aliis omnibus quotannis crearent, qui excubare pro Republica, debebat, & ne perniciosa adversus eam consilia inirentur, summo studio curaque indagare, ac si quid forte mali fuisset subortum, id ad illos defe-

ANCONA.

Esplicatione delle cose notabili nella famosissima Città d' Ancona.

- a. Baluardo del Cassaro.
- b. La Muccia.
- c. Porta del calamo.
- d. P. Vecchia di S. Pietro.
- e. La Citadella.
- f. La Rocca.
- g. Porta d' Capo d' monte.
- h. Le Fornaci.
- i. Lazaretto vecchio, e nuo:vo
- k. Porta del Lazaretto.

- l. Magazeni.
- m. Portella per navilij.
- n. Portella de S. Agostino.
- o. Baluardo de S. Agostino.
- p. La Piazza del Mercato.
- q. Il Pallazzo del Governa:tore
- r. La Piazza de S. Nicolao.
- s. Il Pallazzo del Barzello.
- t. La Piazza de Mag.ci SS.ri Anciani.

- v. Il Pallazzo de Mag.ci S.ri Anciani.
- x. Il Pallazzo del S.or Angelo Feretti.
- y. Monte Guascho.
- z. Doue si pone le mercantie sospette.
- A. L' Arsenale.
- B. Cavaliero dell' Arsenale.
- C. L' Arco Trajano.

- D. La Lanterna.
- E. Il Bastardo revelino del Porto.
- F. La Porta del Porto.
- G. Cavaliero di S. Primiano.
- H. Pallazzo di M. Pasqual Bonarelli.
- I. Portella di Pier grego.
- K. Pallazzo di M. Nicolò Todini.

- L. Pal. del Troglioni.
- M. Portella toroleoni.
- N. Portella nuova.
- O. Portella.
- P. La Loggia de mercanti.
- Q. Portella della loggia.
- R. Portella della Becaria.
- S. Porta Pia.
- T. Pal.zo d. M. Nicolò Todini.

1. S. Ciriaco, domo e Vesco.to
2. S. Biasio.
3. S. Maria di Loreto.
4. Il Carmine.
5. S. Girolamo.
6. S. Bartolomeo nuovo.
7. S. Bartolomeo vecchio monasterio.
8. S. Maria nuova.
9. S. Catarina.
10. S. Paulo.
11. S. Antonio.
12. S. Sebastiano.
13. L' Hospitale dtt. c.a della morte.
14. S. Anna.
15. S. Francesco.
16. L' Hospitale vecchio.
17. S. Pelegrino.
18. S. Nestasia.
19. S. M.a della misericordia.
20. S. Spirito.
21. S. Primiano.
22. S. Georgio.
23. S. Pietro.
24. S. Dominico.
25. La Incoronata.
26. S. Gilio.
27. S. M.a della Piazza.
28. S. Maria miser.a e morta.
29. S. Nicolao.
30. Il Corpo di Christo.
31. S. Rocco.
32. S. Agostino.
33. S. Zeno.
34. S. Iacomo.
35. La nonciata ospetale.
36. S. Francesco, zocoli.
37. S. Martino.
38. S. Maria belvedere.
39. S. Marco.
40. S. Lucia.
41. S. Claudio, badia.
42. S. Giovanni.
43. S. Allò.
44. S. Giouanni decollato.
45. S. Crispino.

deferebatur, qui erant libertati defendendæ constituti. Hac ratione Anconitani affectatum à summis Pontificibus civitatis suæ dominium diuturno tempore elusere; donec anno à partu virgineo millesimo quingentesimo trigesimo secundo Bernardini Barbæ Casalensis Episcopi prudentia doloque, Ludovici Gonzagæ Clementis Papæ Septimi copiis præfecti sua Anconitani libertate imprudentes exuerentur. Illi haud invitis opidanis patientibusque urbem suam adversus hostes, alieno labore sumptuque muniri, cœptum extrui Anconæ munimentum, quo scilicet infestantes mare vicinum Turcæ piratæque arcerentur, cùm eo perduxissent, ut jam aptum habitationi videretur, præsidio militum, bellicisque machinis munitiorem se reddituros arcem simulantes ipsam civitatem expugnaverunt. Comperta fraude Anconitani cum resistendo non essent, (nam juventus omnis ferendis armis idonea pari facilitate fraudis inducta. Laureto Anconam venturo Pontificio Legato honoris gratia obviam processerat) in suas quique domos Curia deserta confugerunt; quam ex templo Barba admotis copiis machinisque communivit, relegatis in varia loca urbis primoribus, & quibusdam Romam missis. *Romanis Pontt. obediens.* Ab eo tempore Romanis Ancona Pontificibus dicto audiens fuit, qui etiam nunc datis gubernatoribus eidem dominantur.

Opulentia. Cæterum Ancona magnificentiâ ædificiorum, opulentia civium, & multitudine incolentium haud inter postremas Italiæ civitates censenda longissimis viis, sed angustis frequens habitatur; estque Græcorum, Illyricorum, Pannoniorum, imo cunctorum fere Europæorum negociationibus celebrata. Senis propugnaculis Pauli III Pont. impensa contra Turcarum incursiones exstructis superbit, quæ bellicis singula tormentis probe instructa vulgari idiomate his nominibus appellantur: Il Ribellino del porto, il Cavalliero di S. Stephano, la Fortezza del Cassaro, el Cavalliero de la porta del Palamo, il Ribellino di S. Augostino & il Lazaretto. *Arx.* Munita præterea est Ancona arce validissima, quæ subjectam cum portu urbem tutatur. *Portus.* Sed nimirum portus ille quoties tuis occurret oculis, hospes, trahet animum tuum ad se. I, & è propinquo speculare adeo universorum encomiis celebratum, orbis terrarum pulcherrimum, tantopere olim à Romanis exornatum. Ornamentorum tamen potissimam partem abesse comperies: marmorea septa, quibus olim communitus erat, corrupta interruptaque videbis: gradus lapideos disjectos, porticus è medio ejus penitus sublatas. Sed aspicies insigne quidpiam, quod ipsi Romæ invidiæ sit: *Arcum* inquam ex immanibus marmoribus compositum, mediæ moli, quæ munimento portus projecta in mare est, impositum. *Arcus.*

Ornamenta. Non effictas in eo imagines, ut in Romanis arcubus, non sculpturæ quidem miracula notabis, quæ deciderunt, aut detracta ab hostili manu fuerunt; in Arcu certe fuerunt, ut multi existimant, indicantque vacua spatia & locelli, in quibus marmorea sigilla, & id genus parerga dubio procul fixa fuere. Sed quis corporis venustatem à vestimentis æstimet? ita hoc opus nudatum licet spoliatumque suis ornamentis ob structuræ elegantiam, & marmorum vastitatem est admirabile. Pighius in Prodicio Hercule, quo Italiæ spectacula omnium elegantissime descripsit, multus est in hoc arcu laudando, & architecturæ pulchritudinem ex eo potissimum æstimat, quod operis universi membra, nec non ornamentorum partes omnes, stylobatæ nimirum, & spiræ columnarum, capitulorumque quoque abaci, plinthi, echini, flores ac teniæ; fastigii item, & apsidum projecturæ, fasciæ, coronæ, zophori, triglyphi, cimatia, simæ; ad hæc titulorum tabulæ, & quidquid est appendicum, quibus honorarius similis arcus convestiri solet, ex vastis marmorum quadris, è quibus tota moles constat, adamussim expolita sint, tamque concinne coagmentata; ut inter quadrorum commissuras ne cultelli quidem mucronem liceat inserere: adeoque ex uno Parii montis saxo integer arcus excisus à longe videatur. Apparent in fronte ejus supra apsidem notæ literarum, quas ex ære inauratasque excidisse, aut vi extractas fuisse



ARCVS ANCONITANVS.

Al Molto Ill.re Sig.re e Prone oss.mo
il Sig.re BALTHASAR VAN DER GOES,
Dedica affettuosam.te questo disegno
Gio. Blaeu.

fuisse credibile est: sed vestigia literarum adhuc vices earum gerunt, indicantque haud obscure, cur Trajano Imperatori, ejusdemque conjugi Plotinæ Augustæ, & sorori Marcianæ jam tum inter Divas relatæ hic magni ac præclarissimi operis arcus oculatissimo, ut Plinius ait, loco erectus fuerit. Inscriptio frontis hæc est. *Plinius.*

Inscriptio.

IMP. CAESARI DIVI NERVÆ. F. NERVAE.
TRAIANO. OPTIMO. AVG. GERMANICO.
DACICO. PONT. MAX. TR. POT. XIX.
IMP. IX. COS. VI. PP. PROVIDENTISSIMO PRINCIPI
S. P. Q. R.
QVOD ACCESSVM ITALIAE HOC ETIAM ADDITO
EX PECVNIA SVA PORTV TVTIOREM
NAVIGANTIBVS REDDIDERIT.

Inscriptio dexteri lateris:

PLOTINAE AVG.
CONIVGI AVG.

Inscriptio lateris sinistri.

DIVÆ MARCIANAE
SORORI AVG.

Ergo portum Trajanus Imperator perfecit, etsi natura ad eum modum disposuerit, ut ornari quidem humana arte potuisse videatur, vix melior fieri. Sane plures natura portus pulcherrimæ regioni Italiæ concessit, ita numeris omnibus absolutum, ut est hic Anconitanus, pene nusquam terrarum. Circumflectitur secundum littus instar contracti cubiti, & tam magnitudine, quam opportunitate unicus hoc versu celebratur:

Unus Petrus in Roma:
Una Turris in Cremona:
Unus Portus in Ancona.

Non detrectabis scandere excelsum illud Anconæ imminens promontorium, quod Plinio Cumerium est, vulgo monte Guasco, cui impositum *S. Cyriaci* fanum, marmoreis postibus, præterea vix aliquo ornatu insigne: at religione profecto clarissimum & summe venerandum; quam conciliant plurima Divorum corpora in subterraneo delubro condita: Principis præsidisque templi *Cyriaci*, *Marcellini*, *Liberii & Gallatiæ* virginis ac martyris. In ipso fano, ut alia taceam, *D. Antonii Fatati* ab annis amplius quadringentis incorruptum corpus, & *Hieronymi Thomasii* sacra ossa servantur; ambo Patricii Anconitani fuere. In eodem promontorio Veneris ædem olim fuisse Iuvenalis hoc versu insinuat: *S. Cyriaci fanum.* *Reliquiæ.* *Veneris ædes.*

Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon.

cujus tamen nulla hodie extant vestigia.

Ex vertice hujus promontorii spatiosa maris æquora speculare, urbis, portusque situm, ac curvaturam. Monstrantur hinc vicinæ civitates atque opida cum castellis quam plurimis. Sub promontorio ad littus *Sirolum*, nobili vino celebre, quod à Plino *vinum Anconitanum* appellatur, & inter generosa Italiæ numeratur. Inter Apennini juga *Vrbini* & *Auximi* aliorumque opidorum situs declarantur: *Cingulum T. Labieni* ad Musonis fluenta in colle positum quoque observabis, qui C. Cæsaris Proconsf. Legatus in Galliis diuturno bello tot opes congesserat, ut opidum hoc privata impensa condiderit. Invidiosas ejus opes taxant Cicero, & Valerius Max. Silius, & Dio Nicæus, aliique. Ad agrum quoque Anconitanum oculos converte, qui vitium olearumque fertilitate, frumenti abundantia, cæterorumque fructuum ubertate præstantissimus est. *Vinum Anconitanum.* *Ager Anconitanus.*

Sat-

Ædes S. Francisci. Satiatus jam ſuburbanis deliciis in urbem deſcende, ejuſque templa, quibus non minus ac privatis, publiciſque domibus ſplendida eſt, diligentiſſimè perluſtra.

In S. Franciſci æde, cui, à ſcala cognomen, quod ſexagenis ad eam gradibus aſcendatur, Benvenuti Straccæ non incelebris Iureconſulti monumentum ad fores templi extructum notabis. In S. Dominici æde leges M. Marulli monumentum cum hoc elogio:

M. Marulli Elogium ſepulchrale.

MANILIO MARVLLO
CONSTANTINOPOLITANO,
VETVSTO MARVLLORVM GENERE NATO,
QVI EX DD. GORDIANIS MARVLLIS ROM. IMPP.
ORIGINEM DVCVNT,
OMNIBVS VIRTVTIBVS HONESTISQVE MORIBVS PRÆDITO,
A TVRCIS AMPLISSIMIS FORTVNIS SPOLIATO,
PATRIAQVE EIECTO,
SVMMIS MAGISTRATIBVS LEGATIONIBVSQVE,
VARIIS TERRA MARIQVE LABORIBVS,
VITA DENIQVE IDIBVS NOVEMBRIS ANCONÆ
DEFVNCTO, PHILIPPVS THEODORVSQVE
FILII PARENTI PIENTISSIMO,
QVI VIXIT ANNIS XCV. POS.
ANNO SALVTIS MCCCC.

Siti ſunt ibidem Philippus, & Marullus pater ejus, & uxor Euphroſyne Tarchaniota, cum patre Michaële, & Paulo fratre Tarchaniotis.

In cæteris templis Divorum reliquias, ac donaria pretioſa pietatis ergo conſervata cum reliquo ornamentorum genere obſervabis, & adſita templis cœnobia ſexus utriuſque. *Cœnobia.* Ex profanis ædificiis ſpectanda *Baſilica mercatorum* ob elegantem ſtructuram, ac proſpectum ex ea per ampliſſimum maris ſinum jucundiſſimum. Item *Gubernatoris ſeu præfecti Anconitani palatium* ad forum ædificatum, & Priorum, quos vulgari idiomate Antianos appellant, *Curia* publicis congreſſibus deſtinata cum armamentario ſub Promontorio Cumerio ad mare exſtructo, laxitate ſua conſpiciendo. Inter privatorum domos ſplendore conſpicuæ ſunt Paſchalis Bonarelli, Nicolai Tudertini, atque Angeli Ferettii ædes.

Illuſtres familiæ. Celebre quidem Ancona emporium eſt; ſed & familiis nobilibus illuſtris, quarum ordinem Alphabeticum ſubjiciam. Sunt vero hæ ſequentes: *Agliorum, Baleſtrierorum, Bonarellorum, Bonpianorum, Carolorum, Curſorum, Ægidiorum, Ferdinorum, Ferrantinorum, Ferettorum, Freduciorum, Gratioſorum, Leonum, Martinozzorum, Melioratorum, Mocciarellorum, Della Pera, Picorum, Pizzonum, Saracenorum, Scacorum, Thomaſſorum, & Triumphorum.* Magnus etiam apud Anconitanos ſemper fuit egregiorum proventus virorum. Ex his præſtanti doctrina nominis immortalitatem conſecuti ſunt, *Auguſtinus* ex Eremitarum ordine Theologus doctiſſimus, editiſque in lucem ſcriptis clariſſimus. *Auguſtinus de Ancona.* *Franciſcus* item, & *Nicolaus Stalamontii*, utriuſque juris conſultiſſimi, & Latinis literis ad elegantiam eruditi: *Franc. & Nic. Stalamontii.* nec non *Cyriacus* omnium rerum memorabilium totiuſque antiquitatis indagator ſtrenuus, qui indefeſſo labore ea quæ literarum celebrata monumentis ſciebat, veluti theatra, amphitheatra, circos, tymbos, Obeliſcos, pyramides, ſtatuas, tabulas cum epitaphiis, arcus, templa, porticus, ac id genus alia non ſolum ipſe oculis conſpexit; verum *Cyriacus.*

etiam exacta pictura reddidit, expressitque. Rogatus autem cur in his rebus tam studiose versaretur: *ut mortuos excitem*, respondit; dicto hercle tanto viro dignissimo. Tam multa scriptis congessit, ut *Petrus Rassanus*, qui Cyriaco usus est valde familiariter, tria se ingentia volumina manu ejus exarata, depictaque vidisse affirmet: quarum antiquitatum partem in Germania Petrus Appianus, & Bartholomæus Amantius anno post Christum natum 1534. typis ediderunt. Alios præterea summos viros Ancona produxit, quorum nomina cum oblivione sint obliterata, & à nobis sileantur necesse est. *Iulianus* tamen *Sarracenus* vir doctissimus juxta, & humanissimus, ac Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Anconitanæ, quæ D. Cyriaco hujus loci quondam Episcopo, quem opidani *patronum* venerantur, dicata est, cum adhuc forte in viventium numero sit, inprimis est memorandus ob egregias virtutes, & præstantes animi dotes; tum quod rerum ab Anconitanis pace belloque gestarum accuratam texere historiam meditetur.

Iulianus Saracenus.

Postrema Anconitanorum laus esse videtur, quod Silii Poëtæ Italici temporibus, & forte multo ante ejus tempora purpura tingi Anconæ solita fuerit, quemadmodum hoc versu idem Poëta insinuat:

Purpura Anconæ tingi solita.

Stat fucare colus, nec Sidone vilior Ancon,
Murice nec Lybico.

Ad quem tamen locum Marsus notavit, purpuram maxime ternos populos tinxisse, Phœnices, Lybicos, & Lacones; quodque idem Anconitani fecerint, id præter Silium tradidisse neminem.

AQVA-

AQVAPENDENS.

AQuapendens Thusciæ opidum Pontificiæ ditionis est. *Nomina.* Ptolemæo *Aquula* dictum, ut Volaterranus, & non nemo præterea existimat; Phil. Venut. *Aquicula*; Franc. Bent. usitatiore vocabulo *Aquapendens*, inde fortassis, quod in præcelsa rupe quasi pendulum sit, & aquis insigniter scatens, quæ inter asperas rupes data via præcipitantur. *Situs.* Porro situm est via, qua Sena Romam iter est, Vulsiniensem lacum inter & *Palliam* amnem, cui haud longule ab opido saxeus pons *Pons.* seno fornice impositus est jussu Gregorii tertii decimi Pont. Max. quemadmodum inscriptum ponti distichon, & incisa lapidi Pontificalia insignia commonstrant:

Omnia dic læta eveniant & fausta viator
GREGORIO, *tutum qui tibi fecit iter.*

Fundatores. Cæterum à Longobardis exstructum fertur ex Amiternæ & vicinorum opidorum ruinis; ampliatumque deinde quam plurimis ædificiis Carolo Primo rege Neapoleos procurante.

Adhæc frequens colitur & habitatur, *Ædificia.* atque ob elegantem templorum, palatiorum, cæterarumque ædium structuram proxime ad urbanam magnificentiam accedit.

Multa hic sunt, ad quæ peregrinantes curiositatis oculos adjiciunt. Sed cum per singula volverint, præ cæteris ad- *Monumentum.* mirantur opus illud, quod Ierosolymitano Christi Domini nostri monumento consimile singulari est opera artificioque perfectum.

De Aquiculanis hic versus Italicus circumfertur:

Aqua pendente
Elogium. *Buon pane, buon vino, mala gente.*

cujus veritatem male morati opidani testantur. At vero *Hieronymus Fabricius* *Hieron. Fabricius celebris Anatomicus.* Aquiculanus seu Aquapendente natus, celebris apud Patavinos Anatomicus omnium popularium suorum laudes supergressus & moribus cultissimus fuit, & doctrina præstantissimus. unde de illo hoc distichon compositum est:

Martia Fabricio jactat se nomine Roma;
Pendula Fabricios tu quoque gignis aqua.

Hic cum annos ferme quinquaginta Patavii scientiam anatomicam facilitate admirabili docuisset, magnis interea opibus cumulatus, sibi suæque genti (cui ab Aquapendente patrio opido nomen imponi jussit) dignitatem equestrem præmium virtutis amplissimum adeptus est, & patriæ suæ gloriam peperit immortalem.

Aquiculani moribus licet inculti sint, *Mores.* & vita horrida, hospitibus tamen suis, qui (quod hac Romam iter sit) crebro adveniunt, æquo pretio vinum patrium apium seu muscatellum dictum notæ melioris libentes propinant, & edulia iisdem præbent cum boni succi, tum etiam copiosa. unde in proverbii consuetudinem venit supra recitatus versiculus:

Aqua pendente buon pane, buon vino, &c.

Cæterum in eo tempore quo à relegatis seu exulibus, quos vulgo banditos dicunt, Italiæ regiones vastabantur, plena quidem periculis erant omnia; sed præ cæteris locis Aquiculanorum mon- *Latrocinia.* tium juga adsiduis prædationibus & latrociniis infesta cœperunt per ora hominum celebrari. His quidem tum malis Sixtus Quintus Pont. occurrit, præsidia passim collocando, quæ si continuata fuissent, major esset viantibus securitas, quam quidam ex Romipetis non ita diu damnosa experientia cognoverunt.

De amne seu torrente Palia, qui mo- *Palia fl.* dico Aquiculam spatio præterfluit, quoniam persæpe mentio illius incidit, isthæc habeto. Impedito alveo est, nec admodum salutaris iis locis, quæ præterlabitur; sæpe subitas excursiones facit, undisque suis involvit, quodcunque obvium atque opportunum est.

Exit è Rodicofani cautibus, & celeri cursu mediam fere regionem intersecans, denique Tiberi miscetur. Hunc amnem Cato Peliam, at tabula Itinera-

La Madona de'i Incarcerati
PAGLIA FIVME
ACQVAPENDENTE.
1. S. Trinità.
2. Porta S. Sepolchro.
3. S. Sepolchro.
4. S. Pietro.
5. S. Agostino.
6. S. Maria del fiore.
7. Porta del fiore.
8. S. Victoria
9. Piazza principale.
10. Fontana.
11. S. Angelo.
12. Porta di S. Angelo.
13. S. Lorenzo.
14. Porta del masaro.
15. S. Chiara monastero di monache
16. S. Francesco.
17. S. Giouani decollato.
18. S. Leonardo.
19. Porta S. Leonardo.
20. S. Giouanni.
21. Palazzo di Casa Sforza.
22. Monasterio de i P.P. Capucini.
23. Porta della Ripa.
24. Castel Novo.
25. S. Ma. in porte nebiano.
26. Sancto Iacomo.
27. Ponte della Paglia.

ria vetus Paliam nominat; Plinius Prilam aut Prilim, ut Volaterrano placet; ſed adverſatur Leander Albertus,& Plinianum Prillim alibi ſtatuit, vicinum mari atque in ipſo deſinentem.

Sentina. Quarto ab Aquapendente milliari Senam verſus *Sentina* fuit, Caſtellum à Catone memoratum, quo loco cujuſdam pontis lapidei adhuc extant veſtigia. illo Pallia fluvius olim tranſibatur; at nunc vado ſuperandus eſt. nec multo poſt, cum jam latiori alveo vagari Pallia incipit, lapideo inſigni ponte iterum tranſitur; quem Gregorius tertius decimus extrui curavit, ut ſupra diximus. Ab Aquapendente Romam verſus aliquamdiu æquum iter eſt, donec in vallem ſaxoſo tramite te demiſeris, cujus maximam partem *Lacus*: reliquam campeſtrem oram,& qui proxime ſub montibus, è quibus deſcenditur, habitant, S. Laurentii (quod opiduli nomen eſt) incolæ, & qui in capite lacus ſiti ſunt Volſinienſes vocantur. Opidum ipſum appoſitum lacui *Bolſena* dicitur, haud obſcurum aut infrequens, veſtigiis antiquæ urbis Volſinenſium, quæ ex Hetruriæ duodecim primis una fuit, inædificatum. Equidem ſuperſunt veteris urbis haud pauca monumenta; marmoreæ tabulæ priſcis literis notatæ, & plures in Divæ Chriſtinæ templo, quod Bolſenæ eſt, vetuſti lapides. Sed plura de lacu Volſinio ejuſque inſulis atque ipſo opido Bolſena alio loco dicemus.

ARX-

ARX-CONTRARIA,

SEV

ROCCA CONTRADA.

ARx *contraria* sæpissime à Blondo memorata, vulgo *Rocca Contrada* castellum vetus est Marchiæ Anconitanæ, *Situs.* positum sub Apennini jugis, qua parte versus Senæ-Galliæ territorium mare Adriaticum spectant, qui locus PULCHRI VISUS, vulgo Belvedere nomen accepit, quod ex eo in subjectum agrum *Nomen.* & colles amœnissimos; item opida, & castella complura prospectus sit longe jucundissimus. Ipsum castellum natura & arte munitum *arx indubitatæ fortitudinis* seu *invictissima* appellatur. Dicitur *Contrada*, quod nomen Italicum est Latine plateam seu vicum significans, à forma, qua initio fuisse videtur: ab aliis *Contraria* appellatur, quasi è regione montium seu montibus oppositum. At vero *Rocca* antiquissima vox est Longobardica, (ut observatum Buxhornio) arcem seu editam rupem denotans. Situs hujus Castelli incolentibus salubritatem cum incredibili miscet amœnitate; ædificatum est enim in molli & aprico, separatoque quaquaversum colle; protegiturque binis utrimque montibus altissimis, non longius globi tormentarii emissione dissitis, quibus veluti duabus arcibus munitum alarum in modum redditur invictissimum.

Modicæ amplitudinis est, validissimis muris, quinisque portis conclusum: minus quidem frequenter colitur, & habitatur; sed tamen ob singularem loci *Loci amœnitas.* amœnitatem est æstivum equestris ordinis virorum domicilium, qui huc frequentes ad æstivandum proficiscuntur. Nam & habet abundantiam aquarum cum frigore erumpentium, limpiditate admirabili; & vinum oppidò bonum: præterea aër est ei salutaris & clemens; quamobrem acutiora incolentium ingenia sunt, quam eorum qui utuntur *Mores.* crasso cælo atque concreto: etenim memoriæ proditum est, Roccenses cum loci munimine, tum magnitudine animi fretos exterorum vim exercituum à mœnibus suis, projectis in irrumpentes lapidibus, non semel propulsasse; occlusisque viis prohibuisse finitimorum vastationem opidorum. Igitur jure quodam suo Arx-contraria castellum Romanæ propugnaculum Ecclesiæ indigetatur, sub cujus signis immobile semper stetit, fixumque stat etiam nunc, crucem Christi cum Petri *Insignia.* clavibus sua ostentans insignia; & præter hæc templa decore magnifica, & palatia structura eleganti. Idem castellum in majori celebritate positum est ab Angelo cognomento Rocca Epis- *Angelus Rocca.* copo Tagestano, & Sacrista Pontificio, viro omnibus (ut ajunt) numeris absoluto. Hic Arcis-contrariæ patriæ suæ gloriam cupiens diffundere, vivam imaginem ejus in æs incidi publicarique curavit, quum deinde luculenta de ejus ortu ac incremento compositione eleganter prosecutus est. Restat ut de *Vicina opida.* vicinis opidulis, quod alibi forte occasio defutura sit, nonnihil dicamus. Ex eorum numero Saxoferratum opidum *Saxoferratum.* est, propter cujus mœnia Sentinus fluvius recepto Misa auctior dilabitur; *Sentinus fluvius.* Id quosdam à cavernis seu fodinis ferrariis, quæ olim hic fuerunt, atque etiamnum manifesto apparent, ita dictum existimare Perottus refert. Sane celeberrimum est *Bartoli juris lucernæ* or- *Bartolus I. C.* tu. cujus æterno nomine omnes omnium regionum scholæ curiæque resonant. Hic divitiis & honoribus cumulatissime ornatus, tandem vita functus est ætatis anno quinquagesimo, post Christum natum millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio. Perusiæ situs in cœnobii Franciscanorum medio Ædis, sepulcro pavimento æquali,

ROCCA CONTRADA.

1. Cassaro.
2. Porta di S. Agostino.
3. Porta di S. Rocco
4. Porta del Sasso
5. Porta di S. Pietro
6. S. Medardo, Collegiata
7. Sa. Maria del soccorso' Conv. di S. Agostino.
8. S. Francesco
9. S. Giouanni, Paròchia
10. St. Agata, Monasterio
11. S. Bastiano, Monasterio
12. S. Lucia, Monasterio
13. Sa. Catarina
14. S. Agostino.
15. S. Ianne, Fraternità del Sacram.
16. S. Maria maggiore, Fraternità
17. Compagnia della Morte
18. S. Maria del figliolo
19. Sta. Anna
20. S. Spirito
21. S. Roccho
22. S. Iacomo
23. Vescouato
24. Palazzo dè Priori
25. Palazzo del Podestà
26. Hospitale
27. Piazza ò Mercatale col pozzo
28. Pozzo del Tribio
29. Belveder, ò la veduta
30. Il Girone
31. Monte S. Angelo cō la Chiesa
32. Monte della Giustitia
33. Pozzo di S. Giouanni

AAAA. Strada Principale
BBB. Strada di mezzo.
CCC. Strada di sotto.

Scala di Canne 10 ogni Canna son 10 piedi di questa misura.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

marmoreque occluso, quod in ambitu descriptum ejus epitaphium habet. Præterea Saxoferratum Alexander Eremitani ordinis homo literatus, ob virtutes, quibus excelluit, à Pio I. Pontifice, Cardinalis creatus, ac Romæ in D. Augustini æde sepultus, illustravit. itemque Nicolaus Perottus Sipontinus Antistes, Latinis, Græcisque literis apprime eruditus. Supra Saxumferratum intervallo duorum stadiorum ad Sentinum, de quo dixi, amnem ex Apennino descendentem, in via, quæ *Fossatum* ducit, *Sentini* antiqui opidi à vicino flumine dicti vestigia reperies. In agro Sentini celeberrima illa pugna Romanorum, contra Samnies, Gallos, Vmbros ac Hetruscos Fabio Maximo Decioque Coss. commissa est, cæsis hostium millibus viginti quatuor, & octo millibus captis; ex Romanis vero octo millia tantum & trecenti occubuere. Sentinum deinde Longobardorum armis excisum Saxoferrati condendi causam fuisse, Procopii & Blondi persuadet auctoritas.

Alex. Erem.

Nicolaus Perottus.

ARIMINVM.

Ariminum Flaminiæ sive Romanulæ opidum pervetustum, Vmbrorum primum Colonia, ut Basilius Faber notat in suo thesauro eruditionis scholasticæ; tum Romanorum expulsis Vmbris factum est municipium, Livio, ac Strabone autoribus; quorum ille Ariminum octodecim istis municipiis accenset, quæ Carthaginensi bello pro Romanis auxiliares copias sumptu proprio instruxere. At vero Plutarchus in Cæsare Ariminum urbem Galliæ appellat: quamobrem Galliæ olim adscripta fuisse videtur; constat enim priscam Italiam inter Anconam civitatem, Æsimque fluvium iis temporibus constitisse, cujus termini longo tempore interjecto ad Rubiconem producti fuerunt. *Nominis origo.* Nominis ejus origo seu etymologia à variis varie deducitur, quidam ab armario populi Romani, quod hoc loco extructum asserunt, civitatis nomen derivatum autumant; quos tamen Leander Alberti redarguit, inquiens, arma Romanos è bello domum redeuntes ultra Rubiconem reliquisse: alii à co- *Conditores.* mitibus Herculis, quos ejus conditores fuisse ajunt, Ariminum (nam *Ar* vel *Ari* cognomen est Herculis Ægyptii) cognominatum volunt. Sed rectius sentire videntur, qui ab *Arimino* amne civitatem hanc præfluente desumptum nomen affirmant.

Fluvius. Fluvius hic situ quidem ac cursu nihil est immutatus, diversa tamen appellatione *Marecia* hodie nominatur. *Situs.* Situm est Ariminum in amœnissima planitie ad mare Adriaticum, quo à Septemtrionibus alluitur, porrecta: imminent civitati à meridie colles olearum, vitium, ficuum aliarumque fructiferarum arborum, quibus convestiti sunt, *Soli fertilitas.* ubertate fertilissimi: ab oriente, atque occidente latissimus se campus pandit frumenti feracissimus: orientales ejus partes rigat *Ausa* fluvius, qui Plinio *Aprusa*; occidentales autem amnis *Marecia* modo dictus, cui superbissimum pontem Octavius Augustus cum filio Tiberio imposuit. *Pons.* Pons Flaminiam viam cum Æmilia atque urbem cum castro sive suburbio conjungens totus quadrato marmore, & quino fornice constat, supraque spondis utrimque ad ornatum & transeuntium securitatem. Longus est ducentos pedes, latus vero quindenos. In altera spondarum hanc inscriptionem leges:

Inscriptio.

IMP. CÆSAR DIVI F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAX.
COS. XIII. IMP. XX. TRIB.
POT. XXXVII. PP.

Altera pars hoc titulo inscripta est:

TIB. CÆSAR DIVI AVGVSTI F.
DIVI IVLII NEPOS
AVGVSTVS PONT. MAX.
COS. IIII. IMP. VIII.
TRIB. POTEST. XVII. DEDERE.

Subter Pontem *Marecia*, ut dixi, flumen labitur, quod ex Apennino hîc juxta muros Arimini in Adriam seu Adrianum mare defluens, portum angustiorem modicis tantum navigiis aptum propter vadosum hîc mare officit. Ad dextram hujus amnis in edito monte *Verrucium* Principum Malatestarum *Verrucium.* domicilium eminet, quod ab Othone Imperatore Malatestis quondam concessum fuisse Blondus prodidit. Sed jam ipsam urbem Ariminum introëamus, in qua antiquitatum haud contemnenda est copia; cum antiquissima & ipsa sit, & ab Augusto Cæsare aliisque Romanis Imperatoribus sumptuosissimis fuerit ædificiis exornata, quemadmodum extantia etiam nunc rudera testantur. Nam ad portam civitatis quæ Orientem respicit, & qua Pisaurum exitur, in ipsa via conspicies vetustissimum ac structura eleganti arcum mar- *Arcus marmoreus.* moreum ab Augusto Cæsare magnificentissime extructum, quem quidam volunt & urbem condidisse: Sed ego Livio assentior, qui libro xv. scribit P. Sempronio, & Appio Claudio Coss.

ARIMINVM *vulgo* RIMINI.

(annis ducentis sexaginta octo ante Christum natum) à Romanis deductam fuisse coloniam Ariminum. Præter jam dicta vetustatis duo monumenta *pontem* scilicet *arcumque*, tertium *lateritii Theatri* invenies, cujus adhuc pars quædam antiquitatis haud obscurus index spectatur. Taceo lapides antiquos varii generis cum suis inscriptionibus. At verò bini lapides in foro ostenduntur eo loco quo redux è Galliis Cæsar concionem ad victorem militem suum habuit. In eorum uno stetisse Iulium Cæsarem perorantem Nillamontius in Itin. suo affirmat. Videbis & antiqui portus vestigia, qui modicis quidem nunc navigiis recipiendis aptus, & arenis oppletus: sed quis ejus splendor olim atque amplitudo fuerit, ex Divi Francisci æde magnificentissima, quam ex marmoribus antiqui hujus portus Ariminensis Sigismundus Malatesta ejus urbis Princeps magno sumptu exstruxit, facillime cognosces. Huic ædi bina sacella maximo sunt ornamento, in quibus simulacra marmorea cernes eo opere atque artificio expressa, ut nihil ad vitam eis nisi spiritum deesse jurares. opera hercle quæ cum antiquitatis operibus conferre nemo dubitabit. Memineris hic *Roberti Valturii Stratiotici* scriptoris, & *Themistii Bizantini* Philosophi præstantissimi, quorum in hac æde ossa sunt condita. A sacris quoque cineribus *Gaudentii* Ariminensis Episcopi, Divi *Victoris* Martyris, sanctæ *Innocentiæ* virginis, D. *Theodori* Martyris, Divæque *Martinæ*, item D. *Arduini* Confessoris in abbatia Gaudentiana Ariminum longe celebrius est, quam à concilio suo, (quod conciliabulum rectius appelles) quippe Constantii Imperatoris Arianæ sectæ dediti, ut à Sulpitio Severo notatur, autoritate coactum. Ei D. Hieronymus interfuisse legitur, actumque in eodem procurante Constantio, ut ad credendum inducerentur homines in divinis Filium esse minorem Patre. In hoc tamen laudandi præterea Ariminenses, quod *D. Antonii Patavini* miraculis virtutum, & virtute miraculorum clarissimi memoriam diligentissime recolant, & locum Arimini, in quo ipse prædicando plurimos ad Christi fidem convertit, advenientibus hospitibus quadam animi alacritate designent, effusi in gestis Sanctissimi viri denarrandis. Sed jam ad cætera ædificia convertendi sunt oculi. Primum ad meridianam urbis partem arx vetus est mœnibus incubans prisco opere extructa sua antiquitate censenda. Haud procul ab arce in Ariminensi foro fons est incredibili amœnitate gelidarum aquarum dulciumque copiam in sublime eructans, marmoreo labro, operisque magnitudine insignis. Curia etiam Ariminensis haud ignobile est ædificium; in ea duodenis versiculis contenta inscriptio legitur, breviarium quoddam Ariminensis historiæ:

Theatrum lateritium. — *Lapides antiqui.* — *Antiqui portus vestigia.* — *Ædes D. Francisci.* — *Reliquiæ.* — *Concil. Arimin.* — *Ædificia.* — *Fons.* — *Ariminensis histor. Breviarium.*

I. *Ariminum à comitibus Herculis conditum.* Cato de originibus.

II. *Lucius Asaponius bonus civis deducit coloniam Ariminum.*

III. *Ariminum in duodeviginti Rom. coloniis subsidio Imperii Pop. Rom. stetit.*

IV. *L. Sempronius consul, oram Italiæ legens Ariminum pervenit.*

V. *Caj. Cæsar militibus præmissis, mulis ad vehiculum junctis, nondum illucescente die Arim. occupat.*

VI. *Inter clariores, ditioresque Italiæ civitates Ariminum à* III *viris in prædam concessum.*

VII. *Augustus Cæsar, quo Urbs facilius adiretur, Arimino tenus Flaminiam viam duxit.*

VIII. *Vespasianus, & Titus Cæsares Arimini invenere M. Aponum, & L. Tertullam annos* CXXXXVII *vixisse.*

IX. *Ariminum à Gothis obsessum, per Belisarium, & Narsetem duces Iustiniani liberatur.*

X. *Concilium cui B. Hieronymus interfuit, Arimini celebratur.*

XI. *In Ariminensi agro, in villa Galerii,* * *locutus est gallus gallinaceus.* *

XII. *C. Cæsar Augustus F. Cos. vias omnes Arimini stravit.*

[* Nunc Angelini ab Angelinis Ariminensis Iurisconsulti, & in curia Romana Advocati.]

[* Id Plinius testatur, reperiturque in eadem villa hoc distichon vetusto marmori inscriptum:

Hic jam Gallus avis fatus est rus nobile profert
Plus, quam pruna pyris, insita bruta viris.]

Præter arcem ac curiam videbis insignia alia non pauca ædificia pleraque monu-



RIMINI.
Scala di cento paßi Geometrici
25 50 75 100
Esplicatione delle lettere e numeri nella pianta della Città de Rimini.
A. La Rocca.
B. Cattedrale.
C. S. Homobono.
D. S. Honofrio.
E. Molino.
F. S. Matteo Monache.
G. S. Agnese.
H. S. Chiara Monache.
I. S. Bernardino.
K. S. Agostino.
L. S. Gio: e Pauolo.
M. S. Giacomo, e Filippo.
N. Granari publici.
O. Palazzo de Consoli.
P. Fontana.
Q. Statua di Pauolo V.°
R. Piazza della Fontana.
S. S. Gregorio.
T. S. Maria in Acumine.
V. Piazza Grande.
X. Orologio della Piazza.
Y. S. Giorgio.
Z. Piedestallo di G. C. Imp.
1. Capella di S. Antonio.
2. S. Fran.° di Paula.
3. S. Simone.
4. Ospite di S. Bartolino.
5. S. Bartolo.
6. Arco d'Ott.° Imp:
7. Porta di S. Bartolo.
8. S. Gio del Carmine.
9. Arco di S. Giulio 2.°
10. Badia di S. Gregorio.
11. Borgo di S. Bartolo.
12. Eufemia Monache.
13. S. Francesco.
14. S. Innocentio.
15. S. Michele.
16. S. Antonio Teatini.
17. S. Bastiano Monache.
18. Croce Vecchia
19. S. And.a del Vescovato.
20. Monache Conver.e:
21. S. Tomasso.
22. S. Vitale.
23. S. Martino.
24. S. Maria de Servi.
25. S. Maria in Corte.
26. Ponte d'Ott.° Imp:
27. S. Giuliano.
28. Conf: di S. Catt.a
29. Borgo di S. Giul.°
30. Madona della Scala.
31. S. Bastianino.
32. S. Antonio Abbate.
33. S. Domenico.
34. S. Maria degl'Angeli.
35. S. Girolamo.
36. Orfani.
37. La Colonellina.
38. Capuccini.
39. S. Mattia.
40. Torre del Porto anticho.
41. Porta della Marina.
42. Porta di S. Andrea.
43. S. Nicolò.
44. S. Ant.° da Padoua.
45. Marrecchia Fiume.
46. Ansa Fiume.

ARCUS ARIMINENSIS.

monumenta Malateſtarum, qui Arimini principatum, Othonis III. Imperatoris munere, longo tempore tenuerunt. Nam cum Ariminum Romanorum manibus eſſet Longobardorum violentia excuſſum, hisque debellatis ad Italiæ reges, Germanoſque Imperatores perveniſſet, Otho III Imp. Malateſtarum genti Ariminum, Piſaurum, & multa alia non contemnenda opida conceſſit, ex ea Malateſtam Theutonem ob ſingulares viri virtutes ſuum vicarium inſtituendo humanæ redemptionis anno milleſimo ſecundo. De Theutonis ſucceſſoribus nihil apud Scriptores, reviviſcunt apud eoſdem Malateſtæ primum anno 1348. quo tempore ex Malateſtis Anconitanum principem factum fuiſſe commemorant, cui filii terni obtigêre, Maſtinus, Pandulphus, & Galeottus, Hungarus cognomento, qui poſtremus defunctis fratribus ſuperſtes beneficio Clementis Papæ VII. quod eſſet egregiis animi dotibus ornatus, Ariminenſem Principatum obtinuit. Dux præſtantiſſimus fuit Cæſenamque, Cerviam, ac Æſim opida in poteſtatem ſuam redegit. Moriens filios tres reliquit Carolum, Pandulphum, & Galeatium. Ex his Carolus, ſingularem ſapientiam cum ſumma gravitate conjungens, laudem apud iſtorum temporum Scriptores Blondum, Platinam, D. Antonium, alioſque invenit. Quanquam à Mario Æquicola, tractatu de Principibus Mantuanis conſcripto, quaſi ejus juſſu Virgilii Poëtæ ſtatua fuerit in profluentem abjecta, injuria ejus laudes carpantur. Idem Carolus Venetorum, ac Florentinorum auſpiciis ſupremus belli dux electus fuit. Pandulphus frater uſu etiam armorum exercitus utilem Ioanni Galeatio primo Mediolanenſium regulo operam ſtudiumque navavit, tanta animi magnitudine, ut à morte Galeatii ipſe Brixiæ Bergomique dominatum tenuerit. Filios reliquit Robertum, Sigiſmundum, & Malateſtam. Principatus Roberto obvenit Principi inculpatiſſimæ vitæ. Roberto vita defuncto Sigiſmundus frater in Principatum ſucceſſit, cujus vitam diſſimilem, plurimis ſceleribus contaminatam Pius II. Pontifex conſcripſit. Tertius frater Malateſta Novellus virtutibus doctrinæque deditus Cæſenam, Cerviam, Forumque Truintinorum tenuit, condiditque ſplendidiſſimam apud Cæſenates bibliothecam in D. Franciſci conſpiciendam cœnobio. Moriens Cæſenam, & Forum Truintinorum Eccleſiæ Romanæ teſtamento legavit; Cerviam Venetis dedit cum onere perpetuorum aliquot legatorum. Sigiſmundus ſucceſſorem Robertum nothum habuit, ob res præclariſſime geſtas Magnificum deinde cognominatum. Hic victorias ingentes multis præliis adeptus eſt: primum Napolionem Vrſinum Apoſtolicæ Pauli II. Pontificis militiæ ducem profligatum ex agro Ariminenſi ejecit; deinde commiſſa ad Velitras pugna cum Alphonſo Calabriæ duce ex eodem curru Romam invectus triumphavit. Tanta felicitate perfunctus non multo poſt moriens Pandulphum ac Cæſarem nothos reliquit. Pandulphus natu major inito dominatu pulſus eſt ab Alexandro VI. Pontifice: quo mortuo cum Ariminum rediiſſet, cognoviſſetque Ariminenſes parum in fide conſtantes, Venetis civitatem tradidit, citadellam opidum cum poſſeſſionibus quibuſdam agri Patavini recipiens. Veneti deinde accepta à Ludovico XII. Galliarum rege apud Ripaltam ſiccam clade, Ariminum Eccleſiæ Romanæ reſtituere, Iulio II. Pontificatus clavum tenente. Sed cum & eo mortuo, Adriano VI. Pontifice ſucceſſore adhuc in Hiſpaniis commorante Sigiſmundus Pandulphi filius habitu ruſticano herbæ faſcem bajulans in urbem ingreſſus, tumultuque concitato, opera atque auxilio ſuorum urbe ipſa, nec diu poſt arce etiam potitus eſſet, ita tum quidem in Principatum Pandulphus pater rediit, ſed conſiſtere in eo non licuit: ſiquidem ut primum in Italiam venit Adrianus Pont. excedere mox coactus eſt. Sic inde Pontificibus continuata poſſeſſio, donec in Ælia mole à Caroli V. Imp. copiis obſeſſo Clemente VII. Pont. popularium ſuorum ope Pandulphus rediit. Verum liberato Pontifice Principatum Ariminenſem toties fruſtra affectatum deſerens reliquam vitam Ferrariæ in laboribus tranſegit. Hæc de Principibus Ariminenſibus, quorum bellica laus late per Italiam patuit: reliquum eſt, ut quantorum

In principatu Ariminenſi Malateſtarum ſucceſſio.

torum virorum genitrix Ariminum extiterit, recenseamus. Quis nescit *Gregorium* ex Fratribus Eremitanis, *Petrum* & *Iacobum* fratres *Petro-Leonios* cum Græcis, tum Latinis literis, cæterarumque rerum scientia fuisse perpolitos? addam unum alterumve è multis Ariminensibus, *Petrum Meltium* virum abundanti doctrina; & nostro ævo *Franciscum Gualdum* Sancti Stephani equitem, monumentorum quorumcunque antiquitatis studiosum, cujus Musæum apud Minimos S. Francisci de Paula in monte SS. Trinitatis Romæ spectabis ingentibus impensis adornatum variaque librorum, numismatum, statuarum, rerumque exoticarum supellectile refertum.

Coronidis loco illustres Ariminensium familias, quæ quasi perpetuo quodam splendore Ariminum illustrant, alphabetica serie ordinandas censuimus his nominibus contentas: *Illustres Ariminensium familiæ.*

Absternii.	*Fosco.*	*Pari.*
Astolfi.	*Gatani.*	*Pegasi.*
Augurolli.	*Guidoni.*	*Pier-Leoni.*
Battalii.	*Gualdi.*	*Rasi.*
Battaglini.	*Lamberti.*	*Regazzi.*
Bon-Franceschi.	*Malatesta.*	*Riciardelli.*
Buon-amici.	*Masco.*	*Santoliani.*
Casa-Rosi.	*Melzii.*	*Seraphini.*
Delmoni.	*Meliorati.*	*Tingoli.*
Didi.	*Micoli.*	*Valonii.*
Dio-t'-allevi.	*Orsi.*	*Vantii.*
Fiordani.	*Paci.*	

A S C V L V M
P I C E N V M.

Situs.

ASculi situs, à Strabone Marchiam Anconitanam describente his verbis depingitur: *Est Asculum Picenum locus munimine prævalidus, cui & murus, & circumstantes montes supereminent, nullis penetrabiles exercitibus.* At vero quæ priscis illis Romanorum temporibus hujus opidi magnitudo fuerit dignitasque, in historiis releges. Notat Appianus Alexandrinus lib. 1. de bello civ. Rom. Asculanos pacto cum Marsis, Malinis, Vestinis, Marucenis, Picentibus, Ferentanis, Irpinis, Pompejanis, Venusinis, Iapygibus, Lucanis, & Samnitibus fœdere de imposita sibi à Romanis servitute excutienda deliberare minime dubitasse, re aliquamdiu occulta, tandem à quodam è Romanis apud Marsos commorante explorata. Hic Marsorum in opido adolescentem nobili genere Asculanis obsidem dandum intelligens (qui tum fœdera paciscentibus mos erat, ut datis utrimque obsidibus securitas præstaretur) Quintum Servilium Proconsulem Picenæ regionis ea de re fecit certiorem. Is cognitis rebus, quas Asculani moliebantur, confestim Asculum profectus est; ubi publicis Asculanos sacrificiis occupatos inveniens, cum vehementius eosdem objurgasset, à furentibus in partes dissectus est. Missus deinde à Senatu Romano Fontejus ad puniendam in Asculanis facti indignitatem, eadem via exitum vitæ invenit. Neque vero Fonteji morte Asculanorum furor quievit; sed ad trucidationem cæterorum Asculi degentium Romanorum, atque eorundem direptionem bonorum conversus est. Quo facto Legatos suo & sociorum nomine ad senatum Romanum miserunt propositum, libertatem injuste sibi à Romanis ademptam, si pacis ea beneficio obtineri non posset, armis se vindicaturos. Verum cum iniquius à Senatu responsum Legati retulissent deprecationem factorum postulante, confirmati in rebellione cum sociis Asculani, magnis animis, copiisque & robore, & numero instructis bellum adversus Romanos movere, delecto Asculanorum Principis filio Tudacilio Imperatore. His rebellium conatibus opposuêre Romani cum exercitu duces Sextum Iulium Cæsarem, & Publium Rutilium consules; reputantesque secum, in quod discrimen incidere Respublica posset, si à rebellium copiis eorum exercitus profligaretur, primarios quosque cives ad hoc bellum proficisci jusserunt. Et licet initia hujus belli damnosa Romanis exstiterint; quippe qui multis cladibus affecti, amissoque magno suorum numero, non solùm libertos, quos adjutores belli hucusque dedignati fuerant; sed & reliquos Italiæ populos in fide constantes, civitatis jus iis pollicendo, vocare in societatem armorum coacti sint. Tamen posteaquam infelici dubioque exitu prœliorum jam sæpius pugnassent, tandem propitio Marte fusis, fugatisque rebellibus, Cneus Pompejus Asculum direptum excidit, & ut sterilitatem loco inferret, salem late disseminavit. Affirmat Paulus Orosius hoc Asculano excidio periisse hominum octodecim millia; superstites venditioni obnoxios cum publicam, tum privatam servire servitutem debuisse. Spolia tum innumera ab Asculanis cepere Romani, inter quæ librorum, & retium multitudo argumento fuit, Asculanos virtuti, & nobilibus exercitiis sedulo vacasse.

Asculanorum magnanimitas.

Fœdera paciscentium mos.

Asculani vindices libertatis.

Asculanum excidium.

Pompejus Romam reversus, triumphansque ex Asculanis socium triumphi habuit Ventidium Bassum gremio matris ante currum suum delatum. Hic posteaquam ephippiatis Romæ magistratibus serviendo primos mediosque vitæ labores sustentasset, profectus in Gallias cum Cæsare, per omnes gradus militiæ propter summam in conficiendis

dis negotiis dexteritatem ad Summum Pontificatum, Consulatumque Romanum evectus est. Imperator deinde bello Parthico designatus, quo haud multo ante Crassus occubuerat, elatos recenti victoria Parthos delevit, ex iisque triumphavit.

Magnitudo. Cæterum Asculanorum civitas ante eversionem octodecim millia domorum suo ambitu complexa est. Et quanquam totius agri Piceni etiam nunc maxima sit, videaturque ternis focorum millibus contenta; re ipsa tamen longe minor est, nec putem eam ultra bina millia tectorum continere, ob laxitatem domorum, vicorum latitudinem, multitudinem Templorum, Monasteriorum, hortorumque civitatis ferme umbilicum occupantium. Hæc spatiosa locorum si ædificiis complerentur, quis ambigat domorum numerum facile ad sena millia redigi posse. Quisnam vero Asculum ab interitu vindicarit, haud exploratum habeo, nec hucusque in historiis relegi. Sunt qui Ventidium Bassum ejus instauratorem appellent, *Instaurator.* cujus tamen rei veritatem narrata de Ventidio impugnant.

Illud indubitatum est, dominatu variorum Asculanos fuisse exercitos. *Asculani quibus subditi.* Nam Diocletiano imperante Polimius rex suo, aut (quod verisimilius est) Cæsareo nomine Asculanis legem dixit, quemadmodum in vita S. Emidii Martyris, primi Asculanorum Episcopi, & Patroni legitur, qui sub eodem Diocletiano martyrii palmam adeptus est. Per idem *Metropolis.* tempus Asculum metropolis habita est civitatum, quæ Ravennam inter Rhegiumque Calabriæ opidum fuere, ut in eadem S. Emidii vita à S. Valentino ad Marcellum Papam scripta relegitur. Porro sub Caroli M. dominatu tenuit Asculum Leodegarius Longobardus, ut arbitror. Hic quodam zelo ductus promovendi cultus divini Asculanæ Ecclesiæ montem vulgari vocabulo *Colennate* dictum, multasque præterea possessiones vicinas legavit, testante donationis Instrumento Caroli M., Pipini filii, Rulandi nepotis, Astulphi, aliorumque subscriptione regum firmato. Consequentibus deinde temporibus dominati sunt Asculanis Episcopi principali potestate. Nonnunquam suo juri restituti Asculani, iterum alieno parere imperio fuêre coacti.

Tempore translatæ sedis Apostolicæ Avenionem, Cardinalis Ægidius per Italiam Legatus Asculanis Gomezium Albernotium nepotem mandato (ut ferebatur) Papali cum imperio præfecit. Iugum illud undecennale pulso Asculani Albernotio deinde excussêre, octodecim annis suo libertatem Marte propugnantes. At vero longo ante Albernotii dominatum tempore, quo suis Asculani legibus vivebant, à Galeatio Malatesta ductore suo, anno æræ Christianæ 1348, libertate exuti sunt. Hic binas arces, alteram in Monte Cassarensi, ad portam majorem in planitie alteram ædificando, tanquam habenis quibusdam Asculanos cohibuit. Verum *Quo tempore sub Romanæ Ecclesiæ dominio.* anno 1355 spreto Galeatii dominio Romanæ se submiserunt Ecclesiæ.

Non longo tempore interjecto potitus est Asculo Gibellinorum opera Andreas Matthæus Aquaviva, sed perbrevi dominatu. Nam Ioanne Massio Asculano ex Guelforum ductoribus montanam arcem expugnante, Mostardus Apostolicæ militiæ præfectus Asculum Romanæ ditioni restituit.

Anno 1409 Papa Ladislao Neapoleos regi Asculum cum universo Latio concessit, ut hac ratione inhiantem Romanæ Vrbi demulceret; à quo Asculani nundinarum beneficio, aliisque privilegiis affecti sunt. Sed eo vita defuncto anno 1413 procurante Ioanna Ladislai sorore, ac Neapoleos regina, Franciscus Carrara anno subsequente cœpit Asculanis imperare. Iterum mortuo Carrara anno 1421 Obizzonem, atque Ardizzonem filios Asculanus populus ad reddendam Pontifici, qui tunc Martinus V. erat, civitatem coëgit. At Franciscus Sforza Piceni Marchio adeptum anno 1434 civitatis imperium tenuit usque ad annum 1445. & decimum mensis Augusti diem. Quo tempore interfectis Rinaldo Francisci fratre, & asseclis ejusdem, Eugenio IV. Pontifici certis se conditionibus Asculani tradiderunt.

Summa Contractus. Summa contractus his fere capitibus constabat: Nullo unquam tempore Romano Pontifici licebit quacunque tandem de causa Asculanæ civitatis partem,

79
ASCVLVM PICENVM.
NOTABILIORA.
1. Porta Landriana et Pons Major.
2. Porta et Pons Tufilli.
3. Porta S. Petri in Castello.
4. Porta et Pons Solestani.
5. Porta Romana.
6. Porta Summa.
7. Porta et Pons S. Spiritus.
8. Porta Tornasacchi et Pons dir.
9. Porta et Pons Arciculæ.
10. Arx Summa, sive Pia.
11. Arcicula.
12. Mumimen Antiquum.
13. Platea major.
14. Palatium Gubernatoris.
15. Platea Arringhi.
16. Palatium D.D. Antianorum.
17. Palatium Episcopatus.
18. Via Nova.
19. Via Cursus.
20. Via Candarilis.
21. Via Franghigiæ.
22. Via S. Iacobi.
23. Via Romana.
24. Quatriuium S. Augusti.
25. Via Triuij.
26. Via Pladiæ.
27. Via Clavicarum.
O. Platea S. Erasmi.
✠. Seminarium.
28. Templum S. Mariæ majoris et Cathedralis.
29. Ecclesia S. Blasij Confratrum.
30. Eccl. S. Ioann. Baptistæ.
31. Templ. S. Victoris Parochia.
32. Platea S. Victoris.
33. Eccl. Fratrum S. Mariæ de Monte Carmelo.
34. Eccl. S. Erasmi Confratrum.
35. Eccl. S. Ioann. in Chiavica.
36. Eccl. S. Eduardi.
37. Eccl. S. Marie Virgini Monial.
38. Eccl. S. Egidij Monialium.
39. Eccl. S. Christofori Confrat.
40. Eccl. S. Honufrij Monialium.
41. Templ. S. Francisci Minor. Conventualium.
42. T. S. Mar. Intervineas Paroc.
42. Platea Palatij Veteris.
43. Templ. S. Petri in Castello.
44. Eccl. S. Ioan. Equitum Hieros.
45. Eccl. S. Margaritæ Monial.
46. Templ. S. Anastasij Paroc.
47. Eccl. S. Rocci Confratrū.
48. Plaeta Mulierum.
49. T. S. Petri M. ord. Predicator.
⚓. Academia Imperfectorum.
50. T. S. Iacobi Par. cum Platea.
51. Eccl. S. Mariæ Stellarum.
52. T. S. Leonardi Parrochia.
53. Platea S. Leonardi.
54. Eccl. S. Mariæ Novæ Confr. et Conv. Erem. S. Aug. Ref.
55. T. S. Andreæ Parc. Monial.
56. T. S. Crucis olim Par. cum Plat.
57. T. S. Iuliani Par. cum Plat.
58. T. S. Thomæ Parochia.
59. T. S. Augustini Eremitar. S. Aug.
60. Eccl. S. Catharinæ Confr.
61. T. S. Venatij olim paroch.
61. Platea et Collegium Soc. Iesu.
62. T. S. Mar. char cum Hospitali. Confr. et Orat. S. Philip Neri.
63. T. S. Martini Par. cum Plat.
64. T. S. Gregorij Par. cum Plat.
65. T. S. Dominici ord. Predicat.
66. T. S. Angeli Magni Monac. M. Oliveti. Paroch. cum Plat.
67. Eccl. S. Ang. Parvi Confr.
68. T. Annuntiatæ Ter. ord. S. Francisci cum Plat.
69. Eccl. S. Petri ad Gruttas olim Parochia.
70. Burgum et Tentoria.
71. T. S. Bartholomei.
72. Eccl. S. Caroli Confratr.
73. Eccl. S. Emygdij Prim. Episco. et Mar. Ascul. et Protect.
74. T. S. Mar. Solestani Cappuccinæ.
75. Eccl. S. Ioan Decollati.
76. Eccl. S. Mar. ad Mare.
77. T. S. Antonij Canonicorum S. Petri in Alga.
78. Eccl. S. Salvatoris.
79. Eccl. S. Savini Ter. ord. S. Fr.
80. Fons Extra Portam Roman.
81. Fons S. Emygdij.
82. Fons Boris.
83. Fons Cardinalis.
84. Fons S. Nicolai.
85. Fons Cappuccinorum.
86. Molendinum Superius.
87. Carteria.
88. Valcheria.
89. Pistrinum Aquaticum.
90. Molendinum Inferius.
91. Turris Antiqua præter alias innumerabiles, quæ antiquites in hac Civitate erant Modo inter integra et demolita centum et quinquaginta numerantur.
Scala Centum Paßuum Asculanorum.
10 20 30 40 50 60 70 80 90 100 110 120 130 140 150 160 170 180
Dimidium Palmi Ascul. quorum Sexdecim Constituunt Paßum Asculanum.

tem, totamve divendere, alienæ hypothecæ supponere, aut cuiquam in feudum concedere; sed eadem civitas immediata S.R.E. gubernatione perpetuo protegetur. Deinde nundinarum beneficium, cæteraque à Ladislao concessa privilegia Rom. Pontifex confirmabit. Postremo ex ære Pontificio civitatis magistratus, ab Apostolica Camera dandi, non ex civitatis ærario salarium accipient.

Libertati redditi. Verum anno 1472 pristinæ libertati Sixti IV Pontificis beneficio redditi sunt Asculani. In cujus perpetuam rei memoriam anniversaria supplicatione festum Annunciationis Beatissimæ Virginis, in æde eidem Virgini, cæli Reginæ, dicatâ, collegia, & corpora mercatorum reliquorumque opificum cum immani mulierum frequentia multorum oblatione cereorum concelebrant. Tamen quod à potentioribus civibus reliquæ plebi oppressionis esset periculum, renunciata anno 1502. libertate ad imperium sedis Apostolicæ ultro rediêre Asculani, cunctos eidem suæ civitatis annuos reditus offerentes, hoc pacto tamen, ut Reverenda Camera Apostolica Antianis, (queis summa apud Asculanos auctoritas est) Prætori, Appellationum Iudici, Cancellario, scholarum magistris, reliquisque officialibus, item tubicinibus, & satellitio Antianorum salaria suo ex ære annuatim præberet, ad quæ præstanda certe vis quædam pecuniæ requirebatur. Itaque exigui tum in potestate Asculanorum reditus mansère, forte ex portoriis pascuisque montis Paulini collecti; ut subsidia ab Apostolica sede præter ordinem indicta nunc privatorum opes solicitent.

Cæterum ex quo Asculum Papali Imperio paruit, primum felicitatem didicit suam. Ante illa tempora discerpti Guelforum, & Gibellinorum factionibus opidani sibi ipsis, suæque civitati interitum paraverunt. *Guelf. & Gibellinorum factiones.* Id palam est ex tam vario, quo usi sunt, dominatu, tot extinctis familiis, eversis domibus, interitu suorum; quæ singula Asculanis Annalibus diffuse comprehensa, quis sine lacrymis possit relegere? Profecto si præterita cum præsentibus conferam, videntur Asculani ex Iliade malorum beneficio Pontificii regiminis ad quandam aurei sæculi felicitatem perducti. *Felicitas.* Asculi familias illustres quamplurimas invenias, penes quas & jurisdictio fuit olim, & variorum dominia locorum; sed nunc privato vitæ genere contentas. Nam cum fatali quadam necessitate in factiosorum civium sint odio, qui potentia excellunt, aut dignitate; eam ob causam pauci ii qui in Asculano territorio dominia arcesve possederunt, easdem civitati suæ patriæque donaverunt, aut vendiderunt. Extra nobiles honoratissimis Asculum civibus decoratur; ex quibus collectis divisus in tres classes, primam, secundam, & tertiam universus populus efficitur. In prima classe constituuntur ii, quos antiquior nobilitas armis comparata, aut literis, aut amplissimi functione muneris domi, forisve accepta commendat. In secunda cives honoratiores censentur, qui priscorum equitum Romanorum quandam imaginem exhibent. In tertia reliqua civium turba numeratur. Pulchro hercle ordine, scrutiniorum via scilicet, & suffragiorum, Ordo superiorum, sive Magistratus eligitur, à renovatione Concilii generalis facto initio, à quo deinde cæteri minores Magistratus.

Electio Magistratus. Fit autem electio hoc modo. Civitate in quatuor regiones divisa, quæque regio octo nuncupat, qui cum Gubernatore, Antianis, Consulibus, Conservatoribus, Advocato & Procuratore civitatis Asculanæ in palatio Antianorum per Dei nomen publice dejerantes cooptaturos se in Concilium idoneos, nullamque odii, amoris, spei, cupiditatis aut metus rationem habituros, neque unquam revelaturos dicta, aut facta in scrutinio. Quo facto, hoc modo separantur. Gubernator cum Abbate S. Angeli ex Congregatione Montis Oliveti, Guardiano Virginis Annuntiatæ ex ordine S. Francisci de observantia & civitatis Cancellario peculiare conclave ingreditur. In peculiare item separatumque sese recipiunt Antiani cum reliquis officialibus & civibus delectis; media tamen parte eorum per reliqua cubicula divisa, uni perscrutantur, alteri suffragia colligunt. Iam qui duabus tertiis suffragiorum, ut vocant, nuncupati fuerint, exclusis cæteris,

pro

pro rite electis habentur. Ab hoc cœtu universa civitas, ejusque officia dependent. Anno Domini 1561. Cœtus hic novationem subiit, in eumque cooptati fuêre sexcenti cives & quinquaginta sex. Ex hoc deinde Centumviri Pacis creantur viri nobiliores, penes quos senatus auctoritas est; binosque tantum ex unaquaque familia fas est eligere. His Centumviris generale Concilium omnem auctoritatem impertit, quatuor exceptis, renovatione magistratus, onerum pro re nata impositione, Prætoris, judicis, medici, præfecti scholarum aliorumque officiorum publicorum electione, & belli casibus. Nam quamvis & hi quatuor reservati casus primum apud centumviros proponantur, irrita tamen eorundem decisio est, nisi deinceps duabus tertiis votorum Concilii generalis comprobetur. Et hac ratione cæteris in rebus statuitur. Eliguntur præterea Centumviri Iustitiæ ex eodem Concilio generali, aut in id adscriptorum familiis, finiturque eorum jurisdictio spatio annuo, biennio, triennio, & quandoque serius, pro ut visum fuerit Gubernatori. Hoc Centenario Patronorum sive defensorum justitiæ numero per Gubernatorem, atque ad id deputatos constituto, publicatoque præstatur à singulis defendendæ justitiæ juramentum faciendi ea quæ literis Pontificiis sunt expressa.

Antiani. Denique magistratus, inprimisque Antianorum ex Conciliis eligitur, civibus universis suffragia ferentibus. Et quoniam hic cæteris honoratior est, digniorque; hinc eorum, qui rite debiteque huic dignitati electi, in urnam nomina conjiciuntur, confectis ex alba cera pilulis, quibus insunt schedulæ senæ totidem civium nominibus insignitæ. Pilulæ hæ inclusæ urnæ civitatis sigillo obsignatæ, reponuntur in capsa septem obserata clavibus diversis in Monasteriis asservatis, unaque earum apud Cancellarium remanente. Capsa hoc modo occlusa in sacrarium ædis D. Francisci, quæ in infima parte fori ædificata est, sub tegmine ex serico raso coloris rubri defertur, majori cuidam arcæ imponenda; unde alternis quoque mensibus deprompta, ac dicto modo contecta, ante civitatis Cancellarium præeuntibus æneatoribus & satellitio Palatino in Palatium reportatur, denis ante diebus, quam magistratus cujusque (qui bimestris est) exspiret. Hic generali convocato Concilio præsente Gubernatore, ejusve vicario seni cives senis schedulis pilulæ extractæ inclusis inscripti palam nominantur, numeratis item pilulis in urna remanentibus. Isti in capite mensis sequentis Palatium ingressi, illico quæ publica sunt, curant cum jurisdictione. Ad hanc dignitatem nulla ratione evehuntur filiifamilias, nisi forte, quorum Patres monasticam religiosamque vitam cum optarint, mundo mortui videntur. At vero observatione notandum est, æqualem his senis civibus dignitatem esse constitutam. Nam ille caput reliquorum est, præsidetque diebus denis, cujus extractam pilulæ schedam primo legi contigerit. Et sic in reliquis ad finem usque proceditur.

Eodem plane modo eadem in arca *Consules.* servata Consulum urna publicatur, qui quatuor, singuli singulis regionibus præfecti, ex solis Centumviris justitiæ deliguntur. Vrna isthæc quotannis renovatur; suntque Consules alter civitatis magistratus, ad quem publicæ custodia tranquillitatis pertinet, & potestas mulctandi turbatores: qui si capi non possint, cautionem ab agnatis proximis usque ad tertium gradum, de non offendendo intra annum ac mensem, potest exigere. Et si qui adeo pertinaces renitentesque deprehendantur, ut nullo comparere modo, & præstare cautionem velint, eos prævia Gubernatoris cognitione tanquam osores, turbatoresque quietis publicæ relegandi proscribendique habet auctoritatem. quod tamen perraro accidit, atque proscriptio hæc non minor est illa, qua homicidæ damnantur.

Habet & suos Conservatores Asculum tres ex senario numero, quo Antianorum magistratus absolvitur, sorte electos. His publicæ res conservandæ, pontes restaurandi, & id genus alia sunt providenda. *Conservatores.*

His accedunt laudabiles Asculanorum leges, statuta & reformationes (quæ postremo nomine Concilii decreta omnia censentur) in quarum numero singularis *Statuta & leges.*

gularis illa est religiosissime semper custodita, quod reus homicidii (sive malitiosum illud sit, sive involuntarium, sive ante usum rationis, aut permittentibus legibus commissum) ejusque socii fautoresve, sive per commissionem, sive per gratiam, vel per absolutionem patriæ restituantur; nulla tamen via ad honores, dignitates, publica beneficia unquam admitti possint. Quamobrem privatam vitam degere nobilissimis quibuslibet contingit, spe omni in integrum restitutionis sublata. Hæc tamen pœnæ gravitas personam non egreditur, nec ad filios, fratres, aliosve pertinet.

Ad priorem legem veterem binæ recentiores accessère. Prima publicum debitorem ab omni officio arcet ac magistratu quo ad satisfecerit. Altera cives omnes qualicumque magistratui admotos obligat ad obeundum prima sui introitus luce post decantatam S. Spiritus Missam Communionis sacramentum; si quis id tum omittat, in decimum potest diem, non ultra differre. Interim nulla ei auctoritas; & si præstitutum Communioni terminum elabi patiatur, non solum accessus ei ad Concilium negatur, sed omni prorsus magistratu abdicatur. Quæ res haud caret infamia. nam in scrutiniis, suffragiisque mysticam cœnam negligentium, ne publicis rebus gubernandis applicentur, ratio singularis haberi solet.

Territorium Asculanum plurimis opidulis, pagisque decoratur, quorum nomina, ut vulgari sermone feruntur, hic placuit attexere:

Appignano.
Monte Prandone.
Monte S. Polo.
Spinetoli.
Castorano.
Ripa Bevarda.
Porchiano.
Capradosso.
Poleti.
Monte Adamo.
Vena Carpignana.
Vena Tarabotta.
Morignano.
Casalena.
Vallecenante.
Castello S. Pietro.
Palmiano.
Comunanza.
Quinzano.
Gerosa.
Zelice.
Cerisuola.
Calvarese.
Castel fiorito.
Vindola.
Mozzano.
Poggio Canosa.
Croce.
Monte Moro.
Vallorano.
Cerreto.
Portella.
Monte S. Pietro.
Acqua santa.
Luco.
Cagnano.
Arola.
Valle d'acqua.
Quintodecimo.
Rocca Rigonile.
Rocca Casa Regnana.
Vetoli.
Monischio.
Vallicella.
Marsia.
Pantorano.
Pedana.
Acquaviva.
Frinti.
Scalelle.
Pizzonillo.
Osuli.
Monte acuto.
Monte calvo.
Folignano.
S. Gennaro.
S. Angelo di Lisciano.
S. Martino di Lisciano.
Castel Trosino.
Venarotta.
Olivera.
Gimigliano.
Poggio Ansone.
Castiglione.
Casa Cagnano.
Gallo.
Meschia.
Ronciglione.
Vena Martello.
Gottara.
Forcella.
Falciano.
Rocchetta.
Cocosia.
Lama.
Colli d'Ottavo.

Hæc loca omnia triginta & uno dominiis sive syndicatibus partita, separata jurisdictione reguntur. Sexto quoque mense singulis dominiis singuli cives Prætoria potestate; at certo salario ex dominiis solvendo præficiuntur. Cæterum secundum triplicem civium ordinem, & triplicis generis opida sive castella constituuntur. nam senis primi ordinis cives dantur. Sunt vero sequentia:

Appignano.
Monte Prandone.
Venarotta.
Communanza.
Acqua santa.
Mozzano.

Octo sequentibus secundæ classis cives destinantur:

Monte S. Polo.
Castorano.
Spinetoli.
Monte acuto.

Castel

Castel S. Pietro.
Ripa Bevarda.
Monte calvo.
Lama e
Colli d'Ottavo.

Sedecim postremis tertiæ classis cives præponuntur:

Porchiano.
Capradosso.
Fulignano.
Portello.
Vallorano.
Osculi.
Rocca Rigonile.
Monte S. Pietro.
Croce.
Poggio Canosa.
Monte Adamo.
Quintodecimo.
Castel Trosino.
Lisciano.
Polesi.
Rocca Casa Regnana.
Pizzovillo.

Cætera locorum comitatu contenta, hac tamen divisione prætermissa sub divisionis ejusdem locis comprehenduntur. Cives autem qui iis singulis gubernandis admoventur, conjectis eorum, ut & cæterorum Magistratuum, in urnam, extractisque sexto quoque mense nominibus, eliguntur.

Possidet Asculum in regno Neapolitano regione Samnii Neretum titulo Baronatus, habetque in id merum & mixtum imperium. Possedit etiam Columellam; sed ejus dominio Princeps Auriacus Asculanos exuit, quod à parte Lutrechii nomine Galliarum regis regnum Neapolitanum invadentis stetissent, deditque Ioanni Rosalesio Hispano. At Asculani hac Auriaci traditione seu donatione manifestam sibi injuriam illatam fuisse graviter querentes litem in judicio Neapolitano movêre, sperantque veritate facti se felicem causæ exitum inventuros.

Ad hæc subsunt ei opidula octo, cives appellata, quod in vectigalibus & tributis Apostolicæ Cameræ solvendis (quæ certis casibus tributa comitatus superant) civitati veniant subsidio. At vero comitatus collectam ordinariam Cameræ exsolvit, à qua opidula sunt immunia; quæ quanquam longius à civitate distent, suburbiorum tamen speciem exhibent veniuntque in commodorum dispendiorumque civitatis societatem; Conciliorum vero, & Magistratuum partem nullam habent, neque à suis opidanis reguntur, sed Gubernatori & Prætori Civitatis Asculanæ parent. Prædictorum opidulorum hæc nomina habeto:

Poggio di Bretta.
Piaggie.
Rosara.
Colonna.
Talvacchia.
Cervara.
Villa-Franca.
Lisciano di Colloto, differens ab altero *Lisciano*, de quo suprà.

Quot domibus tectisve quodlibet constet opidulum, non satis habeo exploratum. Simul collecta quatuor mille domos, quemadmodum civitas bis mille, ambitu suo complecti communis fert opinio.

Porro civitati Asculanæ quidam pagi regionis Picenæ pacto juncti sunt, qui quod sub tutela sint Asculanorum, commendati appellantur; in quos tamen nulla est Asculanis jurisdictio. Tenentur autem prædicti pagi vigore contractus ad certam pœnam evitandam die festo S. Emidii Martyris & Patroni Civitatis totidem pallia offerre hoc ritu: Magistratus Antianorum, & ante eum Gubernator Prætorque civitatis, Consules, Conservatores, cæterique officiales in gradibus Palatii consistunt tanquam pro tribunali sedentes. Hic finitis vesperis ad Advocati & Procuratoris Civitatis instantiam tubarum sonitu singuli pagi evocantur, auditoque singulorum nomine, singuli homines prodeunt à suis quique pagis ad hæc sollennia peragenda missi, inclinatique, exosculatis Antianorum præfecto manibus suæ Communitatis nomine offerunt pallium modici pretii, quæ simul collecta, adjuncto altero præterea pallio, præfectus ad Cathedralem Ecclesiam jubet deferri in honorem S. Martini præfatique S. Emidii Patroni, cujus hic ossa sunt condita. At vigore contractus hanc vicem reddere Asculum tenetur, ut sequentes pagos sive opidula ab omni vi atque injuria sarta tecta tueatur:

Monte Gallo.
Monte Monaco.
Force.
Patrignone.
Porchia.
Rotella.
Cosignano.

Est præterea in Asculorum dominio opidum quoddam cum arce modica, Adriatico littori imposita, distans octodecim Asculo milliaribus, cujus tamen membrum est, vocaturque portus Asculanus. Habitatores hujus opidi, qui sane

ſane pauci numero ſunt, à præfecto arcis ab Aſculanis dato mandata accipiunt.

Viri illuſtres.

Progenuit Aſculum temporibus diverſis Tudacilium, Ventidium Baſſum tantopere Ciceroni laudatos Oratores. Ad hæc S. Polixiam virginem Polimii regis filiam S. Emidii opera ad Chriſti fidem converſam. Nicolaum IV. S. R. E. impoſitum Pontificem. Gratiadeum Philoſophum ex Prædicatorum ordine celeberrimum. Beatum Conradum ex Ordine S. Franciſci Minorum Conventualium, illuſtri Miglianorum ſtirpe ortum: noſtra vero memoria Eurialum Moranum Poëtam inſignem alioſque bellica gloria egregios, quos ſilere ipſa brevitas nos monet. Non tacendi tamen è multis B. Taladinus, & B. Iacobus Aſculanus condictus Picenus, canora Spiritus ſancti tuba doctrina, miraculis & vitæ ſanctimonia præclarus. Natus hic eſt in opidulo Montis Prandonis Aſculani territorii membro; mortuus vero Neapoli ad ſupernam regionem emigravit.

ASSI-

ASSISIVM.

D. Francisci patria. ASSISIVM D. Francisci patria, atque Vmbriæ opidum, Romanorum quondam municipium Ptolemæo, aliisque memoratum, *Situs.* situm est decimo à Perusia milliari in surgente ex amœna planitie clivo, cui arduus & angusto calle difficulter pervius superincumbit mons *Nominis origo.* *Asius* dictus, à quo traxisse nomen videtur: ipsum quoque leniter surgens, ubi desinit, in supercilio munitissimam arcem habet, ex qua incursiones hostium ab opido prohiberi possunt. Variis quoque cladibus laceratum fuit iis temporibus Assisium, quando domestici motus, ac bella intestina universam affligebant Italiam; tunc enim direptum atque excisum fuisse legitur. Neque vero adhuc, præterquam quod mœnibus cinctum sit, civitatis nomen ei tributum (ut suspicor) quod Divum Franciscum in lucem ediderit, recte tueri potest; *Episcopatus.* licet Episcopali gaudeat dignitate: nam & frequentia caret incolentium, & multis rebus præterea quæ ad constituendam civitatem pertinent. Habet tamen longas & latas plateas, ornatumque est splendidis ædificiis amplisque Basilicis.

In foro spectatur Basilica Virgini Deiparæ dicata, turri ingenti ac præcelsa insignis; & juxta templum Cathedrale amplissimus fons vicenis fistulis abundantiam aquarum projiciens, & mira spectantium oculos amœnitate perfundens. Ostenditur ibidem sepulcrum Reginæ Cyri, Persarum Regis augustissimi; *Sepulchrum Reginæ Cyri.* nec non monumentum, in quo novem Divi Francisci sociorum cadavera terræ mandata sunt.

In ipsa fronte opidi templum excelsis fornicibus conspicuum, ingentis molis, Divi Francisci memoriæ cultuique in patria erectum est, præsente atque annuente Gregorio Papa nono; architecto vero quodam Iacobo Germano. Divi cineres in infima æde (tres enim sunt sibi invicem superimpositæ, unde quanta totius Basilicæ altitudo sit ac vastitas, conjicere licet) debita cum veneratione coluntur. Cæterum occlusus in imam, quam dixi, cellam aditus est: at sub medii templi ara jacere beatos cineres ipsa inscriptio indicat:

SVB ISTO ALTARI REQVIESCIT CORPVS
BEATI FRANCISCI,
FVNDATORIS ORDINIS FRATRVM MINORVM,
SACRIS STIGMATIBVS DIVINITVS INSIGNITVM.
HINC INTVS SVBTER ALTARE
EST VNA COLVMNA CONCAVA,
IN QVA IACET AMPVLLA CRYSTALLINA,
IN QVA AMPVLLA EST VNA COSTA
B. IOANNIS BAPTISTÆ,
QVAM DOMINVS PAPA INNOCENTIVS QVARTVS
SVIS PROPRIIS MANIBVS COLLOCAVIT.

Domus natalis S. Francisci. Non procul à foro domus monstratur, in qua sanctissimus Pater Franciscus in lucem susceptus est. Hic relicta mercatura, quam sub patre exercebat, nudus Christum sequi magnis passibus aggressus est. In eo miratur Franciscus Petrarcha volucrum audientiam, seraphicum raptæ mentis ardorem, stupendumque illud insigne sacrorum Christi stigmatum, & vulnus animi testantia membra, tantumque tam brevi de paupertatis conjugio genitæ sobolis incrementum.

Cæterum Seraphicus Pater diem suum

a . Chiesa di S. Francesco doue è il suo corpo
b . Piazza della Chiesa di sotto
c . Piazza della Chiesa di sopra
d . Porta di fedecrisce
e . Porta di S. Pietro
f . S. Pietro, Badia del Ill.mo Montalto
g . Porta di S. Giacomo
h . S. Margherita
i . S. Giacomo, Monast.io di monache
l . S. Andrea, Monast. di Monache
m . S. Croce, Monast. de Monache
n . S. Antonino, fraternità
o . S. Stefano, fraternità
p . S. Stefano, Monast. de Monache
q . S. Paolo, Parrocchia
r . S. Nicolò, compag. della Morte
ſ . Scuole publiche
s . Torre del Popolo
t . S. Maria della Minerva, Parr.ia
v . Palazzo del Governatore
x . Palazzo de'i Priori
y . S. Stefano, Parrocchia
z . Piazza grande
1 . S. Maria delle rose, Parrocchia
2 . S. Lorenzo, Fraternità
3 . La Benedetta, Monast. di Monac.
4 . S. Vitale, fraternità
5 . Amfiteatro detto il bagno
6 . S. Catherina, frater.ta di S. Antonio
7 . Fonte di S. Rofino
8 . S. Rofino, Chiesa Cathedrale
9 . S. Chiara, Monast. di monache
10 . Fonte di S. Chiara
11 . S. Chiara, Fraternità
12 . Porta nuova
13 . S. Maria del Vescouato, Parocc.
14 . Il Vescouato
15 . S. Apollinare, Mon. di Monache
16 . Pozzo di S. Pietro
17 . Hospitale di S. Gregorio
18 . Gli Epis. Monast. di Monache
19 . Hospidale di S. Antonio
20 . Hospidale della Comunita
21 . Fonte Marcella
22 . Fraternità di S. Pietro
23 . Hospidale di S. Lorenzo
24 . S. Gregorio, Fraternità
25 . S. Fran.co piccolino, gia stalla dove nacq.
26 . Hospidale di S. Pietro
27 . S. Chirico, Monast. di Monache
28 . Fraternità di S. M. del Vescouato
29 . Piazza nova
30 . La Rocca
31 . Porta perlasio
32 . S. Maria delle gratie
33 . La Rocchetta fortezza
34 . Carcerelle
35 . Carcere grande
36 . Porta di S. Antonio
37 . S. Antonio loco de'i Capuc.ni
38 . Porta di Moiano
39 . S. Francesco del rivo torto
40 . S. Maria Madalena
41 . S. Rofino d'Arci
42 . S. Nicolo
43 . S. Agostino

Obitus D. Francisci: suum obiit anno Christi 1226 apud Divæ Mariæ, Angelicæ fanum, quod intra primum lapidem in planitie situm est.

Quin etiam Beata Clara perillustris virgo, Divi Francisci discipula & popularis, ut auctor Petavius est in rationario temporum part. I. lib. IX. pag. 573. pudicitiæ summum exemplar maxima vitæ sanctimonia Assisium illustravit. *& B. Claræ.* Obiit anno Christi 1252. Ejus honori hîc templum erectum est, in quo simulacrum crucifixi Christi monstratur, diciturque pro comperto collocutum cum S. Francisco fuisse. Ostendit hæc eadem Basilica monumentum cum cineribus piæ nobilissimæque virginis; quod tamen Iacobus Villamontius eques Ierosolymitanus in suo itinerario patrio idiomate Gallice conscripto pag. 65, in opido Montis Falconis, quod Catoni *Mons Fisus* dicitur, in æde Divæ Claræ ostendi eique inclusum integrum castissimæ virginis corpus sub altare conditum per candidum translucensque vitrum conspici indubiè affirmat, negatque eadem pagina ulli hominum D. Francisci cineres, quos Assisii asservari diximus, videndos exhiberi. Verum quoniam plerique auctores Divæ Claræ Virginis corpus Assisii statuunt, fieri potuit, ut deinde ex hoc loco Assisium fuerit translatum. Porro Assisium instructissima Bibliotheca publica decoratur, quod argumento est, & apud Assisinates coli studia literarum.

Sub opido Assisii ternis ab eo milliaribus per amœnam planiciem *Asius* amnis decurrit ab *Asimis* montibus vetus nomen mutuatus, quem nunc Itali Chiatium sive Chiusum sua lingua appellant. *Asius amnis.* Cæterum Asius seu Chiatius continuo auctu crescens, lapsusque per Augubinos Assisinosque montes Tinnam Plinio; aliis Topinum amniculum, qui non procul à Gualdo opido ex Apennino descendit, & propter montis, in quo Nuceria est, radices infimam vallem (cui inde Topiniæ nomen) percurrit, infra Canariam opidum recipit, nomenque Topini solo tum Chiatii nomine retento extinguens, post relicto à sinistris Bettonio opido, demum in Tiberim prope Torsanam defertur.

BONO-

B O N O N I A,

jussu illustrissimi SENATUS BONONIENSIS Italico Idiomate à CASPARO BOMBACI descripta, & ad me transmissa MDCLVI.

Latine sic audit.

Origo. ETsi, qua origine BONONIA extiterit, nullis sit monumentis ob remotissimam ejus urbis antiquitatem memoriæ proditum; tamen eandem jam aliquot sæculis ante Conditam Romam *Thusciæ* Metropolim fuisse, nemo fere est qui ambigat. Quamobrem à Plinio hoc in descriptione Regionum decoratur encomio: BONONIA, *Felsina vocitata, cum Princeps esset Hetruriæ.* Silius Italicus Æneæ Bononienses bello adversus Turnum studuisse, his versiculis, erudite in Orat. de Laud. Bononiæ, à Benedicto Morandi explicatis, significat:

> *Et quondam Teucris comes in Laurentia bella*
> *Ocni Prisca domus, parvique Bononia Rheni.*

Porro Ocni, cognomento Bianoris Sepulcrum, (cujus Ecloga VIII Virgilius meminit:

> *Hinc adeo media est nobis via; namque sepulcrum*
> *Incipit apparere Bianoris.*)

Fuit haud procul Bononia loco, qui etiam nunc Pianorum appellatur: ipsa vero Bononia, quemadmodum certissimis constat argumentis, prisca istius Ocni domus fuit, qui deinde Mantuam condidit. *Fundatores.* Agucchius Archiepiscopus Amasinus tractatu de fundatione Bononiæ. Conditorum ejus urbis, quos Annius Viterbiensis asserit, falsitatem redarguens, negat Felsinum, Bonumque ex Thusciæ regum numero fuisse, ab iisque hanc urbem Felsinam & Bononiam nominatam: ait enim vocabulum, Felsina, prisca illa lingua, Propugnaculum sive munimentum provinciæ significasse. At vero concludit, occupata à Gallis Bojis hac Thusciæ regione, urbem Bojonæ primum; *Nomen.* tum Bononiæ nomen accepisse; flumenque præfluens Rhenum fuisse ab iisdem appellatum, in Gallicani memoriam Rheni fluvii celeberrimi, quo à Germanis Galli segregantur.

Idem Galli Boii post retentum longo tempore Bononiæ imperium, inclinante belli fortuna, à Romanis Scipione Nasica duce fuêre, teste Livio, expulsi. Quibus ejectis ternis suorum millibus Romani frequentiorem agrum Bononiensem reddiderunt, Bononiamque majoribus quam cæteras civitates beneficiis afficientes Coloniam Latinam appellaverunt: *Colonia Latina.* quo nomine Romani Prætoris jurisdictione exempti Bononienses honorum omnium, munerumque capaces intelligebantur. Per idem tempus à togarum usu Bononiensis regio togatæ cœpta Galliæ accenseri.

Dignitas. Cæterum dignitas hujus coloniæ vel ex agrorum liquet assignatione, qua Romanis equitibus colonis septuaginta; cæteris habitatoribus quinquaginta singulis jugera obvenere. At Parma, Mutinaque Romanis suppositæ legibus coloniæ, illa octo solum; hæc quinque divisis agris jugera pro singulis colonis accepit. *Literati Bononienses.* Iisdem temporibus Bononiæ viros literatos fuisse, ac studiis doctrinæque deditos, Caji Rusticelli, Lucii Pomponii, Rufique nomina, quæ per tanta temporum spatia ad nostram ætatem pervenêre, testantur. Primum insignem Tullius laudat Oratorem: alter

BONONIA DOCET MATER STVDIORVM

ILLUSTRISSIMO SENATVI BONONIENSI
TABVLAM HANC *quam potest officiose* D.D.D.
I. BLAEV.

A. Porta di Strá Magiore.
B. Porta di Strá S. Vitale.
C. Porta di Strá S. Donato.
D. Porta della Mascarella.
E. Porta Galiera.
F. Porta delle Lame.
G. Porta di S. Felice.
H. Porta S. Isaia.
I. Porta Saragozza.
L. Porta S. Mamolo.
M. Porta di Strá Castiglioni.
N. Porta di Strá S. Stefano.

1. Palazzo del comun Principato.
2. Sala del Potestá.
3. San Petronio Protettore.
4. Padri della Sporta.
5. Santa Maria de Serui.
6. San Tomaso.
7. Torre delli Asinelli.
8. Torre de' Garisendi.
9. Suore di S. Caterina.
10. S. Maria del Tempio.
11. J. Mendicanti.
12. Suore di S. Leonardo.
13. S.S. Sebastiano et Rocco.
14. Le Putte de S. Maria.
15. Religuia di S. Anto: da Padoa.
16. S. Bartolomeo de P.P. Teatini.
17. Suore di S.S. Vitale e Agricola.
18. S. Maria del Suffragio.
19. Putti di S. Giacomo.
20. S. Maria Madalena.
21. S. Cecilia Parocchia.
22. S. Giacomo Frati di S. Agostino.
23. Compagnia di S. Marco.
24. Guasto del Palazzo de Bētiuogli.
25. Suore di S. Guglielmo.
26. S. Maria della Mascharella.
27. Orfani di S. Ma. Maddalena.
28. S. Martino Maggiore. F. Carmel.
29. Madonna del Soccorso.
30. Suore di Giesú Maria.
31. F. di S. Francesco di Paula S. Bero.
32. Mercato delle Bestie.
33. Compagnia di S. Gioseffo.
34. Suore di S. Elena.
35. Orfani di S. Bartolomeo.
36. S. Maria Maggiore.
37. P. della Madonna di Galiera.
38. S. Pietro.
39. S. Tomaso dal Mercato.
40. S. Barbara.
41. Suore di S. Ceruaso.
42. S. Gregorio.
43. S. Giorgio P. de Serui.
44. Suore di S. Bernardino.
45. Porto del Canale.
46. Suore Conuertite.
47. Compa. di S.S. Giacomo et Filippo.
48. S. Lorenzo
49. P. della Carita.
50. Suore della Badia.
51. S. Niccolò.
52. Spedaletto di S. Francesco.
53. San Francesco.
54. La Madonna della grada.
55. Compa. di S. Pellegrino.
56. Suore di S. Gio: Batista.
57. S. Anna.
58. S. Isaia.
59. Suore di S. Mattia.
60. Suore delli Angioli.
61. Suore della Concettione.
62. Collegio de Spagnoli.
63. S. Paolo Bernabiti.
64. S. Saluatore Canonici Regol.
65. Collegio di Montalto S. Antonio.
66. Suore di S. Agnese.
67. Suore del Corpus Domine.
68. La Mata delle Gratie.
69. Compa. del Buongiesu.
70. S. Mamolo.
71. Ospitale de Bastardini.
72. S. Procolo P. di S. Benedetto.
73. S. Giacomo de Carbonesi.
74. S. Giouanni de Fiorentini.
75. S. Giouan Bata. P. Celestini.
76. S. Domenico.
77. Scuolo Pie
78. Studio Publico.
79. La Mad. delle Febbié.
80. S. Bernardo de P. Oliuetani.
81. Suore di S. Lorenzo.
82. S. Lucia P. Giesuiti.
83. Suore di S. Piero Martire.
84. Suore della Trinita.
85. La Madonna del Baracano.
86. Putte del Baracano.
87. S. Biagio Frati di S. Agostino.
88. Spediletto di S. Biagio
89. S. Gio: in Monte Canon: Later:.
90. S. Tecla.
91. Spedale della Morte.
92. Spedale della Vita.
93. Suore di S. Cristina.
94. La Madonna del Piombo.
95. Conduce a P. Carmel Scalzi.
96. Spedale di S. Orsola.
97. S. Egidio.
98. S. Ioseffe P. de Serui.
99. P. dall. Aceque.
100. La Madonna del Monte.
101. La Nonziata Frati Zoccolanti.
102. S. Michele in Bosco.
103. La Misericordia.

fabulas texuit Attellanas: tertium poëtam Martialis vita functum deplorat his versibus:

Funde tuo lacrymas orbata Bononia Ruso:
Et resonet tota planctus in Æmylia.

Omnium deinceps Bononia primum lacrymas; tum admirationem in se convertit, quando cæso Hirtii, Pansæque Consulum Romanorum exercitu ab Antonio tributoque à Triumviris in insula Lavinii fluminis Imperio, incendio pene absumpta in Octavii Cæsaris potestatem pervenit. Verum Claudio imperante, adhuc adolescens Nero (cui patriæ Vrbis incendia dein adeo placuêre) cum restaurandæ subsidium Bononiæ, Livio, & Suetonio auctoribus, palam in senatu à Claudio Cæsare exorasset; non longo tempore interjecto Fabius Valens spectante Vitellio Imperatore gladiatorios in hac urbe ludos magnificentissime celebravit.

Censorinus Imp. Ælius Spartianus commemorat, Censorinum Imperatorem, quod sævire cœpisset in militem suum, septimo die postquam electus esset, ab eodem in suburbana Bononiæ domo sua, in quam salutis causa recesserat, trucidatum, & sepulcrali ejus prope Bononiam locato marmori literis maximis incisa fuisse hæc verba:

Felix ad omnia: infelicissimus Imperator.

Bononiensium rerum scriptores Imperatorem hunc patriâ Bononiensem negant, ut multa indicium faciunt. Sepulcrum ejus putem eo loco fuisse, quo hodie extra Gallieram portam in Communitate Castagnoli minoris, ut vocant, via publica congesta humus cernitur, quam vicini causam rei ignorantes cuspidem Imperatoris appellant. Sed veriorem Bononienses adepti sunt *Religio.* gloriam, quando ad Christianam conversi fidem effuso suorum SS. *Hermetis*, *Aggai*, *Caji*, *Vitalis*, *Agricolæ*, *Proculi*, aliorumque martyrum sanguine cœlestia affectare regna cœperunt. Numerus eorum qui vitæ sanctimonia clari extitêre, ni brevitatis ratio nobis esset proposita, non tenuem hujusce descriptionis nostræ partem postularet. Ex Zosimo comite authores referunt, Bononiam ad interitum inclinantem, ob bellum Mesentii Tyranni, atque Arrianorum persecutionem rem præclaram atque æterna memoria dignam gessisse. Nam cum Alaricus Gothorum rex subjugata urbe Roma, ad expugnandam Bononiam accessisset, propter acerrimam defensionem solvere obsidionem coactus est. Nec Petronium fas est silere, qui Constantinopoli à Theodosio II. Imp. ad Cælestinum Papam ablegatus, huic urbi divina providentia Episcopus impositus, piis eam à se legibus fundatam, Imperialis ærarii beneficio ampliavit; privilegioque à Cæsare obtento, ut deinceps STVDIORVM MATER vocaretur, asportatis è Terra Sancta inæstimabilis pretii reliquiis decoravit. *Studiorum mater.* Tot laboribus exantlatis, dum in humanis ageret Petronius, cælesti civitate donatus perpetuo hanc urbem patrocinio tuetur. *S. Petronius urbis patronus.* Quamobrem memores tot beneficiorum Bononienses Petronio suo Ædem excitarunt, qua nihil in urbe nec majus est, nec magnificentius: augeturque ea novis quotidie operibus, & ad laxitatem, & ad ornatum. Girardacius falso opinantes Bononiensi civitati à Theodosio I. Imp. vastitatem illatam, editis scriptis confutavit: præsertim cum nonnulli scriptores Thessalonicensem victoriam Bononiensibus adscribant. Non infima quoque Bononiensium laus est, quod grassante per Italiam Attila rege, (qui se flagellum Dei esse dicebat) non solum libertatem retinuerint suam; sed & in media barbarie diutius quam cæteræ urbes Italiæ; Latinæ linguæ suæ decorem. Carolus Magnus Imperator à Longobardorum jugo Bononiam liberavit; *Libertas.* & Magnus Otho Imp. eidem liberæ civitatis jura impertiit. Sed cum Bononienses ad Terræ Sanctæ recuperationem magno suorum numero cum cæteris Principibus Christianis proficiscerentur, eniteretque virtus eorum in Pelusii expugnatione, in memoriam rerum à civibus suis præclare gestarum, Insignibus *cruce rubra* donata Bononia est; *Insignia Vrbis.* cui deinceps LIBERTATIS nomen *cum liliis aureis* appositum. At quæ ista libertas Bononiensium, quos arce media urbe extructa Quintus Henricus Imp. obedire coëgit? quam cum demoliti fuissent, odium Imperatoris offensionemque à se Alberti Grassi sui, qui Regibus olim, Imperatoribus, ac Ponti-

Pontificibus non ſpretam dignitatem Senatoriam Romæ poſtea adeptus eſt) eloquentia averterunt. Memorabile eſt illud præcipue, quod cum Theodoſius I. Imp. dato Bononienſibus jure Academiæ, conceſſaque facultate omnes docendi ſcientias, legum tamen profeſſionem ſolis Conſtantinopolitanis, Romaniſque licitam vetuiſſet; *Privilegium.* Lotharius II. Imp. hoc quoque privilegio Bononienſes affecit, teſte Odofredo antiquiſſimo Iureconſulto ad legem Ius civile. n. 1. & §. De Iuſt. & Iure. Igitur ut audiri eo tempore *Azo.* commodius & majori celebritate Azo poſſet Bononiæ Iuris Profeſſor, propè Ædem D. Stephani aſſignatum ei fuit, quod dena millia ſtudioſorum caperet, *Bononienſis Academia.* theatrum. Qua re crevit adeo Bononienſis Academiæ gloria, ut Gregorius IX. & Bonifacius VIII. Summi Pontifices Academicis Bononienſibus Decretalium libros dedicarint, ut ex textu juris Canonici licet arguere.

Et poſt illa tempora Chriſtiernus Daciæ rex cum in tranſitu duo ex ejus nobilibus aulicis Bononiæ, alter legum, & Philoſophiæ alter inſignibus honeſtaretur, utrique cooptationi interveniens, præparatum ſibi ſublimiorem cæteris locum occupare recuſavit, hac forma verborum; *acquieſcere ſe loco quo ſederent ii, quos univerſi ſummis honoribus digniſſimos exiſtimarent.* Carolus V. Imperator poſtquam Imperialem Bononiæ coronam à Papa Clemente VII. impoſitam accepiſſet, confirmaſſetque in ampliſſima forma, ut ajunt, Bononienſis Academiæ antiqua privilegia, teſtatum apud omnes relinquere cu- *Doctores.* piens judicium ſuum, Doctores Academicos ad unum omnes equites creavit, & comites Palatinos; data iiſdem inſuper facultate equeſtrem conferendi dignitatem iis, qui deinceps Bononiæ Doctores promoverentur.

Bononienſibus quoque non modica laus tribuenda videtur; quod accepta à beneficis Imperatoribus jura libertatis contra eoſdem tuendo adſiduos ſe præbuerint Pontificiæ dignitatis aſſertores. Quo facto cunctas Romandiolæ civitates in poteſtatem ſuam redegerunt, *Henzo captivus.* captoque Mutinenſium duce Henzone Friderici II. Imp. filio ex iiſdem triumpharunt. *Henzonis redemptio reſpuitur.* Henzonem Fridericus pater aureo circulo Bononiæ mœnia cingente redempturum ſe obtulit; verum Bononienſes, ut tranquillitati univerſæ Italiæ conſulerent, tam magnificam oblationem abnuentes Henzonem pro dignitate habitum ad mortem uſque detinuerunt. Quamobrem Fridericus jam ante Sacris à Papa atque Imperii gubernaculis interdictus, cum vicem filii alia ulciſci via nequiret, tollere Bononienſibus Academiæ jus fruſtra tentavit. Nam paulo poſt ipſe fluminis aqua ſubmerſus; & Henzo filius tolerata viginti duorum annorum cum novem menſibus cuſtodia mortuus, regio apparatu in S. Dominici Æde, in qua aureis monumentum ejus literis inſcriptum cernitur, ſepultus eſt. Nec leve Bononienſium *Potentia.* potentiæ argumentum eſt bellum adverſus Venetos triennio geſtum; quo ſub eorum ſignis quadraginta millia virorum militaverunt. Cauſam huic bello Veneti dedere vectigal à transfretantibus Mare Adriaticum poſtulantes: Hanc rem inique ferentibus Bononienſibus, extructo ad oſtium Padi fluminis munimento *Primaro* nominato, poſitiſque in flumine navibus terra, marique cum Venetis diu æquo Marte decertatum eſt. Tandem Odoardi cognomento Sancti, Angliæ regis, & quorundam religioſorum auctoritate inter utroſque hac lege conſtituta pax eſt, ut diruto munimento liber deinceps Bononienſibus tranſitus daretur, quando non ultra vicena millia frumenti corbium, ut vocant, & tricena millia corbium ſalis una navi veherentur. id quod monumentis rerum à Bononienſi magiſtratu geſtarum in Tabulario publico aſſervatis continetur. In iſta Bononienſium Republi- *Annuum imperium.* ca annuum imperium penes Prætorem erat, & populi Præfectum ſeu Tribunum plebis utrumque extraneum; modus gubernandi à ternis conſiliis definiebatur. Ex his præcipuum atque univerſalius conſtabat quaternis millibus virorum; alterum particulare ſexcentis; & tertium à vulgari vocabulo *Credenza* appellatum ex ſolis Magiſtratibus, quorum primi Conſules erant, componebatur. Cæterum potentia Bononienſium diſſidiis civilibus (ut fieri amat) permultum diminuta eſt. Nam Guelphorum factio-

factioni addicti, Gibellinorum, quos vi expulerant, armatum in Vrbem reditum metuentes Nicolao Papæ III. eandem retentis tamen privilegiis, & jure conventorum dediderunt. Facta deditione cum extorres deinde revocarentur, palam in foro solennis conciliata pax est inter utriusque factionis familias, quas ex Patre Cherubino Gerardacio, & Pompejo Vizzanio Historicis Bononiensibus literario ordine huic descriptioni visum est inserere.

Nomina familiarum Gibellinæ factionis Lambertazzorum.

Accarisi.	*Foscarari.*	*Orsi.*
Angelelli.	*Garzoni.*	*Paci.*
Belvisi.	*Gessi.*	*Principi.*
Balla.	*Guidotti.*	*Sacchi.*
Bombaci.	*Guastavillani.*	*Salaroli.*
Boninsegna.	*Lojani.*	*San-Giorgi.*
Boschetti.	*Lambertini.*	*Toschi*, aliæque ad centum & quinquaginta octo.
Bottrigari.	*Magnani.*	
Carbonesi.	*Marani.*	
Fabri.	*Mariscotti.*	
Fava.	*Nani.*	

Nomina familiarum Guelphicæ factionis Geremiorum.

Asinelli.	*Giochini.*	*Piatesi.*
Ariosti.	*Ghisilieri.*	*Poggi.*
Baldi.	*Gozzadini.*	*Poeti.*
Bentivogli.	*Grassi.*	*Prendiparti.*
Bianchetti.	*Griffoni.*	*Ricci.*
Bocca di ferro.	*Lambertini.*	*Rossi.*
Boschetti.	*Lamandini.*	*Sabadini.*
Carbonesi.	*Leoni.*	*Sampieri.*
Castelli.	*Malvezzi.*	*Savignani.*
Castellani.	*Melegotti.*	*Scappi.*
Chiari.	*Merighi.*	*Torelli.*
Christiani.	*Oddofreddi.*	*Vbaldini.*
Delphini.	*Paci.*	*Vizzani*, aliæque ad 134.
Fantuzzi.	*Papazzoni.*	
Foscarari.	*Pepoli.*	

Gibellinorum expulsio. Verum exorto denuo civili bello, Gibellinorum fere quindena millia cum Antonio duce urbe expulsi fuere. Hinc in plerisque civitatibus Italiæ familiæ nobiles extant, quæ è Bononiensibus coaluerunt. Reliquæ non studentes Antonio cum domi manerent, Pontificias partes sive Geremiorum secuti sunt. Antoniani continuis fere motibus vexationibusque fluctuantem Bononiam reddentes, ob suculæ furtum Faventiæ deinde oppressi anniversariæ Bononiensium lætitiæ Sacra D. Bartholomæi die publice in foro solitæ celebrari causam dedere. *Suculæ furtum.* Sed cum deinceps Bertrandus Cardinalis Caduensis ad Bononiæ gubernacula accederet, & fabricato à se ad portam Gallieram munimento imperiosius dominaretur, relicta Bononiensibus arce excedere coactus est. *Varii Dominatus.* Non longo tempore interjecto Thadæus Pepolinus Beccadellos, & Brandoligios Gozzadinos expellens, hac occasione dominatum urbis retinuit; quem cum ultro in ministrorum Pontificiorum manus publice tradidisset, accepto diplomate Papali per idem tempus præfectus justitiæ renuntiatus est. Successere in hanc functionem filii Iacobus, & 1340. Ioannes Pepolini, qui varie jactati afflictique Vicecomitum potestatem invexerunt; quam deinde Cardinalis Ægidius 1361. Albernotius universæ ditionis Pontificiæ Legatus commisso ad S. Raphaëlem prælio

prælio penitus extinxit. Ad hanc victoriam socia Bononiensium auxilia non leve momentum contulerunt: quamobrem memoria illius exposito quotannis pallio ex holoserico rubro Bononiæ in via cursûs equorum barbarorum celebratur. *Victoriæ monumentum.* Vrbano V. summi Pontificatus clavum tenente Bononienses ob magnitudinem rerum gestarum ab eodem Pontifice, procurante Ioanne
1382. Lignani Iuris Doctore, & Bononiæ Pontificis vices gerente libertatem civitati suæ & patrocinium, constitutis Prioribus consulibus vicariis Papalibus, impetraverunt. Iisdem Consulibus Imolam, ac Comitatum nominis ejusdem administrandum idem Vrbanus concessit; quod beneficium Bonifacius Papa VIII. viginti quinque annorum tempore extendit. Præter Prætorem, populique Præfectum seu tribunum plebis, qui ex exteris asciscebantur, reliqua hujus Reipublicæ membra ordinabantur à supremo magistratu, *Magistratus.* composito ex Antianis Consulibus, Iustitiæ vexillifero, infimo ex Vexilliferis plebis, & magistris opificum, quibus accedebat quadrigenti-virorum generale Concilium, Atheniensium more, quod deinde exemplo eorundem in sexcentiviros excrevit, data facultate Consulibus usque ad millenarium numerum complendi. Dio memoriæ prodidit Augusto imperante ad condendum Senatus consultum quadringentorum numerum Senatorum requisitum fuisse. At vero ex prædicto generali concilio magistratus omnes creabantur, & subsequentibus temporibus Genuensium more ex eodem etiam concilium centum & viginti Senatoribus constans formabatur, ex quibus tertio quoque mense triceni nominabantur, qui consilio prioribus Consulibus adessent.

Eo tempore, quo Bononia Respublica audiebat, felix bellum in Lombardia Bononienses gesserunt, *Bellum felix.* nam præter direptum Corregium opidum, in limitibus Imolæ, Faventiæque Castrum Bononiense à nomine suo dictum extruxerunt, ac præmium navatæ operæ Clodovæi Regis cæruleum vexillum 1389.
aureis pictum liliis à Carolo Francorum Rege Petri Blanci Legati manibus oblatum retulerunt. Omni tempore Bononienses operam dederunt, ut æqua esset partitio magistratuum: annis tamen 1333 ex Bombacia gente bini: 1462 *Magistratuum partitio.* ex Malvezza totidem: 1475 ex Sampieria itidem bini Priores Consules fuisse compertum est. Familiarum è quibus Concilium quadringenti virorum, & alterum centum & viginti virorum, à quibus tota Respub. pendebat, componebatur, nomina ex Ghirardacii historiarum parte secunda, & statutis politicis hujus civitatis excerpta sequenti ordine alphabetico subjunximus:

Agocchi.	*Bocca di ferro.*	*Cortellini.*
Albergati.	*Bolognetti.*	*Cospi.*
Alè.	*Bolognini.*	*Christiani.*
Ambrosini.	*Bombaci.*	*Dainesi.*
Angelelli.	*Bonfigli.*	*Desiderii.*
Argelati.	*Boninsegna.*	*Dolphi.*
Argeli.	*Botrigari.*	*Fantuzzi.*
Ariosti.	*Benzanini.*	*Fasanini.*
Armi.	*Bovi.*	*Fava.*
Avolii.	*Bucchi.*	*Felicini.*
Azzolini.	*Buoi.*	*Fiessi.*
Banci.	*Caccialupi.*	*Fontana.*
Bargellini.	*Caldarini.*	*Foscarari.*
Beccadelli.	*Campeggi.*	*Fucci.*
Belvisi.	*Casari.*	*Gallesi.*
Bentivogli.	*Castelli.*	*Garganelli.*
Beroaldi.	*Cavalieri.*	*Garzoni.*
Bevilacqua.	*Cavazza.*	*Gessi.*
Bianchetti.	*Chiari.*	*Ghisilieri.*

Gozzadini.	*Melegotti.*	*Salaroli.*
Graſſi.	*Mogli.*	*Sampieri.*
Griffoni.	*Mondini.*	*Savignani.*
Guaſtavillani.	*Monte calvi.*	*Scappi.*
Guidotti.	*Monterenzi.*	*Sega.*
Lamandini.	*Muſotti.*	*Seta.*
Lambertini.	*Oddofredi.*	*Terra.*
Lana.	*Oretti.*	*Torre.*
Leoni.	*Orſi.*	*Torrelli.*
Lignani.	*Paci.*	*Vgolotti.*
Lojani.	*Paleotti.*	*Vitali.*
Lodoviſii.	*Papazzoni.*	*Vizzani.*
Lupari.	*Pariſi.*	*Volta.*
Magnani.	*Pepoli.*	*Zambeccari.*
Malvezzi.	*Pini.*	*Zanetti.*
Manzoli.	*Ratta.*	*Zamboni.*
Mariſcotti.	*Ringhieri.*	Aliæque ad trecentas & viginti novem.
Marſigli.	*Rolandi.*	
Matteſilani.	*Sabbatini.*	

Potentia Caroli Zambeccarii ſuffulta auctoritate Vgolini Scappi viri fortiſſimi libertatem ſuſtulit Bononienſibus. Sed eo peſtilentiæ morbo ex-
1401. tincto, Ioannes Bentivolius fruſtra renitente Nanno Gozzadino imperium urbis uſurpavit; quo tamen non multo poſt inito cum Vicecomitibus & Gozzadino in Caſaleciana valle prælio inferior, exutus eſt. At cum deinceps abulciſcentibus privatam injuriam Bentivolius enecaretur, vocatuſque ad patriæ urbis dominium Gozzadinus (qui cædem Bentivolii indigniſſime ferebat) oblatam dignitatem recuſaret; in brevi tam celerem & tam variam Bononienſis Reſp. mutationem ſubiit, ut modo recuperata libertate gauderet; mox lamentaretur amiſſam. Nonnunquam enim Vicecomitum, Pontificum nonnunquam, tandem etiam infimæ plebis ac multitudinis imperio parere coacta. Cujus eandem manibus Iacobus Iſolanus eripuit, qui ob eam cauſam Cardinalitiam dignitatem adeptus eſt. Iſthæc rerum viciſſitudo cum ex diuturno ſchiſmate Eccleſiæ, tum ex libidine Gubernatorum exorta tantarum calamitatum cauſa extitit. Ex eorum numero eſt Balthaſar Coſſa Cardinalis Legatus, qui Bononiæ in locum Alexandri Papæ V. demortui ſuffectus, dein Conſtantienſis Concilii decreto depoſitus eſt. Hic quam multa eo tempore peccarit, quo Bononienſem provinciam geſſit, contra eum ſuſceptæ litis acta teſtantur.

Mutatio regiminis.

Eædem mutationes Bartholomæo Dolcini Canonico Bononienſi materiam præbuerunt, ut de vario Bononienſium ſtatu compoſitum à ſe librum evulgaret.

Dolcini liber de vario Bononienſium ſtatu.

Pacta conventa cum Martino V. Pontifice denuo Eccleſiaſticum regimen in urbem induxerunt. Sed cum id culpa Pontificii gubernatoris ab Eugenio dati, quod Ioannis I. Bentivolii filium Antonium ſine forma judicii damnatum propter nimiæ ſuſpicionem potentiæ capite plecti juſſiſſet, interrumperetur; in manus Vicecomitum dominandi poteſtas reincidit. Ab his ad Franciſcum Picininum derivata eſt, qui in arce Varanenſi, in Apennini jugis prope Parmam exſtructa, Hannibalem Antonii Bentivolii filium doloſe in carcerem conjecit. Quamobrem Galeatius Mariſcottus, dum Legati Bononienſes liberationem Hannibalis Mediolani fruſtra ſollicitarent, aſſumptis quinque ſociis, mirabili quadam ratione arcem occupavit, Hannibalemque clam Bononiam deduxit: quæ res deinde cauſa publicæ libertatis extitit. Celeberrimi quique 1443.
iſtorum temporum ſcriptores utroque ſcriptionis genere ligato, ſolutoque memoriæ prodiderunt, quam funeſtam Bononienſes direpto Palatio, & capto Franciſco Picinino Mediolanenſium ingentibus copiis, quibus Ludovicus Vermenſis comes imperabat, cladem attulerint; & qua ratione redactum in

in poteſtatem ſuam ſtructum ad Galieram munimentum demoliendo Vicecomitum Tyrannidem extinxerint. *Prælium.* Tempus hujus prœlii terreſtris, quod incruentum Bononienſibus extitit, incidit in eam diem, quæ Auguſto menſe Virgini Matri ſacra celebratur. Quamobrem Magiſtratum Bononiæ gerentes quotannis ad Eccleſiam Deiparæ Montanæ appellatam ſollenni proceſſione gratias acturi coëquitant. At vero Baptiſta Canetoli veteranus patriæ proditor cum libidine gloriæ, & magnitudine à Vicecomite promiſſorum; tum quod ei fortuna Bentivoli invidiæ eſſet, plenum furoris opus aggreſſus, Bentivolum vita *Bentivoli cædes.* exuit: qua cæde deinde & ſibi & formidabili nomini ſuo interitum peperit. quippe ædibus ejus vi flammæ abſumptis ſequaces, quos data late per vicos ſtrages non obruit, ejecti patria fuere Galeatio Mariſcotto procurante, qui quidem non ſine periculi metu una die & publicam, & privatam vindicavit injuriam. Eo tempore penes Bentivolos, Malvettios & Mariſcottos, Bononiæ dominatus fuit, teſte Ænea Sylvio Piccolomineo. At Virgilius Malvettius (quem Laurentius Medicæus iſtis temporibus totius Italiæ ſapientiſſimus judicatus datis ad eum litteris patrem ſolitus eſt appellare) procuravit ut Santius Bentivolus, cui tenuior erat apud Thuſcos conditio, ad tutelam Iohannis II, filii
1447. Hannibalis evocaretur. Per idem tem-
Pactum. pus Bononia pacta iniit cum Nicolao V. Pontifice, quorum etiam nunc eſt viridis obſervantia. Hoc interim ſpacio Iohannes Bentivolus feliciſſimo curſu ætatem rebus gerendis adeptus, Pauli II.
1466. beneficio Senatui viginti, & unius virorum præſes renuntiatus, dignitatem hanc vitæ ſociam obtinuit. Ab iſto Senatu ille, qui nunc eſt, derivatur, conſtans initio ſui anno ſcilicet 1393 ſedecim-viris. Porro Iohannis felicitatem nullis ante malis interruptam Ginebra Sfortia conjux, mulier imperioſiſſima, ejuſque filii læſis iis, quos dignitatis ſuæ autores eſſe non ignorabant, penitus ſubverterunt.

Iulius II. Bononiam occupat. Enim vero Iulius II. Pontifex, cum aliis rationibus, tum præcipue adſiduis de iniqua Bentivolorum adminiſtratione querelis commotus cum exercitu Bononiam (quam jam ante adventum eis Bentivolus cum ſuis reliquerat) *Iulii II. P. adventus.* adveniens, cum ſumma teſtificatione obſequii à Bononienſibus exceptus eſt. Poſteaquam vero Senatum immutaſſet, ſtatuiſſetque, quæ ad urbis commoda pertinere videbantur, novis eam privilegiis cohoneſtavit virtutem contractus 1510.
iiſdem impertiens. Iter Pontificis & res *Res geſtæ.* ejus geſtas, laudeſque Bononiæ Hadrianus Cardinalis erudite ac eleganter Latino carmine expreſſit, cujus pars quædam in Atlantibus ſeu terrarum deſcriptionibus legitur. Ipſe Pontifex Bononiam reverſus ne ab Hermete Bentivolo caperetur, armis ſuis populus Bononienſis prohibuit.

Sed cum Cardinalis Alidoſius, Epiſcopus Ticinenſis, qui à peſſime actis haud bonum nomen invenit, Bononiæ Legatus maneret, ageretque cuncta negligentius, invaſere dominium Ioannis filii, qui ædes ſuas dirutas everſaſque reperientes, majus ſibi palatium habitationem delegerunt illico munimentum *Ioannis Bentiv. filii rurſus ea potiuntur.* Galieræ, quod juſſu Iulii Pontificis, ut recuperandæ urbis ſpes Bentivolis adimeretur, fuerat inſtauratum, adjuvante plebe quintum demoliti; non obſtante, quod auſpicato primum lapidem artifices poſuiſſent. Per idem tempus Guicciardinus magni nominis hiſtoricus privatim offenſus, à Bentivolorum erratis *Guicciardini odium in Bononiam.* & ſociorum anſam arripiens, conceptum in Bononiam odium in elaborato opere ſuo hiſtorico fictis narrationibus effudit. Cardinalis vero Alidoſius cum falſo Vrbini Ducem, qui & nepos Pontificis erat, accuſaſſet, quod ejus culpa Bononiam Bentivoli recepiſſent; falſitatis ſuæ pœnas vita ab eodem Duce exutus perſolvit.

Fruſtra deinde recuperare armis Bononiam Pontifex tentavit; nam & tri- *Fruſtra Pontif. Bonon. tentat.* plicem exercitum à mœnibus ſuis Bononienſes propulſarunt, & acti ad Divæ Virginis Baracanæ templum cuniculi divina benignitate effectu caruerunt: quippe murus vi erumpentis flammæ in ſublime projectus, diſſipatuſque, deinde relapſus ſe admirabili quadam ratione eodem quo ſteterat loco con- *Muri diſſipati miraculum.* junxit, viſis utrimque, inter diviſas muri partes, & momento temporis rurſum coëuntes, invicem pugnantibus. Interea

ea auxiliares Gallorum copiæ non advertentibus hostium excubiis, candore nivium forte, quæ diebus aliquot ceciderant, occæcatis, Bononiam subeuntes, oppressionis eam periculo liberarunt, & Bononienses agendæ rei opportunitatem nacti, Bentivolis per Castellium Vexilliferum suum oratione, sed armata spontaneam emigrationem persuaserunt. Hac ratione Bononienses deinceps Pontificium dominatum ultro admittentes, eundem armis constanter conservarunt, frustra resistente Vicelegato parum fideli, cum Adriani Papæ in Italiam expectabatur adventus. Itaque innumerabilibus de causis inclyta Bononia, destinata quoque fuit solennissimæ Caroli V. Cæsaris coronationi à Clemente Papa VII. peractæ. Et cum plurimos Episcopos ac Cardinales genuerit, septem quoque Summos Pontifices Romanæ imposuit Ecclesiæ. Quemadmodum vero priscis illis temporibus Thusciæ regum sedes extitit, à quibus Romani Ethnicæ religionis ritus didicere: ita nostris temporibus Bononia ad veri Dei cultum promovendum ipsi Romæ Sacrorum Principes summosve sacerdotes suppeditat.

Bononienses Pontif. dominatum ultro admittunt.

1523.

1530.

SVMMI PONTIFICES BONONIENSES.

Honorius II, *Fagnanius*, ob cognomen à Platina creditus ex comitatu Imolæ ortus. Electus 1124, 15 Decemb. obiit 1130, 16 Februarii.

Lucius II, *Caccianemicus*, electus 1144, 12 Martii; obiit 1145, 25 Februarii.

Alexander V, *Filardus*, Cretensis existimatus propter diuturnam à puero illic locorum commorationem: natus autem est Bononiæ, ut refert Sigonius de Episcopis Bononiensibus: electus 1409, 7 Iulii; obiit 1410, 3 Maji.

Pius V, *Ghisilierius*, Alexandrinus, de gente ob civile bellum exule natus: electus 1566, 7 Ianuarii; obiit 1572, 1 Maji.

Gregorius XIII, *Boncompagnius* dictus, electus 1572, 13 Maji; obiit 1585, 10 Aprilis.

Innocentius IX, *Fachenettus*, electus 1591, 29 Octobris; obiit 1591, 30 Decembris.

Gregorius XV, *Ludovisius*, electus 1621, 9 Februarii; obiit 1623, 7 Iulii.

COGNOMINA CARDINALIVM BONONIENSIVM, N°. 72.

Excerpta ex Ciacconio, Vgellio, Alidosio, Masinio aliisque. Quorundam ex his cognomina silentio præteriit antiquitas. *Agocchi.* 2 *Albergati.* *Bembi* Patricii Veneti, origine Bononienses. *Bentivoli*, nobiles Ferrarienses, & Bononienses. *Bevilacqua*, Nob. Ferrar. & Bononienses. 2 *Bianchetti.* 3 *Boncompagni.* *Boschetti*, nobiles Mutinenses, & Bononienses. *Bona.* 3 *Caccianemici.* 2 *Campeggi.* *Carruti.* 3 *Fachenetti.* *Fagnani.* *Filardi.* *Firignani.* *Garisendi.* *Geremei.* *Ghisilieri*, origine Bonon. 2 *Gozadini.* 5 *Grassi.* *Guastavillani.* 2 *Guerini.* *Insulani.* 3 *Ludovisi.* *Mariscotti.* *Mezzavacca.* *Paleotti.* 2 *Pepoli.* *Petrochini.* *Picciolpassi.* *Razali.* *Ratta.* 3 *Riari*, omnes de gente Bononiensi, unusque eorum Bononiæ natus. *Scannabecchi.* *Sega.* *Vbaldini.* *Zabarella*, nobiles Patavini, oriundi è *Sabatinis* Bononiensibus.

COGNOMINA EPISCOPORVM BONONIENSIVM.

Quorum aliquos sine cognomine apud Scriptores invenias. Sunt vero universi ducenti nonaginta quinque.

Accarisi. *Agocchi.* *Alabanti.* 4 *Albergati.* *Argeli.* *Ariosti.* *Avanzi.* *Baisi.* *Baragazza.* *Beccadelli.* *Benni.* 3 *Bentivoli.* *Bevilacqua.* *Binarini.* *Biscia.* *Boatieri.* *Bocca di ferro.* *Bolognetti.* *Bombizo*, nob. Veneti, origine Bononienses. *Bonagiunta.* 4 *Boncompagni.* *Boncambi.* *Bonfioli.* *Borgerini.* 4 *Boschetti*, nob. Mutinenses, & Bononienses. *Boschi.* *Botrigari.* 2 *Bovi.* *Buoi.* *Caccianemici.* *Caldarini.* 9 *Campeggi.* *Canonici.* *Carpensi.* *Casalechi.* 4 *Casali.* 3 *Castelli.* *Cattani.* *Cospi.* *Domenici.* 3 *Fachenetti.* *Fagnani.* *Fantuzzi.* 2 *Fava.* *Filardi.* 2 *Foscarari.* *Fratta.* *Gallazzi.* *Gambari.* *Gardini.* *Garzi.* *Garzoni.* *Ghelini.* *Ghisla.* 2 *Gigli.* *Ginasi.* 4 *Gozadini.* 9 *Grassi.* *Guarini.* *Guidotti.* 2 *Ghisilieri.* *Insulani.* 3 *Lambertini.* *Leazari.* *Lignani.* *Luchi.* 2 *Lucatelli.* *Lupari.* 3 *Ludovisi.* *Malvezzi.* 2 *Mariscotti.* *Masini.* *Mazza.* *Mezamici.* *Mezzavacca.* *Miroli.* *Musotti.* *Muzzarelli.* *Nani.* *Ongarelli.* *Opima.* *Orsi.* *Orati.* 4 *Paleotti.* 2 *Pallantieri.* *Pasi.* 2 *Pepoli.* *Piatesi.* *Piccioli.* 2 *Picciolpassi.* 2 *Poggi.* *Pollicini.* *Primadizzi.* *Raimundi.* *Ramponi.* *Razali.* *Riari.* *Roselli.* *Rota.* *Ruini.* *San-Girolami.* *San-Giorgi.* *Sala.* *Salcini.* *San-Giovanni.*

Sarti.

Sarti. Scappi. Segni. Sega. Seccadenari. Sighicelli. Spada. Tesseri. Torfanini. Tuata. Vavari. Vbaldini. Vergili. Verona. Volta. Zabarella, nob. Patavini, origine Bononienses. 3 *Zambeccari. Zambrasi. Zanetti. Zanettini. Zecca.*

Regimen Politicum modernum. Politicum Bononiensis urbis regimen, quæ præcipua Pontificiæ ditionis legatio est, à Cardinale Legato, & Prælato Vice-legato formam accipit. Legatus à latere dicitur, quod proxime à summo Pontifice dependens, ejus autoritate magistratum gerat, remisso onere rationis reddendæ. Edicta proponit consentientibus Senioribus, Consulibus, Vexillario justitiæ, & Dominis de regimine. eadem Vexillarius subnotat; nonnunquam vero pro re nata Prior Seniorum, & Vexilliferorum plebis, magistri opificum, & conscripti seu vocati in societatem regiminis subscribunt. Magistratus Seniorum & Vexillariorum plebis merum habet mixtumque imperium, subordinatum tamen cognitioni Cardinalis Legati; Senatusque perpetuus quinquaginta virorum eos eligit, rebusque gerendis admovet. Vexillarius justitiæ cum suis octo Senioribus primum magistratum componit, qui bimestris est. Sedecim Signiferi plebis, Tribuni plebis etiam dicti, & magistri opificum alterum magistratum Collegia appellatum constituunt, estque trimestris. Seniores cum Vexillifero justitiæ in publicum prodeuntes pompa sua quandam Majestatis speciem exhibent. Sectantur eos tubicines, pulsator corali, musici, clavatores & satellites coccinati, sacellanus, & trapezocomus, vir equestris ordinis, cum Helvetiorum bipennigerorum cohorte: item Secretarii, atque officiales bellici ad Senatum spectantes. In die solennis ingressus celebrata prævie campanarum pulsu, & feriarum justicialium indictione iidem Domini Seniores privatim, hoc est sine pompa in Vexillarii novi domo (Doctore excepto & eorum uno, quos equester ordo comitatur) convenientes, ad Palatium Helvetiorum cohorte stipati procedunt; kalendis vero Maji etiam centuria equitum hastigerorum eos antecedit. Quo cum venêre, tradito vexillo à Vexillario officio defuncto in manus Vexillarii novi, obvium in medio procœtone Cardinalem Legatum sede excipiunt, atque in sacello majore singuli coram eodem fidelitatis ac justitiæ juramentum deponunt. Quo facto surgentem atque abeuntem Cardinalem ad medium excubitorium Helvetiorum prosequuntur. Vnicuique illorum sua sunt attributa in palatio cubicula, & aulæ communes; Vexillario peculiaris est assignata contignatio; universi autem omnibus diebus matutinas epulas in palatio capiunt sumptu publico. Cardinalem invisuri Camerali veste incedunt, eademque induti munerum sive officiorum concessioni, comœdiis, Trojis, & similibus profanis functionibus interveniunt. Vexilliferi seu defensores plebis in eodem palatio tribunal, & huic annexa habentes cubicula, quotiescunque in publicum prodeunt, bipennigero singuli puero comitantur, ut noverint omnes antecessionis honorem iis tribuere, quemadmodum criminalium judex causarum Doctori, & generalis civilium rerum prætor unicuique eorum defert. Die introitus sui judiciorum feriis, & campanarum pulsu celebrato fidelitatis quoque & justitiæ præstant juramentum, tribuiturque iisdem vexillum, sub quo re postulante populum ad suas regiones convocant. Eodem tempore antemeridiano à Senioribus & Vexillario justitiæ largissimo epulo, tubis concinentibus aliisque musicis instrumentis, excipiuntur. Durante munere nulla civili ex caussa vocari in jus possunt. In hunc, ut & in alterum magistratum superiorem legum Doctor semper cooptatur, qui post Priorem cæteris honorabilior ut cuncta maturo consilio ponderentur, & decreta legitime formentur, attendit. Magistri opificum coram justitiæ Vexillario fidelitatis sacramentum deponunt, notariorum correctorem directorem habentes, qui in magistratu collegiorum vicedoctorem agit. In magistratibus Priorem cum Doctore si excipias, antecessionis dignitatem majores natu obtinent; in Senatu vero prioritas sessionis prioritatem loci attribuit. Bini Senatores quarto quoque mense honorem defensorum plebis ineunt. Iustitiæ Vexillarius antiquo more fuit è Senioribus

Gonfaloniero della Giustitia & i SS[ri]. Antiani.

Magistrato de Collegi.

Gonfalonieri del Popolo.

Massari dell' arti.

Vexilliferi honorarii. bus electus. Quini Vexilliferi certis anni solemnitatibus creari soliti carent omni jurisdictione, sola specie honoris contenti. Natu major è duobus nobilibus electus, titulo equitis insignis, vexillum portat Ecclesiæ; Doctor Pontificium; Legati Senator; nobilis natu minor Communitatis; & mercator Libertatis, omnes Palatino prandio cum Senioribus adhibiti. Qui mos ad copulandas voluntates, & publicam pacem stabiliendam fuit introductus.

Vestis Vexillarii. Vestem solemnem Vexillarius togam Senatoriam usurpat non talarem aut largis diffusam manicis; sed antiquo militari sago haud dissimilem. Visitationi incarceratorum Vexillarius camerali veste intervenit; quanquam ipse Cardinalis Legatus Præsulari carbasina indutus intersit. Quando Clementi Papæ Octavo processum fuit obviam, Senatoria Vexillarius toga ex holoserico purpureo operis phrygii inaurati usus est, atque in Sacello D. Petronii stetit erectus, solusque loco Principibus viris Legatisque regiis destinato. Seniores hyberno tempore utuntur palliis muris Pontici pellibus duplicatis. In dicto sacello sedêre gradu secundo ab erecto solio Papali. Senatus virorum quinquaginta Regimen plerumque appellatus, præsidem habet Vexillarium justitiæ, altero quoque mense suo è corpore suffragiis electum, residentemque in Palatio cum facultate quibuscunque Consiliis interveniendi. Is more Priorum, quos cæteri magistratus habent, dato juri ac potestati sive licentiis subscribit: decisa, aut decidenda Senatus decreto negocia dirigit, & subalternum habet Priorem. Cujusque anni initio Senatus in varia Consilia partitur, pro rerum ad jurisdictionem ejusdem spectantium diversitate, & causa omnis peculiari consilio ponderata, ad Senatum aliquando publicis; aliquando privatis pro re nata suffragiis dijudicanda refertur. Quædam res in hoc Senatu decretæ, coram Cardinale Legato examinantur denuo confirmanturque, qui tum solemni veste & carbasina Præsulari ornatus interest, sed sine umbrella & facultate ferendi suffragii: Tituli seu rubricæ causarum, quæ inter Consilia examinandæ distribuuntur, sunt hi sequentes: *Camera, Gubernatio, Militia, Magistratus, Munitio, Tentoria, Ornatus, Academia, Tributum, Confinia, Aquæ, Sublevatio, Vectigal, Fabrica S. Petronii, Impositiones Comitatus, Abundantia seu Annonæ vilitas, Pietatis mons, cum Fluminibus*: Sub prædictis etiam titulis omnia artificia & collegia seu corpora, item Rota civilibus causis, Grammatophylacium, Tabularium, Officina monetaria aliæque caussæ continentur. Consilium magistratus præ cæteris momenti plurimum ad publicam rem confert; nam præterquam quod penes id dictarum sit cognitio caussarum, ad idem quoque cura salutis publicæ pertinet, de qua cum ipso Principe sedulo deliberat. Consilium hoc, & quoddam aliud majoris momenti suffragiis eligitur, reliquis alternantibus.

Senatus partitio. *Tituli causarum.*

In manibus Senatus ærarium publicum est; idem Chiliarchas, tribunos militum & rerum capitalium præfectos designat. Pedestres cohortes, queis centuriones imponit, sunt viginti duæ circiter; equestres tres; sed numerosiores. Electio magistratuum militarium hac ferme ratione procedit. Militarem gradum ambientibus ad ternarium numerum à Senatu contractis, facultatem habet Legatus unum demendi ante de numero isto, quam è duobus reliquis, qui præesse officio debet, eligatur. *Ærarium.* *Electio Magistratuum militarium.*

Præter Pontificium, quod in palatio est armamentarium, peculiare ibidem Senatus habet Vexillarii habitationi proximum, & alterum in inferiore palatii parte machinis bellicis & huc spectantibus rebus instructum: huic iminet bibliotheca & Musæum Aldrovandi Doctoris celeberrimi, cujus hæres idem Senatus ex testamento extitit. Cubiculis Vexillarii qua è fenestris prospectus est, adsitus est hortus Simplicium ut vocant, structili è ferro sepe conclusus, cui Doctor annuo stipendio affectus præest, ut sciendi cupidos usum eorundem edoceat. Decreta Senatus sua à Secretario majore subscripta peculiari tabulario custodit, habetque præterea Secretarios quatuor, Cancellarios, Supranumerarios, Notarios aliosque ministros magno numero. Plurima Palatii cubicula variis diver- *Armamentarium.* *Musæum Aldrovandi.*

versisque Senatus consiliis, eorumque ministris sunt attributa. Academiæ Reformatores quatuor, è quadruplici civium ordine, Senatorum scilicet, Equitum, Nobilium ac Mercatorum electi, adhibito in societatem ipsiusmet Academiæ Consilio, affectis à Senatu Doctoribus stipendio prælegendi rationem ordinemque præscribunt, sublimiorum facultatum professionibus extraneos adhibentes stipendio è vectigali pecunia à Collegiatis Doctoribus & quibusdam Senatoribus administrata dato. Cives doctrinæ laurea donati speciali privilegio prælectionibus publicis admoventur salario annuo affecti. Reformatorum Academiæ creatio, Senatore excepto, ad Seniores spectat.

Reformatori dello Studio.

Civilibus in causis à decretis Magistratuum, & foro seu judicio Mercatorum licita est provocatio ad Rotam quinque Doctorum extraneorum, quos Senatus afficit salario, quibusque præsidet annuus Prætor in Prætorio residens, titulum atque antiqui insignia Prætoris conservans. Eædem causæ civiles nonnunquam ad Auditorem Generalem, Auditoremve Cardinalis Legati, ab eodem adscitos, remittuntur; præter illas, quæ ipsius Legati aut Prolegati judicio decernuntur. Prolegatus & Prætor criminalis, *del Torrone* vulgo dictus, semper ab ipso Pontifice dantur. Notarii criminalium causarum exteri à Præsidibus Montis Pietatis designantur, iisque unum Senatus adjungit, ut judicii istius statuta serventur. Supradictus Prætor cum annuus tantum sit, dignitate in alium migrante, quotannis kalendis Iulii novus Prætor attalica veste ornatus torquatusque equo solemniter Palatium invehitur, sociis Auditoribus Rotæ & Auditore proprio *dell' Orso* dicto, qui defraudantibus vectigalia publica judex datus, à Senatu in officio confirmatur. Præeunt tympanotribæ, equi splendido instrati ornatu, musici, tubicines, milites armati, Signiferi vexillis explicatis, famuli à pedibus, & puer aulicus baculum, virgam & pileum ex holoserico villoso rubro in manibus gestans. Sequitur eum longa rhedarum series. Vt accessit ad Palatium, coram Legato, Senioribus, Vexillario, & defuncto officio Prætore, prævia eleganti oratione, Cardinali Legato juramentum præstans, virgam prætoriam accipit; visitata deinde Cathedrali Ecclesia, ad Prætorium concedit, ad cujus pergulas vexilla ejusdem suspensa triduo relinquuntur, publicarum campanarum pulsu solemnitatem adaugente. In aula regis Henzonis Prætor atque Auditores Rotæ postulantes publice audiunt. Festis diebus Senioribus in publicum prodituris socius evocatur, convivio sæpissime ab iisdem exceptus. Evocatio autem ista responsioque à tuba canentibus ad fenestras utriusque Palatii modico à se intervallo disjuncti peragitur.

La Rota.

Il Podesta.

Notarii criminales.

Senatus Romæ Legatum procurantem res suas alit sumptu liberalissimo. Ex ærario pecuniam publicam non nisi exigente necessitate, quæ maturo consilio expenditur, & consentientibus quadraginta duobus fas est accipere. Bononienses etiam Romæ suum habent Sacræ Rotæ Auditorem cum Advocato Consistoriali: vigetque adhuc apud eosdem antiquum statutum pactumque auream atque argenteam monetam signo patriæ & Summi Principis signandi. Camera Bononiensis præter multas alias eleemosynas, quotannis ducentas & viginti corbes farinæ triticeæ in pauperes erogat ex decreto ob restitutam libertatem anno 1377 lato. Iam à centenis annis institutum in honorem Bononiensium Pontificum morem elargiendi niceteria cursoria constanter observat; Senatus vero cuicunque recens advenienti Legato auream ingentis pretii crateram donat. Cardinalis Legatus non solum Helvetiorum cohortem, (cujus pars Prolegato quoque satellitium præbet) sed etiam Velitum turmam custodem corporis habet: utrique magistros summus Pontifex designat; Helvetiis vero nationis ejusdem præfectum imponit. Eligitur etiam à Pontifice Præfectus portæ Palatii Bononia oriundus, qui claves illius auspicanti legationem seu administrationem Cardinali Legato à se in solemni introitu oblatas recipit ab eodem custodiendas. Pontifici solum vectigal vinarium competit; administratorque ejus Thesaurarius Papalis appellatur. Reliquum omne vectigal ad Senatum spectat, qui de eodem

Moneta Bononiensis.

Eleemosynæ.

Niceteria cursoria.

Præfectus portæ Palatii.

Tesoriero di N. S.

libere disponit ut necessitatis, & nominum ratio postulat: habet tamen Pontifex vectigalis salarii portiunculam; & carnarii portionem tam pusillam, ut venire in rationem posse minime videatur. Singularia Bononiensis urbis privilegia sunt, quod, fidelissima cum sit atque addictissima Sedi Apostolicæ, neque fiscum admittat; neque arcem frænum libertatis. Civilis jurisdictio mixtaque in opidis pagisque Bononiensis Comitatus exercetur à civibus sexto quoque mense è corporibus seu collegiis electis, mutatisque, qui sub nominibus Præfectorum, Prætorum ac Vicariorum muneribus suis funguntur. Cætera quoque civitatis officia, (quorum quædam annua sunt) ab assumptis è corpore civium administrantur.

Singularia Privilegia.

Præfecturæ *del Vergato*, & *di Bazzano* vulgo appellatæ, ut & portarum civitatis ad solos Senatores pertinent; qui ex adverso à Præfectura *Roncastaldi* una è tribus præcipuis, quemadmodum etiam à Præfecturis aquarum, viarum, & pontium excluduntur. Licet tamen Senatorum unicuique bina ad electionem istorum munerum nomina in urnam conjicere. Lites seu controversiæ ex concursu plurium ejusdem officii competitorum enatæ ad forum Seniorum spectant. Magistri seu Præpositi Communitatum, eorundem, & inhabitantium causæ in Consilio Senatorum de regimine disceptantur, quod bis per hebdomadam coactum lites quæ occurrunt summarie decidit, ne longarum expensis litium rustici obruantur. Vrnæ magistratibus eligendis, cæterisque muneribus cum erogatione destinatæ à PP. Dominicanis custodiuntur, & sub electionis tempus à Seniorum domesticis & præcipuis Senatus ministris socia Helvetiorum cohorte ad Palatium asportantur, peracta electione ad prædictos PP. Dominicanos reportatæ. Extractioni vero nominum adsunt Seniores cum Vexillario Iustitiæ & è binis superioribus uno.

Præfecturæ.

Consilium Senatorum.

Magistratuum electio.

Senatores (qui vitæ comitem dignitatem obtinent) ævi nostri, seu sedente Alexandro VII. Chisio, Senensi, & secundum Legato Cardinale Ioanne Hieronymo, Lomellino, Genuense, ac Prolegato Odoardo Riccio de Monte Regali, sunt hi sequentes:

Hujus ævi Senatores.

1 Ferdinandus Riarius, *Marchio.*
2 Bartholomæus Lambertinus.
3 Albertus Grassus, *Comes.*
4 Augustinus Herculanus, *Comes.*
5 Andreas Gisellardus.
6 Nicolaus Ludovisius, *Princeps Venusinus.*
7 Hieronymus Albergatius, *Marchio.*
8 Achilles Volta.
9 Camillus Paleottus, *Marchio.*
10 Augustinus Marsilius.
11 Cornelius Malvasia, *Marchio.*
12 Ioannes Nicolaus Tanara, *Marchio.*
13 Cyrus Mariscottus.
14 Ioannes Ludovicus Bovius, *Eques.*
15 Carolus Ludovicus Scappius.
16 Marcus Antonius Ranuccius, *Comes.*
17 Franciscus Carolus Caprara, *Comes.*
18 Berlingerus Gessius.
19 Antonius Legnanius, *Marchio.*
20 Hugo Boncompagnius, *Soræ Dux.*
21 Paulus Æmilius Fantucius.
22 Philippus Carolus Ghisilierius.
23 Fulvius Bentivolus, *Comes.*
24 Gregorius Spada, *Marchio.*
25 Iohannes Luparius.
26 Maffæus Castracanius Fibbia, *Comes.*
27 Franciscus Angelellus, *Marchio.*
28 Thomas Campeggius, *Marchio Dozzanus.*
29 Innocentius Fachenettus, *Marchio.*
30 Iosephus Antonius Bolognettus.
31 Saulus Guidottus.
32 Iohannes Antonius Vassæus Petramellara.
33 Andreas Barbazza, *Comes.*
34 Philippus Sampierius.
35 Iohannes Zambeccarius, *Comes.*
36 Georgius Ludovicus Bianchettus.
37 Astor Bargellinus.
38 Lælius Bonfiolius, *Comes.*
39 Ferdinandus Cuspius, *Marchio.*
40 Marcus Antonius Gozzadinus.
41 Cæsar Bianchinus, *Comes.*
42 Angelus Michaël Guastavillanus.
43 Odoardus Pepolius, *Comes.*
44 Nicolaus Caldarinus, *Comes.*
45 Vincentius Magnanius, *Marchio.*

46 Pyrrhus

46 Pyrrhus Franciscus Malvetius, *Marchio.*
47 Ioh. Franciscus Insulanus, *Comes.*
48 Marius Casalius.
49 Guido Ascanius Orsinus, *Comes.*
50 Richardus Gratius.

Sequuntur cognomina Familiarum olim Senatoriarum.

Aldrovandi.	*Felicini.*	*Poëti.*
Ariosti.	*Foscarari.*	*Purghi.*
Armi.	*Giselli.*	*Renghieri.*
Bandini.	*Griffoni.*	*Rossi.*
Bentivogli, exules.	*Lini.*	*Ruini.*
Bolognini.	*Lojani.*	*Salaroli.*
Boschetti.	*Manzoli.*	*Sanuti.*
Caccialupi.	*Marescalchi.*	*Sassoni.*
Caccianemici.	*Pasi.*	*Seccadenari.*
Carbonesi.	*Paltroni.*	*Segni.*
Castelli.	*Pellegrini.*	*Vitali.*
Cattani.	*Piatesi.*	*Vizzani.*

Gubernatio spiritualis. Spirituale regimen penes Archiepiscopum est; ad quam dignitatem Gregorius XIII. Pont. Boncompagnius, Cathedralem Bononiensem Ecclesiam evexit, Præsule Gabriele Cardinale Paleotto, subjiciendo eidem Episcopos Mutinensem, Rheginensem, Parmensem, Placentinum, Cremensem, Imolæ, & Cerviæ; sed Imolæ Episcopus deinde ad Ravennensis Archiepiscopi Imperium rediit. Episcopum Bononiensem titulo Principis S. Romani Imperii Henricus Sextus Imperator ornavit. Cathedralis ejusdem Ecclesia D. Petro dicata, est sedecim Canonicorum Collegio insignis, præter dignitates quatuor, quarum est prima Archidiaconatus à Carolo Bentivolo, Comite, hoc tempore administratus, qui ex hac dignitate creandi Doctores in Collegiis Pontificiam atque Imperialem potestatem sortitur. Idem Capitulum plurimis Ecclesiis ministros imponit. Diœcesis ejus latissime patet non solum per territorium Bononiense; sed etiam Ferrariense, perque dominium opidorum *Cento della Pieve*, & dictorum. Habet *Paræciæ.* Bononia parœcias 55. Territorium vero Bononiense quadringentas septuaginta septem diœcesi contentas. Eadem Bononia viginti novem Regularium, & Mo- *Cœnobia.* nialium viginti octo cœnobia complectitur: istorum dena in suburbiis invenias; horum quatuor in diœcesi.

Primarius Archiepiscopi minister Vicarius generalis appellatur; Archiepiscopus vero modernus est Hieronymus Boncompagnius ex Ducibus Soræ.

Nota. *Quod quæ in sequentibus asterisco notata cognomina sunt, palatium, aut insignem Senatoris adhuc viventis domum adsignificant.*

Ad radices Apennini posita Bononia jacet in confinio Lombardiæ, & Romaniolæ, via priscis dicta Æmylia; quamobrem variarum nationum lustratione celebratur. Octo millia passus circuitus ejus complectitur, & portas duodecim, præter portam Canalis, per quem aqua Rheni in urbem influit molendo frumento, & circumagendis machinis rotisque sericariorum, in quo genere artificii Bononienses excellunt intromissa. Media est Bononia inter Sapinam amnem, & Rhenum flumen, hoc ad occasum solis; isto ad ortum præterfluente. Cœli salubritas celebratur iis, qui in catalogo eorum, qui annosum ævum vixere plures è Bononiensibus, quam ex cæteris nationibus observant. Refert Plinius Imperatorem Claudium ex collectione tributorum didicisse ætatem Titi Fullonii, Vespasianum Lucii Terentii, qui singuli centum & quinquaginta annos Bononiæ vixerunt. Triplicem dicunt Bononiam, primam illam quæ per terræ superficiem diffusa novem millia domorum, & trecentos triginta tres vicos, majoribus si minores adnumeres, comprehendit. Alteram subterraneam, cellis vinariis amplissimis cryptisque constantem. Tertiam vero longe inferiorem,

De situ urbis, atque ædificiis ejusdem & incolentium ingenio.

Cœli salubritas.

Bononia triplex.

Ædificia. riorem, ex majoribus cloacis constructam, per quas purgata quaqua versum à sordibus civitas, interclusas exhalationes emittendo raris terræ motibus conquassatur. Vix urbem reperias in qua ædificiorum magnificorum cum divinæ rei, tum civilibus negotiis destinatorum par sit numerus, & continuata illa longissimaque series extructarum ante singulorum ædes porticuum, pluvioso cœlo cum lutum est hinc inde itantibus inservientium. Eadem porticuum series longissimo tractu extra portam viæ Majoris porrecta ob deambulandi commoditatem & voluptate exteros afficit, & admiratione. *Opes.* Opes incolentium si repputes, mediocres esse eas dixeris, minimeque conferendas celebrioribus Italiæ Emporiis: *Bononiensium magnificentia.* At vero magnificentiam Bononiensium cum publica, tum privata ædificia testantur, & nescio qua ratione exterior eorum facies rudis interiora ornamenta recondat: hinc portis ædium * Caldarinorum, atque * Angelellorum in foro, & San-Petriorum via majore ac multorum aliorum jure inscripseris versiculum: Meliora Latent.

Ecclesia Cathedralis. Ecclesia Cathedralis D. Petro consecrata suis quidem è ruderibus splendida resurrexit; at periere, aut translata sunt alio ista picturarum miracula, quarum memoria iisdem adhuc monumentis extat, queis insigniorum vitæ pictorum. In palatio Marchionis Tanaræ, Senatoris Bononiensis ingentem earum numerum hodieque invenias. Ad latus Cathedralis Ecclesiæ situs est *Mons Pietatis.* Mons Pietatis major, quo opportune Hebræi ab accipiendo interusurio tota Bononiensi ditione arcentur.

Ædes D. Petronii. D. Petronii Vrbis Patroni ædes laxitate incredibili, & novis quotidie incrementis augustior concameratione media est pæne perfecta: at facies ejus jam expolitis marmoribus inimitabilem artificis manum propediem expectat. In hisce ædibus linea pedum Bononiensium 176 marmore producta, meridianis Solis,

FONS BONONIENSIS.



INVENTOR ET ARCHITECTVS FVIT
THOMAS LAVRETVS PANORMITANVS.

ÆREAS STATVAS FECIT IOANNES
BOLOGNA BELGA.

Amstelædami Excud. I: Blaeu

Solis, & nocturnis Lunæ observationibus à Cassino Doctore nuper anno 1655 inventa doctioribus celebratur. Hæc duarum inter columnarum, quas hinc inde tangit, angustias est eo modo porrecta, ut quovis anni tempore sol per lucis foramen interpositione columnarum nihil impediente radios demittat; id quod initio impossibile multi & voce, & scriptis asserebant: quamobrem Ignatius Dantes eodem in fano solstitiorum tantum observationi accommodatam lineam direxerat. In ista nova linea sereno die altitudinem Solis & magnitudinem ejus apparentem observabis, judicabisque hanc observationem esse omnibus hucusque observatis multo accuratiorem; locum vero hisce observationibus idoneum æque atque hunc, ob ductæ longitudinem lineæ, tecti sublimitatem situmque Ecclesiæ vix toto Orbe terrarum invenias.

Fons. Prædicta S. Petronio sacra ædes majore in foro, fonte altitudine, atque artificio singulari ornato; cui impositus Gigantæa mole Neptunus, Delphinis, & Sirenibus stipatus, eminet. *Statuæ.* Statuas vero istas ex ære fusas ob præstantiam artificii, auri tantundem valere periti existimant.

Palatium vetus. Fontem bina Palatia majora seu publica respiciunt. In veteri Prætor habitat cum Rotæ Auditoribus, in eoque spatiosissima in aula comicis actoribus theatrum extrui solet; & sub alia quadam aula, quam Henzonis regis custodiæ destinatam fuisse ajunt, tabularium publicum est, ordine suo, & monumentis rerum gestarum nulli inferius.

Palatium novum. Palatium novum, quo eodem tempore Clemens VII. Pont. & Carolus V. Imperator Augustalem coronam accipiens, fuere cum familiis suis excepti; habitatio est ipsius Legati, Prolegati, Magistratuum atque Senatus; eorundemque ministris & officialibus, item Helvetiorum cohorti, & domesticis singulorum sua præbet cubicula & receptacula: ut duplicem in eo populum opiduli instar haberi recte dixeris, alterum habitatorem adsiduum; alterum vero exterorum, atque incolarum frequentantium, & negotia procurantium sua. In parte Palatii, quæ ab Antianis inhabitatur, versus Notariorum Curiam, extitere Lambertazzorum ædes, qui hac vicinia affectatum tanto opere principatum urbis tenuerunt.

Collegium Sapientiæ. Inter publica præclara ædificia Sapientiæ Collegium in primis censendum, quo neque structura elegantius, nec laxitate majus universa Europa reperiri à fide dignis constanter asseritur. Felici sane auspicio Bulgari non incelebris Iureconsulti domum huic inclusam fuisse collegio, innumeri, qui ex eo tanquam ex equo Trojano prodiere, Iureconsultorum eloquentissimi testantur. *Bononiensis Academiæ Doctores.* De Bononiensis Academiæ Doctoribus, qui licet vita defuncti, perpetuo tamen vivent in animis Academicorum, plura accurate scire cupienti legendi sunt catalogi Ioannis Nicolai Alidosii, & Ovidii Montalbani in Bibliotheca Bononiensi sub nomine Ioannis Antonii Bumaldi in lucem data. *Academici Gelati, & Nocturni.* Reliqua Collegia Academici *Gelati* & *Nocturni*, præclarissime de re literaria meriti inhabitant. Azones, Accursios, Odofredos, Caldarinos, Lignanos, Foscararios, Belvisos, Barbatios, Mattesilanos, Gessios, Gozzadinos, Bologninos, & Bolognettos clara legum lumina si recitem, videbor seriem orsurus longissimam eorum, qui suis monumentis sibi perennius ære monumentum extruxere. Copiosissimam à suismet scriptis laudem consecuti sunt Montecalvi, Tossignani, Achillini, Bocca di ferri, Zeccæ, Claudini, Aldrovandi aliique, qui Medicinæ, Philosophiæ & Physices arcana rerum omnium matre natura obstupescente feliciter prodiderunt. Sed ad ædificia, unde abivimus reducenda oratio est. Non fortuito certe; sed ratione quadam singulari ædificatæ ex opposito fori hospitales *Domus Vitæ & Mortis.* Domus Vitæ Mortisque, quibus bina sunt addita oratoria Virgini Matri Patronæ dicata, in iisque confraternitates duæ *Confraternitates.* aliis omnibus Superiores. Præfectus seu prior Archiconfraternitatis, quæ Mortis appellatur, beneficio Apostolico facultatem habet assistendi simulacro Virginis S. Lucæ manu expicto, & dirigendi ordinem supplicationum anniversarum; quibus temporibus Bononia præcipue & ornamentorum splendore, & religiosorum ordinum frequentia, & multitudine exterorum pul-

pulchra, ac magnifica existit. Prædictæ Mortis Archiconfraternitati, cæterisque spiritualibus collegiis seu corporibus fas est morte damnatos capitali supplicio eximere.

Torre degl' Asinelli.

In foro minore Portæ Ravennatis turrim Asinellorum 376 pedes altam conspicies, nulli Italicarum altitudine secundam, à qua diversam quandam à cæteris civitatibus speciem sortiri Bononia videtur. Illud in hac mole admirandum, quod privatæ Asinelli cujusdam ex equestri ordine sit magnificentiæ monumentum.

La Garisenda.

Proximam turrim Dantinis decantatam versibus Garisendorum gens æmula atque imitatrix Asinelli excitavit, quæ, licet altera sit humilior; non minorem tamen est famam singulari genere artificii adepta; quippe ea ratione oblique sive inflexe ædificata, ut fastigium ejus pedum novem latitudine, fundamento seu inferiori trunco præpendeat. Binæ hæ turres, tanquam malus, & antenna Bononiam onerariæ navi persimilem efficiunt, cujus cursum idem qui Petri naviculam gubernat, felicissime dirigit.

Notandum Bononiam S. Petronii temporibus quatuor tantum portis crucis figura directis exitum ingressumque præbuisse, prima ad orientem & Ravennam conversa, quæ vulgo *Porta Ravennate* vocatur: altera versus occidentem, quæ S.Sebastiani, & * Gessiorum palatio opposita: tertia, quæ Sanctorum omnium, S. Pauli templo vicina: quarta, ubi hoc tempore Crux Stracastiglionis, adsita *Casaliorum ædibus, & Theatro Guastavillanorum. Additum urbi à D.Petronio incrementum, ampliato ad acclivitatem viæ Majoris pomœrio, & loca circumjacentia, ubi viis mediis portæ adhuc extant, & turriculæ incolis *Pusterle* appellatæ. Anno æræ Christianæ millesimo ducentesimo, fossis, quæ extensum à D. Petronio cingebant pomœrium repletis, in hanc qua nunc est, exacto sæculo post novis viis directis, novisque mœnibus,

Bononiæ ampliatio.

&

& fossa circumdata formam transmigravit. Bononia in quatuor olim regiones per totidem portas divisa, eandem nunc quidem divisionem, sed secundum Basilicas quatuor Bononia sortitur, & Portæ Pieræ nomen supplet, & D. Iacobi Majoris; Stieræ S. Francisci; Procolæ S. Dominici; & Ravennatis, S. Mariæ Servorum Ecclesiæ. Expressa à pictoribus, & sculptoribus sepulchralia monumenta, aliaque divina, & profana templorum ipsiusque Vrbis præclara opera atque ornamenta Antonius Masinus in sua perlustratæ Bononiæ ephemeride diligentissime conscripsit. Guidi cum Caratiis pingendi gloria; & Algardi sculpendi arte excelluerunt: neque hi primi è Bononiensibus extitere; neque erunt fortasse postremi. Sed ad publicorum ac privatorum operum enumerationem jam revocor, quam exactam à me ob propositam brevitatis rationem ne postules. Itaque uno quasi obtutu universa percurram, ad singula studiose non attenturus. Tu, lector, celerem istum transitum à tuis quidem meisque pedibus, sed tamen à stylo nequaquam alienum æqui bonique consule.

Bononiæ in quatuor Regiones divisio.

Regio prima S. Iacobi.

In Iacobina regione, cujus Basilica Bentivolorum olim Regulorum Bononiæ splendidissimo sacello decorata est, Bentivolici Palatii inter pulcherrima Italiæ relati, nunc vero graminibus obsiti rudera priscam spirant magnificentiam. Hodie locus iste institutioni servit equorum, cujus habitatores Bentivoli si Bononiensis Reip. habenas scivissent aut adducere prudenter, aut remittere; non fuissent dapsili isto dominio præpropere ejecti. Non procul hinc modico à se disjuncta spatio Collegia videas Farnesium Ancaranum, Ferrerium Pedemontanum, atque Hungaricum. E regione Basilicæ Iacobinæ exstructa domus est *il Pannolino* appellata, pauperiorum civium inopiæ sublevandæ. Clivum fori Boarii vulgo montem fori appellatum (quo loco quintum excitatum munimentum, quintum etiam fuit demolitum) si conspexeris, ex iteratis sæpe ingentibus ruinis montem enatum mirabere? Eodem in foro, quod amplissimum est, anno 1656, primæ procurante Lommelino Cardinale Legato nundinæ equariæ, quæ ab Alexandro Papa VII. obtentæ cæteris Bononiensium Privilegiis accessere, immani hominum frequentia fuerunt celebratæ. inchoantur autem Kalendis Octobris, & quintadecima die exacta terminantur.

Transiens Viridarium Poëtarum, qua parte arboribus inumbratum aquarum abundantia irrigatur, antequam ad Canalem Navigii accedas, Ardentium cernes Academiam loco ab hominum commercio segregato positam, & nobilium eruditione adolescentum cæteris omnibus vetustiorem. Verum ad D. Iacobi rediens terna Malvetiorum non contemnenda palatia reperies. * Sigismundanum palatium exteriore facie angustiam præ se fert; sed est laxitate interna commendandum. His accedunt ædes * Bentivolorum, Montecuculorum, Piatesiorum, * Paleottorum, * Magnanorum, & Manzolorum, atque ex altero latere * Vrsorum ac * Fantutiorum palatia, & his jucunda quadam varietate oppositum, præter S. Vitalis atque Agricolæ, Fanum quoddam exiguum conspicies intermediæ viæ, quam Arenam olim dixere, religionis venerationem communicans, quo loco Hermetem, Achæum, Cajum & alios Bononienses Divos Martyrii coronam ajunt fuisse adeptos.

A Divi Martini æde declinans * Spadarum, Buccorum, & * Boncompagnorum insignes domos observabis. * Grassorum vetustas ædes an abnuis ut palatii nomine appellem? sunt tamen eæ peramplæ, & insulæ in modum eductis quaquaversum parietibus conclusæ constatque quondam Cardinalibus, Episcopis Bononiensibus & Principibus easdem habitationem extitisse. Quo loco nunc Malvetiorum & Scapporum modice disjuncta palatia vides. Olim arx ab Imperatoribus condita vicino foro imminebat, ibidemque ex Majoris palatii fenestra Cæsareum quendam Præfectum pro libidine dominantem fuisse dejectum ab incolis narratur. Gallieræ vicum nobilem * Tanararum domus suo splendore illustrat, quorum suburbanis ædibus excepta fuit Christina Sueciæ Regina: at vero * Ranutiorum, * Castracanisibbiarum, * Voltarum & Gisellardorum ædium interioribus orna-

ornamentis exterior magnificentia respondet. Antequam ex hac regione abeam, de * Cospiorum Palatio via S. Vitalis extructo fas est meminisse, quod antiquarum urbis portarum uni contiguum est: Item * Bianchettorum via S. Donati, quod portæ cuidam ad S. Cæciliam vicinum fuisse legitur.

Regio secunda S. Francisci, Augusta S. Francisci ædes, à qua secunda regio nomen est mutuata, principem aram habet è pretiosissimo marmore singulari artificio elaboratam *ejusdem S. ædes.* magnificentiæ Cardinalis Guastavillani monumentum. Brevitatis causa splendidissima virorum illustrium sepulchra prætereo, atque ex tot Alexandri V. Pontificis hic conditos magnifice cineres nominasse sufficiat.

Ædes Canonicorum Regularium. In hac ipsa regione sumptuosissimam Canonicorum Regularium S. Salvatoris ædem cum magnifico cœnobio spectabis: at manuscripti codices in hujus cœnobii bibliotheca servati pretii sunt inæstimabilis. Hospitalis S. Francisci domus facie sua exteriore indicat non esse domum splendidiorem Bononiæ, qua peregrinantes excipiantur. Monasterium SS. Naboris ac Fœlicis Abbatia vulgo appellatum prima *La Badia.* Bononiensium Episcoporum sedes, atque extra muros olim fuit; in eoque Gratianus deinde celebratissimos Decretalium libros composuit. S. Annæ genitricis Deiparæ cranium in civico Carthusianorum fano venerabundum *Strada di Saragosa.* silere quî possum? Hinc ad Cæsar-Augustanam viam ab Albernotii Cardinalis Legati patria dictam si abeas, ejusdem Collegium Majus Hispanicum jure quodam suo majus appellatum inve- *Collegium Hispanicum Majus.* nies, ex altera vero parte Vivesium Minus, Genuense Flescorum, cum Flandri covia Pratellina, in capite cujus ille Vicecomitum pessimus velut anguis in herba, munimentum excitando, crudelitatis deinde suæ virus apud Bononienses evomuit. Procul inde bina sunt ædificia modico intervallo separata inter publica opera merito censenda, alterum *La Zecca.* monetæ cudendæ; visitandis mercibus, *La Dogana.* & vectigalibus recipiendis alterum: ut à suo statim fonte moneta in hominum transire possit commercium.

Proximæ his ædificiis sunt Castellorum ædes, quas Fachinetta mater * Ghisilieriorum conjunxit palatio. Ad eas per portam Castellanam portamque Victoriæ ab Imolensibus reportatæ monumentum aditus patet. In eadem regione * Lambertinorum Palatium Regum olim hospitium, Insulanorum Grimaldinis ædibus conjunctum, Malvasiarum, * Fachenettorum *Albergatorumque occurrent, quæ duo postrema palatia à suis ejusdem nominis adhuc viventibus Cardinalibus majore fama celebrantur. * Mariscottorum domus suis è ruderibus nunquam integre resurrexit. * Zambeccarii à Sancto Barbatiano in plures domos divisi omnes magnifice habitant. Marescalchiorum domus insula est, hoc est, separata ab aliis omnibus, & undique vicos habens. * Caprarii nepotes Piccolominei, Ducis Cæsarei, ac defensoris acerrimi Germaniæ, gentisque Austriacæ, ædes suas ampliores reddidere.

Sed jam ad S. Dominici regionem transeundum est nobis, in cujus æde multis *Regio tertia S. Dominici,* alias nominibus insigni ejusdem Divi ossa Parii marmoris tymbo excellenti opere perfecto quiescunt; & in altari quod Reliquiarum dicitur, aculeus spineæ Ser- *ejusdem S. Ædes.* vatoris nostri coronæ & duo libri Esdræ ipsiusmet manu Hebraicis literis in corticibus descripti, & in voluminis modum convoluti, ex quibus lineas aliquot Christina Regina Sueciæ Romam contendens in transitu legit, pie sancteque servantur. Iuxta Cœnobium S. Dominici singularis quidam casus Scholas à Pio V. Pont. M. excitatas & discentium multitudine frequentes in veterum Aristotelum domibus constituit. De hinc ad D. Mamoli vicum à Cursu cognomina- *Il Corso.* tum discede, quo loco Principes & equestris ordinis viri bigarum splendido apparatu de magnificentiæ gloria solent contendere. Ex opposito latere è regione præcelsæ expositorum infantium porti- *Expositorum infantium porticus.* cus in fano quodam duos Proculos uno eodemque sarcophago conditos venerare, quorum alter Bononiensis, quod & martyr extiterit & tyrannicida & dicti fani Patronus sit, majore religione colitur. Haud procul versus mœnia urbis est locus qui Balneum Marini appellatur, cujus aquis Marinus tyrannus à Proculo occisus lavari solebat. Eccui venire in mentem possit fortuito hoc

loco

Veduta della Piazza maggiore con il Palazzo del Podestà in faccia.
Palazza maggiore.


Veduta della Piazza maggiore con il Palazzo maggiore in faccia.
Palazza del Podestà.





Dissegno della parte interiore, o Cortile dello Studio.

loco erectam S.Mariæ Libertatis ædem? Sequitur Virginum Monasterium cum fano, titulo Corporis Christi, ibi Catharina quædam Bononiensis virgo eximia sanctitate, corpore adeo integro spectatur, ut sedentem sine adminiculo ornatamque corona, à quadam Regina Neapoleos ei donata, reliquiarum omnium reginam monitus religione cogar appellare. Picentium collegium è patrimonio Gaudentium Equitum, quorum ordinem Sixtus Papa V. extinxit, instructum & locupletatum hoc loco prætereo, & ad Castilioniam viam deflectens novum opus intueor, templum cœptum à PP. Societatis Iesu numeris omnibus, si finem attingat, futurum absolutum. Eodem in vico * Pepulorum domus eminet; & si ad locum unde discessimus, revertamur, mirabimur inter privatorum domos Ruinorum Palatium, * Barbatiarum insulas, ædes * Guidottorum, * Lignanorum, & * Marsiliorum * Campeggianis ædibus oppositas, quæ reliquis omnibus celebratiores sunt non externo, aut interiore ornamentorum splendore, sed quod ultra annuum spatium quinis Episcopis unoque Cardinale filio cujusdam ex eadem Campeggiorum gente Cardinalis intervenientibus, Concilium Tridentinum majore in aula harum ædium fuerit congregatum. Eadem via S. Mamoli Carbonensium domos exhibet remotissimæ antiquitatis reliquias, cum Galutiorum ædibus à Dolphis habitatis, quæ prisca gentis istius aula celebrantur. Quin pigeat * Guastavillanorum, * Boviorum, Vassè * Petra-Melariorum præclara ædificia à me dici, priusquam è Dominicano tractu recedam.

B. Catharina Bononiensis.

Regio quarta S. Mariæ Servorum.

Quartam regionem S. Mariæ Servorum Basilica constituit, quæ via Majore ampla & prælonga porticu conspicitur insignis. In hac Basilica princeps ara, scalpri solius artificium, Boviorum sumptu mirifice est adornata. Asservatur in eadem Basilica ex hydriis una, quæ aquæ in vinum versionis miraculo à Christo in Canæ Galilææ nuptiis patrato celebrantur. Ad hanc regionem D. Stephani Protomartyris quoque spectat Ecclesia, à S. Petronio extructa, & secunda Bononiensium Episcoporum sedes, ingenti sacrarum Reliquiarum Thesauro famigerata, recensque Ierosolyma cognominata. Extat de ea liber Antonii Casalii Cælestinorum monachorum Archimandritæ. Fasciam Deiparæ quinis Redemptoris nostri sanguineis guttis conspersam, hicque servatam cæterarum Κειμήλιον reliquiarum jure appelles; nihil est autem ex omnibus hujus Basilicæ reliquiis mannæ, quo filios Israël Deus in deserto pavit, quadam particula antiquius. His accedit Sepulcri Dominici simulachrum vivo-tenus expressum; ut Lauretanæ Virginis domunculæ exemplo præscium negligentiæ Christianorum Principum Numen alterum hoc loco sepulcrum excitasse videatur. In capite viæ, quæ Basilicæ D.Stephani cognominis est, solent extranei altitudinem & latitudinem testudinis, quæ Barraccanæ Virginis ædi incredibilem quandam dignitatis speciem conciliat, summopere admirari: ast ego flexis genibus hic veneror miraculosam Virginis imaginem in muro depictam, ut patriæ Bononiensis esset propugnaculum. In altera hujus regionis parte hospitio mendicantes suscipiendo speciem piorum operum Bononienses exhibent, quæ variis præterea locis per urbem singulari liberalitate exequuntur.

Ecclesia D. Stephani.

Reliquiæ conspicuæ.

Repeto viam Majorem, cujus in ingressu turrim, quæ domui Commendariæ Melitensis adhæret, ex adverso huic viæ loco mirabili artificio translatam obstupesces, & vicinas * Gratorum Palatio Angelellorum ædes notabis, quæ intromissum te porta exteriore licet oculatissimum distantia sua confundent. In tanta nobilium multitudine * Bargellini ad latus * Bolognettorum frontispicium pereleganti structura ædificant. * Riariorium Palatio vicinum * Bonfioliorum commoditate loci commendatur. Hoc loco Ludovicus Præsul, & Hercules Senator Bonfiolii contignationem palatio cum adjungerent, inventæ fuerunt urnæ senæ collectos è crematis priscorum corporibus cineres continentes. Ad alteram * Insulani Palatii partem, quod antiqua specie sua, & Cardinale ex Insulana gente suo olim habitatore superbit; Gessiorum domus * Malvasianæ proxima cujusdam Pon-

Pontificis consanguinei speciosa ostentat insignia. Vlterius progrediens PP. Theatinorum porticum à Gozzadinis olim exstructam videbis laxitate ac magnificentia regia censendam. Pulchra mehercle vicini est species fori, quod Sampieriorum ædibus maximis conjungitur. In area D. Stephani Bologninorum eminent palatia, quorum vetus minusque * Bianchinis ædibus adjacens quendam è Galliæ Regibus olim hospitem excepit. Beccadelli cæteris istius gentis insigniores, quos hoc loco observes velim, apud Neapolitanos Panormitanosque patriæ urbis Bononiæ nomen sortiuntur. In ejusdem Divi vico adeo frequenter à nobilibus habitato * Herculanorum, ultraque * Gozzadinos Vizzaniorum, & ulterius Zanorum palatia insignem magnificentiæ speciem primore aspectu præbent. Cui literaria res curæ est, & gestarum rerum monumenta placent, discat * Luparorum gentem, cui Richardina in villa palatium est, ubi Accursius celebris Iureconsultus primus recentiorum leges civiles commentando illustravit, in prædicta S. Stephani area eo sibi loco habitationem delegisse, quo Doctorum olim extitit collegium, eodem cum Daciæ rege, de quo supra, gradu ibidem sedentium. E regione S. Ioannis in Monte Laterano quidam è Poëtarum nobili gente, partium suarum esse duxit honoratis sed tenuioris fortunæ civibus Parnassum construere; quod genus liberalitatis imitata est Doliorum gens in Franciscana regione collegium * Mariscottorum ædibus oppositum excitando.

Theatinorum porticus.

Accursius Iureconsultus.

Si urbibus opidisve peculiaris quædam laus attribuenda videtur, quod patria seu natale solum summorum extiterint Pontificum; quid de domibus istis dicam, in quibus editi in lucem Pontifices atque suscepti sunt, aut ex quibus derivatione quadam prodiere. Ad D. Petri cernas licet Gregorii XV, ortu celebres * Ludovisiorum ædes nunc alio domino habitatas. Ad latus prædicti fani * Christophorus Boncompagnius sumptuosissimum illud palatium ædificans, filium suum, qui deinde Gregorii XIII sibi nomen elegit, ad supremam sacerdotii dignitatem evehendum sæpissime auguratus est. Medio inter S. Francisci & S. Felicis spatio Pontificia * Fachenettorum gens habitat, quæ Innocentio Nono celeriter amisso bracteatam esse didicit felicitatem humanam. Non longule est S. Gregorii ædes inædificata ruderibus palatii Ghisileriorum ob bellum intestinum patria sua exulantium: quamobrem à ratione minime alienum est, ut ex quo loco Pius Quintus Pontifex oriundus dicitur, ex eodem nunc in Divi Gregorii honorem consurgat Ecclesia. Alexander Papa V. genere Filardus Bononiæ moriens edixit natum se ibidem via Cæsaraugustana. Caccianemicani palatii ingens concameratio quæ pone hospitalem domum S. Mariæ Mortis appellatæ conspicitur, indicat antiquam gentis istius domum, ex qua Lucius II. Pont. processit. Ædes Gasparis Bombacii, qui ex lege Senatus hanc descriptionem Bononiæ translatam à nobis patrio sermone composuit, media via Majore extructæ ad Fagnanios olim spectantes, Honorii II, è Bononiensibus Pontificis primi nativitate sunt redditæ illustres.

Sunt Bononienses non ad literarum studia modo; verum etiam ad arma ferenda idonei. Vna Malvetiorum gens, & Pepulorum gens una virtute & numero suorum integræ civitati possent esse ornamento. Bentivoli, Ghisilieri, Gozzadini, Lignani, Bianchini, Platesii, Vrsi, Gessii, Grassi, Zambeccarii, & tot alii silentio à nobis brevitatis studio præteriti marmora habent ac monumenta Scriptorum, quæ assidue de iisdem loquuntur. Militaris Bononiensium genius in anniversariis certaminibus ludicris se prodit, quæ magnificentissimo solent apparatu celebrari. Quodam tempore Equites, quos *Turbidos* appellant, Violaceorum Equitum æmuli atque imitatores, Trojæ ludum, qui typis deinde impressus, in aperto campo edidere, dignum summate quodam viro, qui fortuitus ejusdem ludi spectator extitit, spectaculum. Etiam nunc equester ordo de felicitate pugnandi cum majoribus suis contendens ludicra quotannis certamina dexteritate admirabili, & magnificentia insolita concelebrat. Christina Regina

Bellicosi Bononienses.

gina Sueciæ ludicri cujuſdam certaminis in tranſitu ſpectatrix, cum & ornamenta, & alacritatem invicem pugnantium admiraretur, hoc genere laudis eoſdem decoravit: *Hi ſunt veri Equites.* quæ honoris vocabula memoriam exigunt ſempiternam. Sed hanc laudem fortaſſis Bononia cum nonnullis urbibus habet communem. Illud in ea ſingulare, quod humanitate & benevolentia in exteros cæteræ nationis à Bononienſibus vincantur.

Bononienſis agri ſitus. Bononienſis ager ab ortu ſolis Imolenſi verſus Romaniolam confinis eſt; ab occaſu vero verſus Lombardiam Mutinenſem agrum limitem habet, cui inſtar decumani ſcuti Vrbana eſt arx oppoſita; à meridie Tuſciam ſpectat, vallaturque Apennini jugis verſus Florentinam, & Piſtorienſem ditionem; ab ſeptentrione Ferrarienſe, & Mirandulanum attingens dominium in fertilem atque amœnam planiciem diffunditur. Circuitus ejus eſt centum octoginta octo milliarium majore ſui parte & qua planus eſt, & qua montanus cultiſſimi horti ſpeciem præbet. *Qualitas.* Vina probi guſtus, eaque varii generis producit, & præter opera Metaxota non vulgaria (nam bombycibus ob mororum frequentiam abundat) canabim torquentibus rudentibus aptiſſimam exteris magna copia communicat. Præterea leguminum cæterorumque fructuum ubertate mire fœcundus eſt; nec frumenti copiam deſiderares, ſi Rhenus amnis inferioribus accolis ſubita excurſione metuendus non eſſet oppoſitis aggeribus impeditus; unde valles qua obſtructus eſt, excitat, quæ Sapinæ amnis vallibus deinde junguntur. Inter cætera naturæ beneficia in Apennino verſus Piſtorium Bononienſis ager ab aquarum è balneis Porrectæ fluentium commoditate & mira ſalubritate commendatur, qui locus Comitatus titulo inſignis ad Marcum Antonium Ranutium ſpectat virum Senatorium, & Bononienſium nomine Romæ reſidentem Legatum. Paucis abhinc annis *Marmorum fodinæ.* marmorum fodinæ pluribus in locis hujus agri fuerunt inventæ, è quibus varia juſſit opera fieri Thomas Coſpius, in cujus ſacello, quod in Petroniana Baſilica eſt, collecta hæc marmorum genera admirandum componunt monumentum, ex quibus nonnulla gemmarum potius, quam marmorum ſpeciem tuis oculis ingerent. Pretioſiſſimi hujus monimenti lapides exciſi ſunt ad fontem iſtius arcuati aquæductus, qui Saragotiam verſus primo ab Vrbe Bononia lapide per excavatos montes octo mille paſſibus procurrens juſſu Marii dicitur (ſi fides eſt penes autores) à Romano milite extructus. Monticuli è gypſo, materia fabricandis, ornandiſque domibus uſque adeo apta, ut vivi lapidis ſpeciem habeat, longiſſimum agri Bononienſis tractum occupat. *Moli del Geſſo.* Eodem loco lapidem Spongiam lucis dictum effodi, præparatumque aliquo temporis ſpatio acceptum lumen retinere Fortunius Licetus memoriæ prodidit. *Spongia lucis.* Plinius obſervatione notandum monet in Rheni Bononienſis aquis arundines vulgo *Arelle* adpellatas naſci, è quibus volatiles ſagittæ conficiantur. Hic quoque electrum nativum, & marcheſites lapilli genus; item ferrum atque aurum non ſemel fuerunt inventa. Ab Ioanne II. Bentivolo argentum fuit effoſſum quo loco * Paleotti palatium habent *gli Arjenti* dictum, quod etſi ſit amplitudine ſua cenſendum; Suburbanis tamen eorum ædibus, quas Caſalinum vocant, eſt longe inferius ob Ioannis Vincentii Imperialis Nobilis Genuenſis carmine & proſa de iiſdem extantia ſempiterna monumenta. In finibus agri Bononienſis, qua Florentinæ ditioni jungitur, * Pepulorum familia Caſtionis comitatum tenet cum pertinentiis. Blancorum vero gens comitatui Plani dominatur. In inferiore planicie verſus Imolenſi territorium Malvetii Marchionatum Caſtelli Guelphi cum Sylvæ comitatu poſſident. Vlterius verſus Ferrarienſe dominium, & majorem Rheni amnis vallem ad finem paludis Poggium Rognaticum jacet Lambertinorum; & Turris Vcellini aquis pæne obſita * Mariſcottorum juriſdictioni parens. Ad Romanæ antiquitatis cognitionem pertinet ſcire qua ratione Claternæ (quæ nunc Communitas *Quaderna* eſt) à Barbaris probabilius quam à Bononienſibus exciſæ nullum priſtinæ civitatis veſtigium ſuperſit. *Claternæ antiqua Civitas.* Ejus Cicero meminit libro decimo

mo ep. fam. ad Cassium; quo tempore Hirtius Consul Pansæ Collega ibidem commorabatur, qui ad liberandum Decium Brutum Mutinæ obsessum cum venissent, uterque cæsus est à Marco Antonio; & sub idem tempus, ut præter multa alia Andreas Marianus celebris etymologus notat, *Pansanum* castellum olim istius regionis, nunc * Malvasiarum palatium à Pansa Consule nomen accepit. Divisio Romani Imperii occisis Pansa & Hircio Consulibus in parva insula Lavinii facta est Perusiam & Bononiam inter, ut Florus recenset; ast ego inter Petrusiam & Bononiam factam existimo, sicque legendum in Floro vicinia loci, qui *Azzola Petrosa* dicitur, persuadet. Castonasi Communitas suo nomine demonstrat hîc Castra Nasicæ fuisse, qui Bononia Gallos Bojos ejecit, à quibus fortasse adnatum est nomen Viæ & Munimento Gallieræ, extra cujus portam cognominem Censorinus Imperator Bononia ortus, ut supra insinuavi, sepultus est, & villa quædam conspicitur, quæ *Arcoveggio* appellata Arcus ejus Imperatoris veteres subindicat. In facie templi, quod est in munimento Gallieræ, marmor Aurelio Commodo Imperatori dicatum spectatur. Alidosius & Montalbanus Romanorum de urbe atque agro Bononiensi inscriptiones uno fasciculo collegerunt.

Florus emendatus.

Ditio Bononiensis qua opida, qua Communitates, qua pagos 308 complectitur; & hæc loca omnia cum possessionibus adjectis ad civile mixtumque civium sorte è corporibus electorum pertinent imperium. Magistratus hi in tres Præfecturas majores, undecim Præturas, atque unum & viginti Vicariatus, & Præfecturas minores octo dividuntur. Præfecturæ majores sunt *Vergato, Bazzanum* & *Roncastaldo.*

Capitaneati Maggiori.

Loca Præturarum titulis insignia his nominibus incolæ appellant: *San Giovanni in Persiceto, Casal Fiuminese, Castel Bolognese*, quod Imolam & Faventiam interjacet; *Galliera, Medicina, Castel Franco, Castel Sampiero, Crevalcore, Molinella, Budrio*, & *Monzone.*

Podestarie.

Dignitatem Vicariatus tenent *San Piero in Casale, Casio, Savigno, Caprara, Varignana, Minerbio, San-Giorgio, Capugnano, Motevia, Serra valle, Rocca di Pitigliano, Argele, Santa Agata, Lojano, Frassineda, Liano, San Lorenzo in Collina, Ozzano, Castel de' Britti, Piumazzo* & *Sassonegro.*

Vicariati.

Præfecturæ minores locis sequentibus insunt: *Manzolino, Crespellano, Oliveto, Monte Budello, Sassione, Samoggia, Tiola*, & *Bastia di Cò di Ronco.*

Capitaneati minori.

Olivetanorum cœnobium cum templo Archangeli Michaëlis in Bosco cognominatum ab arborum frequentia, quibus ex omni parte umbratur, ædificatumque structura magnifica instans urbi Bononiæ collis exhibet. Ex eo in subjectam planiciem longe lateque diffusam, palatiorum frequentia, atque infinitis ferme nobilium civiumque domibus grata varietate distinctam oculos depone; quæ conjungi si possent Bononiæ par amplitudine aut major fortassis urbs ex iisdem esset futura. Æque amœnus, & ad circumpositos montes usque prospectus est è proximo monte ab imposita specula Guardiæ nomine insignito. In fano hujus montis repositam Deiparæ Virginis imaginem ab S. Luca Euangelista depictam religione ac miraculis inclytam venerare. Inter splendidiora cœnobia Carthusianorum in suburbana planicie positum in primis censendum; quod, si forte Ticinensi secundum est, laxitate tamen sua celebratur. In S. Victoris Lateranensium cœnobio, quod situ peramœno in primo Apennini clivo exstructum, Bartoli, Iuris Lucernæ dicti, qui Iacobo Butrigario præceptore usus est, cubiculum, in quo quasi hominibus ignotus triennio mansit, ut jus Cæsareum penitus cognosceret, litterati observant; hoc quoque in loco Vgolini à Porta Ravennate celeberrimi glossographi marmoreum extat monumentum, qui in gratiam Friderici I. Imp. Feudorum libros composuit. Modica ab urbe Bononia distantia loco plano *Casaralta* conspicitur quondam in Gaudentium Equitum; nunc in * Voltarum familiæ patrimonio numerata. Hic illud prædicatum ubique ænigma templi muro affixum extat:

S. Michele in Bosco.

La Certosa.

S. Vittore de' Lateranesi.

D. M.

San. Michele in Bosco.



Convento de' Padri della Certosa.



D. M.
ÆLIA LÆLIA CRISPIS,
NEC VIR, NEC MVLIER, NEC ANDROGYNA,
NEC PVELLA, NEC IVVENIS, NEC ANVS,
NEC CASTA, NEC MERETRIX,
NEC PVDICA, SED OMNIA:
SVBLATA NEQVE FAME, NEQVE FERRO,
NEQVE VENENO, SED OMNIBVS:
NEC COELO, NEC AQVIS, NEC TERRIS,
SED VBIQVE IACET.
LVCIVS AGATHO PRISCIVS,
NEC MARITVS, NEC AMATOR, NEC NECESSARIVS,
NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS,
NEQVE FLENS,
HANC NEC MOLEM, NEC PYRAMIDEM,
NEC SEPVLCHRVM, SED OMNIA,
SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT.
HOC EST SEPVLCHRVM
INTVS CADAVER NON HABENS.
HOC EST CADAVER
EXTRA SEPVLCHRVM NON HABENS,
SED CADAVER IDEM EST,
ET SEPVLCHRVM SIBI.

Argutum eſt, & transalpinorum præcipue torquere ſolet ingenia, in quo tamen enodando multi neſcio an fruſtra deſudarunt. A S. Victoris collibus, ad quos longiore diverticulo ſumus digreſſi, revertamur, Guaſtavillanorum in Barbiano palatium, opus regium, quod ſine offenſiuncula Lectoris ſilere quî potuiſſemus? curioſius inſpiciamus. Sed retrahendus eſt pes nobis, qui brevitatis legem accepimus.

BONONIÆ ANTIQVÆ DESCRIPTIO

Ad Illustrissimum, & Reverendissimum

CAROLVM EMMANVELEM VIZZANIVM,

Comitem, Advocatum Consistorialem, &c.

Auct. OVIDIO MONTALBANO I.V. Philosoph. & Med. D.

BONONIENSIS nostræ communis Patriæ, quæ tibi tuisque Nobilissimæ Vizzaniæ Domus perpluribus jam à sæculis Patritiis Iugi patribus non modicum debet, brevissimam ut ad te mitterem antiquiorem abstrusioremque schematographiam mihi nuper demandasti Vir & genere, & genio, eruditioneque speciosissimis, quin etiam multis aliis titulis præclarissime, æternumque concelebrande Comes Carole Emmanuel mi colendissime, Sophiæ, Astrææ, Themidos, Comes splendidissime. Ego pro mea in te veteri observantia, & devotione onus hujusmodi suavissimum quidem, licet arduum libentissime subivi; quia morem tibi obsequentissime gessisse & Patriæ eidem charissimæ arulas cordis mei, focosque dicasse non aliud mihi importaturum fore cognovi, quam præstantissimas charites inde nunquam discessuras, & Iove plena omnia esse futura.

Funda-tores. BOnoniensem Civitatem mille grandiorem annis Roma à principio Reges habuere, non Romulus sed Celsinus ille Rex felicissimus: hic geminum terrarum, & litterarum imperium, hocque saltem in omne ævum duraturum, primus erexit, dum Bononienses rerum omnium scibilium dominos gentemque togatam celsissime scilicet, nec non auspicatissime constituit. *Hæc à Celsino Rege condita omnium Hetruscarum Vrbium* (ita Dempsterus) *Mater & Princeps, & totius Italiæ Domina, & mille ante Romam conditam annis Arx, & caput, jura invictis populis æquato semper moderamine dedit; à Felsino deinde Rege reparata nomen Celsinæ in Felsinam commutavit.* *Nomen.* *Interjectis mox sæculis à Bono Rege recreata, adornata & nomen ab eo desumpsit, mediterranearum opulentissima: hanc tu quosdam litterarum gloria eminentes audies à Bojis Bojoniam appellare, sed & à bonitate Soli omniumque rerum humano cultui necessariarum abundantia appellationem deduxisse existimantes, &c.* Illa eadem belli & pacis artibus instructissima ab eo usque tempore *Studiorum Mater* meruit à cunctis omnibus consalutari, quæ tanquam nationis Hetruscæ primævæ genius præcipuus & fœcundissima alumna ea præstitisse, quæ Silius, haud siluit, dicenda est, nempe:

Bis senos hæc prima dedit præcedere fasces,
Et junxit totidem tacito terrore secures.
Hæc altas Eboris decoravit honore Curules,
Principis & Tyrio vestem prætexuit Ostro:
Hæc eadem pugnas accendere protulit Ære, &c.

Cujus propterea Rectores & sapientissimi Cives sese ita primitus gerebant juxta historicam Diodori Siculi narrationem lib. VI, *Duces exercitus pluribus insignibus decorarunt, Lictores illi eburneam sellam, togam purpuream adjicientes: Dominibus addiderunt porticus, in quas Seniorum, ac concurrentium turba diverteret, quos imitati postmodum Romani, inque melius cuncta ad suam Rempublicam transtulere: litteris quoque, & rerum naturalium investigationi, ac Theologiæ plurimo tempore impenso, &c.* *Studia.* Hinc proverbiale illud apud omnes & ubivis loco-

FELSINA, sive BONONIA ANTIQVA.

Describebat Ovidius Mont-Albanus Phil. et Med. Coll. Pr. P. etc.

Acque Correnti.
A. Aposa nel mezzo, Torrente rapido.
B. Aposella, Canale d'alcune acque d'Aposa.
C. Sapinella, Canale condotto dal F. Sapina.
D. Cloaca Grande di Mario coll' Acque del Reno.

Acque Sorgenti.
E. Fonte di Val Pietra.
F. Fonte Raimondo.

Archi Trionfali.
G. Arco Regio fuori di Porta Galliera
H. Arco di Aurelio Commodo Imp. nel Castello di Galliera.

Bagni.
I. D'Augusto e di Germ. Imp. publici.
K. di Marino et altri Privati.

Boschi.
L. De'i Druidi Galli, dove hora e S. Michele in Bosco.
M. Di Diana a i sette fonti, hora Stifonti.
N. Prasseneto, hora Frassinago.

Campi.
O. Campo de' Boij, et Arena de' Romani.
P. Campo Martio per le sepolture de Romani.
Q. Campo delle Pulliole, o Polesino.

Colonne e Statve.
R. Simolacro di Giove Hostifugo.
S. Mercurio Teutate de i Galli.

Edificii Publici.
T. Armamentario.
V. Granari. | X. Molini.
Y. Palazzo Pretorio con i Pub. Portici.
Z. Prodromo.
1. Rocca de i Toscani. | 2. Rocca de' i Romani.
3. Torri nell' ambito delle mura.
4. Torre Pretoria o de i Giusdicenti Vicino al centro.

Monticelli.
5. Campidoglio. | 6. Gianicolo.
7. Belvedere di Porta Felsinea.
8. Valverde, Vicino a Porta Podiale.
9. Martio, dove e hora Porta Castello.

Palazzi o Case Private.
10. Palazzo di Marc Antonio Triumviro.
11. di Ruffo Poëta. | 12. di Elio Asinio.
13. di Ennio Carisio. | 14. di Cajo Brutio.
15. di C. Rusticello. | 16. di T. Fullonio.
17. di L. Pomponio. | 18. di C. Lucio.
19. di Tito Attio.

Piazze.
20. Foro Massimo, o Piazza Pretoria.
21. Foro mezzano, hora il Mercato di mezzo.
22. Foro Olitorio, hora detto Porta.

Ponti.
23. Ponte fero su l' Aposa. dove hora è S. Damiano.
24. 25. Varij Ponti sopra i discorsorij della Citta a dirittura delle Vie.

Porte della Citta.
26. Porta Maggiore.
27. Boica, o dell' Arena.
28. Sapinea. | 29. Giunonia.
30. Trionfale é di Galliera.
31. Podiale.
32. Felsinea, e poi Renia.
33. Soteria.
34. Villiana, e poi Cesar' Augusta.
35. Nemorense.
36. Specolare.
37. Bianoria o di Giano.

Strade Particolari.
38. Via Apollinea. | 39. Argentaria.
40. Auraria. | 41. Barbata. | 42. Cantoria.
43. Carobia. | 44. Cavalliera. | 45. Calvatura.
46. Fullonia. | 47. Lamia. | 48. Lanaria.
49. Linteaminia. | 50. Miola.
51. Palearia. | 52. Sagaria.
53. Salaria. | 54. Sandalaria.
55. Spadataria, oltre le altre vie col nome delle Porte.

Sepolchri.
56. di Censorino Imperatore.

Theatri.
57. Teatro Maggiore di M. Marcello.
58. Teatro di Fabio Valente. | 59. Circo Agonale.

Templi.
60. Di Apolline. | 61. Cerere.
62. Ercole. | 63. Esculapio
64. Fortuna sul Fiume Labino. | 65. Giano.
66. Giove con Minerva e Giunone placata.
67. Giove Soterio. | 68. Giunone pronuba.
69. Iside. | 70. Pace. | 71. Priapo.
72. Venere Genitrice.
73. Vertunno e Volturia.

Proverbium. locorum decantatissimum dictum *Bononia Docet.* Legibus quoque duodecim tabularum innixum apertissimè patet; ibi enim sancitur quod *Hetruriæ Principes disciplinam docent*; dum ipsa Bononia non solum Plinii testimonio, sed reapsevera, & subsistenti *Princeps Hetruriæ* dignoscitur. Ecquis Hetruscam *Majestas.* tota Bononiensi in Civitate Majestatem continuas inambulando per Porticus non suspiciat, non admiretur! Italicarum namque una Civitatum Bononia domos fere cunctas Porticibus ornatas, coronatas Incolis æque, ac advenis gratissimas, utilissimas præ se fert. Tyrrhenas Turres præterea vetustissimas, à Terrendis Hostibus dictas, haud inanem altissimæ suæ originis ad gloriam penitiora intra sua viscera servat Bononia, quarum quæ centro ejusdem antiquissimo prope Aposam Torrentem in Via Tuscorum nuncupata situatur *Hostifugæ*, vulgari vero sermone *de Caccianemici* nomen habet; & jure id sane perquam optimo, si privilegium Calamorum Bononiensium præ cæteris totius terreni Orbis partibus olim ad sagittas conficiendas advertatur: Politicus porro numerus duodenarius perfectissimus universalis formæ mundanæ repræsentativus secundum Hetruscos magis quam Platonicos Bononiensis Civitatis à primordio illius civis constantissimus Bissenis stetit semper Bononiensibus in *Bolognini.* Portis; Bissenos item Bononenorum monetæ numulos Iustitiæ per totam Italiam commutativæ inserviturós idem numeravit, quemadmodum ipsa quoque testatur Roma, quæ Bononenis substituit, non diu est *Bajoccoi*, ut colligitur ex Bullis aliquot Pontificiis Taxarum Magistratuum Vrbis refor*Pietas.* matricibus: Hetruscam insuper pietatem æviternis implantatam marmoribus nemini non datur in hac Vrbe cernere illibatam. Phanum illud Hetruscæ Isidos in Romana quoque Ethnica Templa receptæ (*nos in Templa tuam Romana recepimus Isim.* Lucanus lib. 6.) non amplius Bononiæ prophanum frontem *Isidi Domnæ* inscriptam in hunc finem ostendit, nempe ut probitatem morum ab Hetrusca radice prodeuntem Divinos vere in fructus Bononiæ repullulasse demonstret quam *votiva testantur Phana tabella plurima, &c.* Iuvenal. Sat. 12. Discipli*Disciplinæ.* narum mox omnium Archigymnasium Bononiense in illo veluti Analytico rerum omnium Oraculo famigeratissimo scilicet Ænigmate illo Hetrusco Bononiæ nato, & per plurimas Annorum Myriadas ibidem conservato, *Ælia Lelia Crispis*, &c. emicat longissime: ô ter quaterque felicem lapidem illum, cui doctrinalis hujus modi Thesaurus fuit primo concreditus; Ille hercle tanquam Philosophorum verus lapis & aureorum dogmatum materies prima prædicari poterat; Plurimum certe temporis impendere visa sunt sæculorum omnium ingenia in infinitis propemodum disquisitionibus enodandis, quæ ab inexhausto hoc eruditionis promanarunt fonte, id fateantur mille excussi libri in quibus tot capita, tot sententiæ continentur, in quibus ego quoque veluti Anser inter Olores obstrepui, Cannabinam Bononiensem inde explicans Agriculturam. Nonne Bononienses tanquam vera & genuina Hetruscorum soboles perpetuæ rerum naturalium in*Rerum naturalium investigatio.* vestigationi vacasse dici possunt, qui propriam Vrbem ita constitutam ab origine prima ita obtinuere, ut alterum suum Pythagoricum pedem Portæ Podialis in pelvi, scilicet Rheno, tot perficiendorum aquatilibus machinis artificiorum; alterum vero Iunoniæ Portæ pedem in indumento productionem locupletissimam eorum quæ ad indumenta faciunt indicantem retineant. Nonne iidem Bononienses Theologiæ sua *Theologia.* quæque tempora addixisse visi sunt inter specularem lapidem imo Lioheosphorum eorum à natura peculiarem, atque supra citatum ænigma eorum ab arte proprium constituti, cum Deus ipse non nisi per speculum in ænigmate dignoscatur. Hanc Galli Boji Philosophiam utramque, licet ipsi dulcedine vini, maximeque frugum novarum voluptate capti Alpes trajecerint, hincque Tuscos expulerint, servarunt intactam, quam illorum Badi, Vates, Druidæque mire excoluere. Hetruscæ etenim æmuli sapientiæ Bojorum præstantissimi Sapineam suam Tribum selectissimam ex centum viginti, in quas illa natio discriminabatur, Bononiæ colloca-

locarunt. Hinc Rheni nostrorum fluviorum primi, & Sapinæ eorundem secundi derivarunt nomina, pro qua re demonstranda Mercurii sui Teutatis statuam in foro medio in sublimi erexerunt. Has easdem Soli seu Cæli Bononiensis dotes admirandas tectas, sartasque Romani Gallorum victores deinceps voluerunt, qui Stellatina, Sabatia, & Galeria Tribubus Romanis, Sapineæ unius Gallicæ jacturam abunde compensarunt; Vnde hic minime prætereundum est, quam præclare apud Bononienses egerit P. Cornelius Scipio Nasica, qui Romanis legionibus fortissimis in Agrum Bononiensem inductis, ibique quinto ab urbe lapide per duos integros menses castrametatus in loco, qui nunc etiam dicitur *Castra Nasicæ* & corrupto vocabulo *Castenaso* secus Idicem fluvium contra Civitatem, & campum integrum Bojorum locus est, qui nunc quoque vulgari idiomate appellatur *il Campo de Boi* Gallisque ex toto profligatis, atque devictis an. Vrbis conditæ DLXII Iovi Servatori templum ad portam Vrbis ejusdem Soteriam dictam, tanquam incorruptæ & immarcessibilis Virtutis Trophæum dedicavit. Quam plures Romanos Proceres, & Imperatores interrogemus, & uno ore omnes hanc veritatem fateri comperiemus, quam ita Vates ille Codrus recinuit:

Qualitas.

Castenaso.

Il Campo de Boi.

Tusca quæ quondam fuit, & Colonis
Aucta post Tuscos profugos Latinis.
Vrbs vetus magnæ nova nunc resurgit
Æmula Romæ, &c.

Colonia Romanorum.

Meliorem Romæ partem Bononiam diceres fuisse translatam, cui ad summum sapientiæ capescendæ apicem calcar addidit immensum Hetruscarum rerum veneranda hic vigens memoria, cum tertio ab exactis Bojis anno *ante diem* III *Kal. Ianuarias Bononiam Latinam Coloniam* (referente Livio lib. 37.) *ex S. C. L. Valerius Flaccus, M. Attilius Serranus, L. Valerius Tappus Triumviri deduxerunt, tria millia hominum sunt deducta, Equitibus septuagena jugera, ceteris Colonis quinquagena sunt data, ager captus de Bojis fuerat, Galli Tuscos expulerant.* Bononiam Vrbem ita sibi arctissime devincire studebant Patricii illi plusquam Reges Romani, ut unam ex duabus Vrbibus

Vrbem fieri ardentissime concupiscerent, Æmilia non solum & Flaminia inter utramque viis magnificentissime & sumptuosissime silicatis, sed immensis molibus murorum intra ejusdem Bononiæ mœnia excitatis, quemadmodum fuere Cloacæ illæ ingentes & amplissimæ Marianæ à Mario toties Consule constructæ, quæ finitimos penetrarunt montes & Cloacis illis Romanis Tarquinii Prisci Regis & à M. Agrippa instauratis minime cedunt. Has Cassiodorus ita describit: *splendidæ Romanæ Civitatis Cloacæ tantum visentibus conferunt stuporem ut aliarum Civitatum possint miracula superare; Videas illic fluvios quasi montibus concavis clausos per ingentia stagna decurrere, &c.* Illas nec prolixior integri folii exarati oratio capere posset, quas interim simpliciter indicasse sit satis. Item Marcelliana Theatra, Cæsaris Augusti Thermæ in via Cæsaraugusta nunc quoque nuncupata, antiquo ab marmore indigitatæ D. AVGVSTVS PARENS DEDIT, GERMANICVS REFECIT, &c. Innumeraque alia tum publica, tum privata ædificia, quæ quanti fuerint subterranea nonnulla superbissima nostro ævo reperta vestigia crassissimorum parietum porpheriticorum, & ex ophite lapide pavimentorum clarissime ostendunt. Nil mirum igitur, si tres Maximi illi Viri de Romano toto decertantes imperio hic ad confluenta (id est Bononiæ) Labini fluminis Orbem Terrarum ensibus, pacifice tamen, inter se diviserint. Nec mirum est, si Bononiensis militaris & politica virtus Q. Pædio Romano Duce in extremis Galliæ Belgicæ Oris novas condere Vrbes, ibique proprium ad æternitatem imprimere nomen egregie voluerit. Nec mirum quoque erit Oratores, Poëtas, Philosophos, aliosque eruditionis vetustioris parentes Bononiam progenuisse, hoc est Cajos, Rusticellos, Lucios, Pomponios, M. Blessos, Cottios, Ruffosque & innumeros alios, quia *Bononia Mater est studiorum ipsaque docet, & est altera Roma*, cujus gloriarum Tubicines pythia canentes innumeros inveni, sed inter alios (neotericis omnibus omissis) numerandos censui Tullios, Silios, Tacitos, Spartianos, Suetonios, Appianos, Iustinos, Diodoros, Livios, Cassiodoros, Cæsares, Polybios,

Bononia studiorum mater.

lybios, Melas, Strabones, Solinos, Festos, Marones, Martiales, Diones, Plinios, Plutarchos, Varrones, Alicarnaseos, Floros, Trebellios, Polliones, Phlegontes, Trallianos, &c.

Horum doctiſſimos ſonos articulatos magis, ideſt explicatiores reddere totis conatus ſum viribus, dumque ipſe antiquitatum à noſtris antea præteritarum noviſſimis fragmentis eoſdem objeci, Hiſtoricam quoque hanc echo diſtinctius extraxi. Tuum eſt, Vir Illuſtriſſime, inque omni eruditione abſolutiſſime, huic meo conatui ultimum perfectæ proportionis calculum addere, meque ut tui ſtudioſiſſimum mancipium retinere, qui ſum eroque ſemper, &c.

CÆSENA.

Antiquitas. CÆSENAM antiquitate cum Ravenna atque Arimino contendere, & longo tempore ante conditam Romam extitisse Carolus Sigonius monumentis rerum à Bononiensibus gestarum proditum reliquit. Romaniolæ est opidum inter Sapem ac Rubiconem amnes positum, altitudinis polaris gradu 43. Cæsenam clemens aër ambit & salutaris, quod ab ortu Solis atque occasu ventorum flatibus pateat; ab Austro vero sit Apennini jugis defensa, quæ sensim decrescendo in amœnos colliculos desinentia opidum ab hac plaga circundant.

Termini. Ab Oriente Rubicon amnis vix ultra primum lapidem præterfluit, cujus in ripa Romanorum adversus Cæsarem edictum legitur, prohibens trans Rubiconem exercitum duci. Ab occasu solis Æmiliam viam Sapis fluvius interrumpit, cujus transitus prælongo ponte lapideo pone Cæsenam conjungitur, quem mox suburbium excipit S. Rochi fano celebratum; quoniam Cæsenates grassante pestilentia, hujus Divi patrocinio à communi lue se liberatos fatentur. *Nomen.* Medium opidum torrens Cæsis perlabitur, unde Cæsenæ derivatum est nomen, quemadmodum Darius Tibertius vetus Poëta hoc disticho non obscure insinuat:

Vrbs Cæsena mihi patria est, quam dividit unda
Cæsis, & à patrio flumine nomen habet.

Ager Cæsenas. Ager Cæsenas meridiem versus in molles frugiferosque clivos decem mille passibus extensus generosa vina atque oleum cibarium copiose producit cæterosque fructus præstantia atque ubertate incredibili. Sulphur etiam quodam loco videas effodi.

Vallis S. Victoris. Eandem plagam meridionalem spectat late patens S. Victoris vallis à Sape fluvio divisa, fructiferis vineis utrimque ad dena milliaria & ultra exculta. Ab occasu latissimos habet campos, & Mare Adriaticum versus, quod Orientem spectat, sunt molles collium acclivitates, quæ Cæsenatia vina Mæcenati adeo laudata progignunt. Intra opidi muros, qui se ad ter mille passus Geometricos, non ultra extendunt, quemadmodum Cæsar Bricius in relatione Clementi Octavo Pontifici inscripta demonstrat, crepidinem Capitolino clivo non absimilem cernes eminere, in qua munitissima arx extructa, ex qua contecto ambulacro, eo plane modo, quo è Vaticano Palatio in S. Angeli Castrum, in Præfecti seu Gubernatoris domum descenditur. *Arx.* Ad radices crepidinis forum est, cujus in medio limpidissimis juxta ac frigidissimis aquis abundans fons, *Fons.* quæ deinde in duos quasi rivos separatæ uno loco aquarium, altero lavacrum sive fullonicam suppeditant. Orientem versus, in amœno colle, cui à sancta Maria est nomen, haud procul ab opido PP. Benedictinorum cœnobium cum elegantis structuræ fano Virgini Matri dicato spectatur, *Benedictinorum cœnobium.* in hujus fani sacello retro principem aram extructo votivæ tabulæ magno numero suspensæ piissimæ Virginis insignia miracula loquuntur. E fenestris cœnobii in subjectum late mare prospectus est; Ravenna etiam trigesimo sexto lapide disjuncta, & vicinior Cervia, cum Cæsenate Portu decem millibus passuum distante (cui, *Portus.* Anconitano excepto, reliquorum omnium hujus regionis commodissimo quidam è civium Cæsenatum numero præficitur) tubi optici beneficio clare spectantur. Ex eodem cœnobio Savilianum, Ariminum, D. Archangeli opidum, præter multa domorum ac prætoriorum millia oculis subjiciuntur. Benedictinorum cœnobium, Maria Montana adpellatum, PP. Capucinorum novitiatum cum fano in colle quoque extructum habet oppositum. Hinc Bertinorum, Meldola, Forum Pompilii, Forum Livii & Faventia opida conspiciuntur. Binis his collibus versus Austrum, in valle interjacent pulchræ quædam ædiculæ cum domibus molisque; inprimis autem splendidum Canonicorum regularium S. Salvatoris cœnobium, *Canonicorum regularium ædes.* Sanctissimæ Crucis dictum, cui templum additum præclaris artificum operibus insigne. Non longule ex hoc loco PP. Discalceatorum S. Francisci

CESENA.
M.te di monte
Osservanza
Porta Rivarola
S. Rocho
Isapis fluvius
Porta di Fiume
Savio f.
Porta di Santi
Porta Cervesa
Porta di Trova

ſtrictioris obſervantiæ Monaſterium obſerva. Sed jam Cæſenam redeundum, & ſitus opidi diſpiciendus. Situm eſt partim in colle, partim loco plano; unde Dantes odâ ſeu cantu vigeſimo ſexto de Inferno ternis verſiculis & ſitum ejus, & regimen accuratiſſime expreſſit: *Situs.*

Et quella cui il Savio bagna il fianco,
Coſi com' ella ſi è trà'l piano, e'l monte,
Trà tirannia ſi vive è ſtato franco.

Cæſenatum libertas. Recte vero liberos à tyrannide Cæſenates appellat; nam in tanta comitum & tyrannorum varietate, qui illis temporibus Romaniolæ dominatum tenuere, apud Cæſenates, ut commentatores ad dictos verſiculos adnotant, Reſpublica ſemper floruit, extititque inter eos præclara quædam retinendæ libertatis contentio. At Senatus Cæſenenſis tanta fuit autoritas, & prudentiæ apud omnes opinio, ut Conſtantius Imp. reſcribere eidem in re graviſſima non dubitarit, quemadmodum ex lege 42. Cod. Theod. tit. de Decurionibus colligitur. *Senatus auctoritas.*

Decreta. Decreta ejuſdem ſive conſilia Cæſenatibus ſalutaria ſemper fuere, ad ſolam rem communem vel tutandam vel augendam directa, more à reliquis civitatibus Italiæ alieno.

Religio. Ad Chriſti fidem Cæſenates procurante S. Timotheo D. Pauli diſcipulo converſi, in fide conſtantes manſere, Romanæ Eccleſiæ, orto inter Ravennates teterrimo ſchiſmate, perpetuò adhærentes. Et licet Longobardorum Regibus Italiam ſubjugantibus parem cum reliquis civitatibus Italiæ Cæſena fortunam ſubierit; tamen à Luitprando, qui Longobardicorum Regum poſtremus extitit, occupata Zachariæ Pontifici anno 744 deinceps fuit reſtituta. *Epiſcopatus.* Cæſenenſis Epiſcopatus antiquiſſimus eſt, teſte Optato Milevitano, qui Flavianum Epiſcopum hujus loci Romano Concilio ſcribit interfuiſſe, quod adverſus Cæcilianum Carthaginenſem Præſulem fuerat indictum; unde Sidonii jocus, Epiſt. 8. caſtigationem meretur; cum non opidulis pagiſve; ſed celebrioribus urbibus ſemper Epiſcopi fuerint impoſiti. Cæſena multorum patria Sanctorum extitit; tutelares vero SS. Severum, & Maurum præcipue veneratur, *Reliquiæ.* quorum oſſa religioſe cuſtodit, illius in fano honori ejuſdem dicato; hujus autem in ſumma Æde, quæ multarum reliquiarum, inprimiſque ſiniſtræ S. Gregorii Papæ manus etiam nunc integerrimæ eſt conſervatrix. Senis parœciis, *Parœciæ.* & quatuor mendicantium FF. cœnobiis ſplendide extructis ornatur, inter quæ Monaſterium FF. Conventualium ſancti Franciſci, legatam à Malateſta Novello, ultimo Cæſenæ domino, bibliothecam manuſcriptis codicibus refertam poſſidet; cujus tamen Senatus Cæſenenſis claves aſſervat. Plures hic laicorum ſunt Confraternitates, quæ ardenti *Confraternitates.* zelo pia opera ſectantur, haud exiguo cum fructu ſalutis propriæ ac proximorum; quas inter S. Ludovici Galliarum Regis eſt omnium poſtrema (cujus ædes ad radices arcis pone templum S. Ioannis veteris ſpectantur) inſtituta à Nicolao Fauſtino, qui anno 1598 Ferraria Cæſenam cum familia ſua migravit, & quem Marcus Antonius Guarinus in Breviario hiſtoriæ de Ferrarienſibus Eccleſiis compilatæ, tractans de fano S. Ludovici, quod Cæſenæ eſt, virum religioſiſſimum adpellat.

Cæſenates cupida diſcendi habent ingenia; ſunt tamen etiam armorum pugnæque amantes, & in utroque genere præclara eorum ſtudia extitere: pauciſſimi ex iis mercaturam exercent, pleriſque agri poſſeſſiones habentibus; cum tamen propter vicini maris commoditatem, & quod Cæſena viâ quæ Româ Mediolanum ducit, ſit poſita, divitias ingentes poſſent acquirere. Academiâ eſt inclyta civitas, in qua Philoſophiæ, Medicinæ, Legum & Theologiæ quotannis lectiones habentur. Octobri menſe hic nundinæ celebrantur, ad quas Veneti, *Nundinæ.* Anconitani, Ariminenſes, Ravennates atque aliorum locorum negotiatores frequentes confluunt; ſunt autem menſtruæ tantum, & primis quindenis diebus vectigal revocant; reliquo tempore medium tantum penſitari poſtulant. Singulis annis Cæſenates Trojæ ludicro Bacchanalia concelebrant, quod *La Gioſtria.* Cæſenatibus cum pauciſſimis Italiæ populis eſt commune. Marchionum aliorumque virorum illuſtrium queis Cæſena decoratur, familias longo ordine recenſere ſupervacaneum duco, cum id muneris à Cæſare Bricio in relatione Clementi VIII Papæ dicata, cujus ſupra memini, diligenter ſit expletum.

Mores. *Academia.*

C A-

CAPRAROLA, FARNESIORVM PALATIVM EXTRA VRBEM.

SVpra Roncilionis opidum in angustam vallem & decurrentium aquarum ſtrepitu reſonantem extentum, ad lævam declinans, inter Viterbium ſcilicet & Montem Roſæ, diei unius itinere ab Vrbe Roma Caprarolam opidulum conſpicies altæ crepidini ſubjacens. Hanc Iacobus Barotius inſignis Architectus juſſu Alexandri Cardinalis Farneſii ſubturgentem magno lapidariorum ſudore demiſſam & complanatam excavatis fundamentis, directaque ingenti mole ſubſtructione (cui admirabile illud ædificium, de quo dicturi ſumus, impoſitum) longe reddidit eminentiorem.

Palatium Caprarolæ. Ædificium vero arcis in modum emunitum à quibuſdam ARX CAPRAROLÆ; à plerisque PALATIVM CAPRAROLÆ nominatur: Palatium ab amplitudine atque eleganti ſtructura; CAPRAROLÆ vero nomine à ſubjacente opidulo indigetatum.

Figura. De figura illius non idem omnes ſentiunt. Ioan. Henricus à Pflaumern in ſuo Mercurio Italiæ, quadrangularem ſimpliciter aſſerit; Ludovicus Tottus in fine Romæ recentis octogoniam; Anonymus quidam Barotii Architecti graphidem ſecutus, pentagoniam Palatii formam conſtituit, quæ niſi oculos per ſingula accurate volventibus explorata eſſe non poſſit.

Altitudo. Altitudinem ſi ſpectes; non frons ædificii magis, quam cæteræ partes excelſior eſt. Pluribus contignationibus conſtat, quæ, inferiore excepta, Doricarum, hoc eſt, quæ ſextam partem altitudinis in craſſitudine ima habent, columnarum ordinibus circumcinguntur. Mediæ contignationis feneſtræ arcuatæ, quoniam præter frontiſpicii feneſtras, continuato muro arcus earum obſtructi, procul viſentibus indifferenter arcuatos hiatus videntur efficere.

Latera. Quina ſunt latera Palatii, quæ à totidem extantibus alis parietum concluſa revocare introrſus ædificium diceres. *Scalæ.* Quinæ etiam turritæ ſcalæ in quadrum, & cochleæ formam redactæ, columnis nobiles, & tecto Palatii modice altiores.

Moles. Deorſum frontiſpicio Palatii objecta moles concamerata, ad quam pluribus utrimque gradibus in medio reflexis, atque ex omni parte lapideis cancellis ad ornamentum munitis aſcenditur. Superior molis pars quadrata, & plana fabricatis ad latera ejus è ſecto lapide ſedilibus conceſſus locum aut, ſi mavis, ſolarii ſubdialis uſum præbebit.

Ex hac quadrata planicie molis, quæ ſubtus ingenti janua, quam anteriorem vocant, fornicem ſuum adaperit, *Pons.* per ligneum pontem, quia excavato ſolo tophaceo latâ, & profundâ foſſâ Palatium proxime circundatum in atrium moli, pontique obverſum eſt tranſitus, quod quadrangulare, fornicatumque regionum graphidibus eſt exornatum. Ad dexterum atrii latus ſpatioſa celſitudine concameratum in orbem cubiculum Veſtiarium adpellant. *Cubiculum Veſtiarium.* In ſiniſtro latere in cochleam retorta ſcala eſt, ambitu triplici, & Doricis columnis inſignis; molliter acclivis, ut equo poſſis ad ejus faſtigium adſcendere.

Portæ. Portæ atrii, quæ major dicitur, altera in aream obverſa reſpondet, quæ orbicularis figuræ, & tota ſubtus inſtar regionis teretis fornicata cum ſit, ſuis-


CAPRA ROLA.
PALATIVM FARNESIORVM EXTRA VRBEM.

que receptaculis distincta, spiramenta seu lucis habet foramina ferreis obducta clatris, queis diem admittat. Totam concamerationem infernam unica prægrandis columna sustinet, quam vultuosa è marmore facies (larvam adpellant) superiori astrata lithostroto occultat in medio; aquam pluviam vero per os excipiens oculosque, secreta quadam via absorbet. *Area.* Aream circularis hypetra seu interior xystus concludit, in quo pulcherrimis lucentia picturis cubicula, quæ statuis priscisque è marmore aliaque materia admirandis operibus abundant. Ex area *Hyberna cubicula.* in atrium te revoco, & ad hyberna mediæ contignationis cubicula lustranda invito. Respiciunt ea meridiem & solis occasum hoc ordine, ut primo loco sit ingens aula cum procœtone; tum cubicula terna sequantur; postremo vero, sed extra ordinem sit hyppocaustum, seu pyriaterium.

Æstiva. Hyberna cubicula æstiva excipiunt à Septentrionibus ad ortum solis directa pari ordine & numero. Sunt autem tanta partium symmetria, & tanto splendore, in quadrum, inæquali licet dimensione laterum perfecta, quantum qui oculis non subjecerit, animo concipere vix queat. In his parietes pretiosis incrustationibus pellucentes mira operum elegantia, atque opificum arte elaboratos, eosque picturis, fallente imaginum prospectu, & egregio artificio oculos tenentibus ornatos; inaurata laquearia, & segmentata pulcherrime pavimenta mirabere. Taceo columnas magnitudine & colorum varietate conspicuas; statuarum è candido marmore numerosum gregem; lapideas mensas pretiosissimas, & quidquid egregii operis præterea à celebriorum artificum ingeniis Farnesiana liberalitas elicuit.

In superiori contignatione, quam pulcher columnarum ordo quoque circumstat, & fenestræ amplissimæ æquali linea directæ adornant, fatigato per multitudinem obtuitu expatiantur *Conclavia.* conclavia, tanto artificio sibi ad invicem composita, & tam magnifica copiosaque supellectile instructa, ut in quavis Regia nemo plura desideret.

Sed nihil scientius aut copiosius habeas ab Architecto, nihil etiam æque oculos tenet, atque exterior superiorem contignationem excipiens CORONA *Corona.* ad tecti subgrundam & culmen; tanta arte scotias primum, regulas, torosque duxit artifex: tum Zophori Hyacinthos, dein projectos mutulos, & impositam super coronam, & cimatia, atque in his augusta figurarum discrimina formavit & sculpsit. Coronam subsequitur Palatii tectum modica latitudine, quod quinis (nam totidem partibus id prominet) extructis turriculis majestatis sibi speciem adscifcit.

Atque hæc exterior hujus stupendi facies ædificii interiora jubet sigillatim & per partes, si fas est, intueri. Thadæi Zuccari pictoris excellentissimi in dormitorio cubiculo asservata tabularum *Tabulæ.* miracula poëticas quasdam fictiones ab Hannibale Caro non incelebri poëta suggestas, & ad vivum expressas exhibentia videre pigebit? Mirus prorsus magnæ artis homo, qui magnæ artis subtilitate circumpositas interiori areæ ex candido lapide statuas, nudos genios aliaque splendidissimi aspectus simulachra, suis quæque basibus innixa, aut loculamentis inserta ingeniosissima manu effigiavit.

Nunc quoque ad retortam illam, *Scala.* amplam & magnificam scalam in sinistra parte atrii positam, de qua supra meminimus, convertenda oratio est; quoniam amplitudine non vulgari, nec artificio triviali exstructa est. Testudini ipsa persimilis parieti contiguum latus figuris ad Gratiscorum (ut artifices loquuntur) formam expictis decorum exhibet, variaque hinc inde loculamenta (cæcas Itali fenestras adpellant,) locandis signis statuisque idonea. Qua parte se scala coarctat, duplicatus è lapide margo circuit, interpositis columnellis frequenter divisus. Margini huic tanquam basi majores insistunt columnæ pari dimensione sejunctæ.

Interior orbicularis facies Palatii quodam loco triplici porticu evehitur, quarum inferior quadratis columnis, fornicibus invicem devinctis consurgens, mediam sustinet multipliciter paten-

tentem, & geminato rotundarum ordine columnarum insignem. Suprema porticus hypætra rectius appellata subdialis est, lapideis tamen cancellis decore munita. Inferior porticus ingentem fenestram ostendit in medio, septenos altam pedes, ad quam terno gradu ascenditur, ex eaque in aream prospectus est, ornatus & varietatis causa, ut videtur, erecta. Fornix inferioris ambulacri vivis adumbratam coloribus alibi maturescentem, turgescentem alibi uvarum frequenti numero vitem, grata viridantium palmitum, & advolantium avicularum varietate amœnam tuos, hospes, in oculos ingeret.

Porticus. *Fornix.*

Parietes. In summis cubiculorum parietibus varius Grottescorum, ut vulgo vocant, extat ornatus, & loculamenta duodenis primorum Imperatorum signis conspicua, è pario marmore visuntur. At *Ianuæ.* januæ cubiculorum Farnesianæ gentis & quorundam illustrium Romanorum superiore parte ostentant insignia.

Scalæ. Præter scalam illam magnificam sunt & aliæ forma testudinis fabricatæ, quibus ad varias Palatii partes conscenditur.

Ex secunda seu media porticu in hyberna atque æstiva cubicula, de quibus supra, utrimque patet ingressus: his & illis sua hortensis respondet amœnitas, quæ mediæ contignationi Palatii binis pontibus ob fossam intermediam conjungitur.

Contignatio media solarium complectitur, ex quo in opidulum Caprarolæ & circumjacentem late regionem prospectus est longe jucundissimus. Ad *Fons.* latus muri fons est artificiose constructus, molendina, ædificia, regiones & id genus alia repræsentans. Medium ejus monticulus occupat, in quo marmoreum Cupidinis signum visitur supini, & lymphas ex ore profundentis. In parte inferiore monticuli cava niveo candore nudusque puerulus consistit altera manu anatem nigram sic comprimere visus, ut aquam è rostro eructet; altera vero fontem è tumba marmorea singulari artificio elaborata prosilientem complexus, in quam quidquid desuper fluit aquarum, recipitur. Supra Cupidinem bini utrimque pueri nudi è pario marmore, quorum superiores rupibus insistentes ex lapideis urnis aquas ante recubantem Cupidinem effundunt: duo reliqui loco inferiore positi, quorum alter delphino insidet; alter equo marino, in tumbam Cupidinis signo subjectam ex hydriis aquam profundunt, in quam deinde fluentes è rupibus aquæ congregantur; donec tandem latiore spatio extensæ in infimum alveum decurrant, & occultis viis absorbeantur.

In testudine solarii, Herculis labores *Solarium.* admirabili artificio expictos observa. Supra ostium solarii Farnesianæ gentis Vrbes atque opida cum castellis vivotenus expressa: ad utrumque latus ostii quaternæ prospectum fallentes tabulæ cernuntur, quarum prima mensem Majum nativa gratia commendatum designat, vallibus, saltibus, pascuis, animalibus venatione atque aucupio insignem. Secunda cujusdam Vrbis Trojanæ verbi gratia repræsentat incendium. Tertia mare exhibet undabundum & procellosum, ac naufragiis frequens. Quarta regionem ex omni parte nivibus obsitam complectitur.

Ad dexterum latus solarii janua est *Sacellum.* in sacellum, quod vestiario imminet, deducens; cui duo præterea sunt exitus sive januæ. Parietes sacelli duodenis Apostolorum iconibus resplendent magnitudine humana. Eorum capitibus suspensæ tabulæ imminent, quo quisque mortis genere sublatus sit, nunciantes. Suprema testudo sacelli varie picturata auroque illita, Biblicarum historiarum figuras, suis quasi areolis distinctas exhibet. Hic faciem recens creati Mundi spectabis; positos in paradiso primævos parentes nostros; Noëmi arcam aquarum diluvio jactatam; Abrahamum cum Isaaco; Moysem cum Israëliticis per rubrum mare divisis fluctibus euntem; Samuelem & Davidem diademate regio utrumque ornatum; Salomonem in Majestatis solio sedentem, suscipientemque tributa cum donariis. Supra terna sacelli ostia terni Divi Gregorius, Stephanus & Laurentius spectantur. Constat & suus pavimento Sacelli decor atque ornatus; quippe frequentia in eo lilia

FACIES CAPRA ROLÆ INTERNA.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Farnesianæ gentis insignia è compactili lapide formata confundunt simul spectantem & recreant. E sacello ad aulam ejusdem contignationis sive cœnaculum in quo Farnesiorum res præclare gestæ ob oculos ponuntur, eundum moneo. Hic prima fronte oppositas sibi Henrici Galliarum, & Philippi Hispaniarum Regum longioribus tabulis expressas imagines videbis, hac adjecta Epigraphe:

Cœnaculum.

HENRICO FRANCORVM REGI MAXIMO,
FAMILIÆ FARNESIÆ CONSERVATORI.

PHILIPPO HISPANIARVM REGI MAXIMO,
OB EXIMIA IN DOMVM FARNESIAM MERITA.

Farnesiorum stemma gentilitium.

Medium Cœnaculi laqueare gentilitium Farnesiorum stemma plurima videlicet scuto inserta lilia, quæ postea ad novenarium numerum; tandem ad senarium redacta, tanquam è Majestatis tholo expandit. Galeæ monoceros insistit Farnesiæ genti præclarum virtutis testimonium à quadam Neapoleos Regina tributus. Reliquæ cœnaculi partes pictis ad vivum imaginibus Farnesiorum acta loquuntur.

Rerum à Farnesiis gestarum imagines.

Ex his celebriora quædam visum est proferre in medium. Petrus Farnesius anno à partu Virginis supra millesimum centesimo, Apostolicæ militiæ imperator electus, cæsis fugatisque hostibus Ecclesiæ, ingentem è Thuscia reportavit victoriam. At Petrus Nicolaus Farnesius Bononiam gravi obsidione liberatam Pontificiæ ditioni servavit. Quidam alius è gente Farnesia Petrus Florentinos adversus Pisanos in expeditionem educens ex fusis hostibus Florentiam reversus capto eorum ductore præcipuo triumphavit; quamobrem Senatus populusque Florentinus equestrem illi statuam ex ære decrevit etiam nunc in Summæ Ædis vestibulo conspicuam. Iam vero qua magnificentia Alexandro Cardinali Farnesio Wormatiam ad Carolum Quintum Cæsarem Germanorum è religione exorta dissidia compositum à Paulo III. Pont. Max. ablegato, & Papalibus indumentis augusto obviam à Cæsare processum sit, quædam pars cœnaculi mirando pictoris artificio commonstrat. In alio latere eundem Carolum V armatum, & vultu merum Martem spirante medium inter Alexandrum Cardinalem atque Octavium fratres Farnesios militares copias suas ducentem spectabis; ut hic Lucani illud de Iulio Cæsare cespitium tribunal ascendente, atque integram legionem exautorante:

——— *Stetit aggere fulti,*
Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri,
Non metuens.

Verbo, alterove mutato in loco videas suggerere.

Alibi Summum Pontificem cernes Octavii Farnesii Ducis cum Margareta Austriaca Caroli V Filia; & ex opposito latere Horatii Farnesii fratris cum Diana Henrici Francorum Regis filia conjugia seu matrimonia auspicato consecrantem. Alia pars lateris exhibet, quo apparatus splendore Franciscus I. Galliarum Rex, Carolum V. Cæsarem se inter & Alexandrum Cardinalem Farnesium Legatum Apostolicæ Sedis equitantem sub umbrella Parisiis exceperit, multis è Germaniæ proceribus catervam præbentibus. In eodem cœnaculo Consistorii seu Consilii Cardinalium abs Iulio III. Pont. indicti, in quo Alexander Card. Farnesius Parmam urbem restitutam Octavio fratri tradit facies adumbrata coloribus cernitur. Atque tot & tanta unius cœnaculi ornamenta, de reliquis, quæ instructissima esse diximus, cubiculis fidem præparant.

Effigies.

Admirationis vero modum exuperat, tot Summatum virorum effigies, (nam centenarium numerum excedunt) ad vivum adeo expressas, ut qui eosdem viventes spectavere, ex imagine prima fronte agnoscant discernantque. Fuerunt autem à pictorum excellentissimis Thadæo & Friderico Zuccaris hæc pictura-

cturarum excitata miracula. Denique sic cubilia cætera, sic porticus, sic ipsæ valvæ qua adscito, qua nativo splendore coruscant; sic magnifica peristromatum belluatorum, attalicorum conchyliatorumque abacorum, mensarum, vasorum auro argentoque celatorum supellex majestati domus respondet, ut equidem illud recte videatur ad conversationem humanam magno Iovi fabricatum palatium.

Supellex.

Horti.

Sed jam ad amœna hortorum diverticula pellicimur, quæ harum ædium gloriam incredibili voluptate coronant. Neque enim in toto Romano itinere quidquam lætius videris, aut laudaris illustrius.

Ortum Solis inter atque occasum versus Septentriones, gemini palatio horti adjacent substructo muro sumptuose in quadrum firmati, mediæque Palatii contignationi æquales, tophacæa crepidine in planiciem redacta, terraque deinde tam alte supremæ superficiei injecta, ut alendis herbis, & firmandis caudicibus sufficiat. Separat hortos à palatio fossa, eosdemque bini rursum pontes versatiles palatio conjungunt.

Fons Pastoris.

Hortos, quorum uni ab occasu solis versus Aquilonem; alteri ab Aquilone in Orientem porrecti, stratus lapidibus locus interjacet, in quo fons, quem Pastoris adpellant, exstructus, medio etiam die cum vehementissimus est calor frigidissimam de faucibus lapidis eructans. In utrisque, præter varia passim loculamenta cum statuis, stylobatas quatuor, quibus totidem Colosseæ magnitudinis signa marmorea insistunt, per pontes ingressus illico conspicies. Fonti Pastoris gradus è regione oppositi, queis in umbrosum nemus extra hortos conscenditur. Cinguntur utrique horti circumstructo muro in modum Arcis pari securitate ac pulchritudine; utrique etiam pluribus arcuatis ostiis evehuntur; & qui Orientem respiciunt, ternis porticulis superbiunt; qui vero in occasum solis directi rectum habent longissimumque Xystum tonsilibus cinctum plantis, in cujus medio statio concamerata flexilibus ramis tholi instar in altum educta. Habet hæc hortensis amœnitas varia præterea & omnis generis oblectamenta, quæ hominum manus ad pulchritudinem ei & voluptatem ambitiose contulerunt. Præter augustum fontem Pastoris, fonticuli crebri visuntur puris aquis fluentes, quorum structura insignis, & delectabilis aspectus.

Xystus.

Fons Satyrorum.

In fine Occidentalium hortorum subterraneum conclave est, Satyrica crypta nominatum, cui in Orientalibus hortis lepidus fons Satyrorum respondet. Longum esset ire per singula. Hic non modo certant pulchritudine aviculæ; sed fractis vocularum modulis mellitissimos cantus fundunt. Iam vero herbescens illa hortorum viriditas intermicantium florum varietate picturata, & ista arborum pubes enatis flosculis lasciviens perpetui, opinor, Veris præbet argumentum. Sed & maturescentem Autumnum hic videas, qui carpentis invitet manum.

Nemora.

Extra hortos nemorum tractus densissimo frondium vestitu diffusi, & prærupta montium secuti & caloris incommoda propulsant, & ad gratissimum animalia pastum invitant.

ICHNOGRAPHIA GENERALIS PALATII FARNESIORUM CAPRAROLA DICTI, XXI AB URBE LAPIDE.



TABVLA EORVM QVÆ HAC ICHNOGRAPHIA CONTINENTVR.

1. *Area prima.*
2. *Gradus priores, quorum in medio olim lacus piſcibus detinendis idoneus, nunc ob intemperiem aëris inde provenientem exſiccatus.*
3. *Solarium ſub repoſitorio graduum dictorum.*
4. *Ambulacrum ſub areâ quod aſcendit à plano ſecundo.*
5. *Triclinium & cella promptuaria ſub area in plano* A.
6. *Cellæ profundiſſimæ ſub area ſecunda in ſolo tophaceo excavatæ.*
7. *Aquarum ex area profluentium receptacula.*
8. *Ædificia areæ inferiori inſervientia, quorum illud ſolum quod in ſiniſtro conſpicis latere perfectum eſt.*
9. *Area ſilicibus ſtrata palatio oppoſita.*
10. *Gradus ſecundi in medio reflexi, qui ad primum Palatii planum aditum præbent.*
11. *Ianua ſub repoſitorio eorundem graduum, quâ ad Officialium tenditur cubicula.*
12. *Pons verſatilis.*
13. *Veſtibulum ſupra quod pulcherrima eſt porticus, portas duas habens, quarum ea quæ* ☾ *notata eſt introitum præbet, illa vero quæ* ✠ *notata eſt aditum in ſacellum dat.*
14. *Porta præcipua ſcalæ principis, ſupra quam in ipſa porticu fons artificioſiſſimus conſpicitur.*
15. *Magnifica illa ſcala in Cochleam retorta, quæ à ſigno* ♌ *tres cum tribus quadrantibus palmos ſupra Officialium planum incipit, ambitum triplicem ſuper columnas doricas efficiens.*
16. *Aditus ſcalæ porticum ſecundæ contignationis verſus.*
17. *Conclave rotundum ſupra quod Palatii ſacellum.*
18. *Porticus Circularis.*
19. *Atrium una cum ſpiramentis concamerationi ſubterraneæ lucem præbentibus.*
20. *Aula, penetrale, conclave & cubicula hyberna.*
21. *Cubicula æſtiva.*
22. *Propugnaculum notabile, non equidem ei uſui, ſed utilitatis & ornamenti gratia conſtructum, cum gradus contineat, & cubicula hyberna à Boreæ flatibus defendat.*
23. *Balneum ſupra quod cubiculum eſt, quod confuſionem hujus primi plani adimit.*
24. *Gradus quibus ad furnum ſub Balneo deſcenditur.*
25. *Lacus Balnei.*
26. *Loci commodi quatuor propugnaculorum, qui in prima Palatii ſunt contignatione.*
27. *Cubiculum ſupra quod Sacrarium Sacelli eſt.*
28. *Scalæ duæ forma teſtudinis fabricatæ, quibus ad tertiam Palatii contignationem aſcenditur.*
29. *Locus tertiæ ſcalæ, ſed poſtmodum Ciſternæ deſtinatus, quæ nihilominus in loco* ✱ *ſignato tranſlata eſt. Supra eam loca intermedia in commoditatem cubiculorum ſecundæ contignationis.*
30. *Scala in cochleam retorta, qua ab infimo uſque ad faſtigium conde-ſcenditur: cæteræ ſcalæ minores locis intermediis ſolum inſerviunt.*
31. *Foſſæ neceſſariæ in ſervitia cubiculorum deſtinatæ.*
32. *Foſſæ aquis carentes.*
33. *Loca vacua ad aquarum artificia aptiſſima, non adeo declivia ut gradus hoc ſigno* ♉ *ſignati, qui altiores ſunt area ſignata* ♌.
34. *Scala quâ ad planum hortorum aſcenditur, quarum ea quæ ſiniſtro loco conſpicitur fabricata jam eſt.*
35. *Baſes quatuor, quibus impoſiti quatuor coloſſi.*
36. *Pons levatorius qui à ſecundæ contignationis cubiculis in hortos viam præbet.*
37. *Horti gemini.*
38. *Locus ſilicibus ſtratus artificio aquarum notandus, ambobus hortis communis, in quo fons Paſtoris venuſtiſſimus.*
39. *Scalæ, quarum ea quæ* ♀ *notatur, ad ſilvulam aſcenditur, & cætera ad ſuperficiem* F. *è regione earum eſt repoſitorium circulari forma, muro circumdatum, & concameratum flexilibus ramis tholi inſtar in altum eductis.*
40. *Porta horti præcipua.*
41. *Via aſcenſu longo & difficili, qua Viterbium verſus iter eſt.*
42. *Solarium ſub quo eſt Satyrorum crypta, cujus introitus hic non notatur.*
43. *Porticus.*
44. *Porticus ſive ſatyrorum fons, quem in ſcenographia videas licet.*
45. *Præcipitia ab una & altera Palatii parte.*

P. *Menſura.*

Q. *Palmus Romanus diviſus in uncias* 12, *unciæ verò in quinque minuta.*

Situs Deſcriptio.

Ichnographiæ hujus perfectionem conſpicuam reddit ipſa ſitus mira conſtitutio, cum extremitates partium neceſſariarum præcipitiis undequaque ſuperficiei contentum includant, cujus aſcenſus dein varios eoſque altiores eſt ad locos. Leniter ab A ad B aſcenditur pal. 30, & à B ad C per aream pendulam palmos ſex & duas tertias partes: à C ad D palmos 30. Areæ altitudo elevatior eſt palmos duos cum dimidio areâ ſignatâ D, & à D ad E, ſuperficiem binorum hortorum, unico tantum palmo ſecundâ Palatii contignatione depreſſiorem, pal. 38. ab E ad F palm. 32, & à F ad O palm. 20. & hinc ultra procedit montis jugum, mons vero ipſe integer eſt è topho lapide tantæ duritiei, ut omnes Palatii commoditates infernæ ex eo ſint excavatæ. Totum quantum eſt atrium ſubtus excavatum & fornicatum unicæ prægrandi columnæ, 20 palmorum diametrum habenti imminet: omnia vero ſubterranea fornicato ſunt opere exceptis duabus cellis ſub area grandi excavatis.

CASTELLVM NOVVM.

CAstellvm Novvm quindenis millibus passuum Roma distans, via Flaminia, qua Laureto Romam itur, ædificatum sub Apennino, & sinistrorsum in valles pronum opidulum, à turrita arce sive castro, quod intra muros ejus splendidum visitur, denominatum existimo. *Nomen.* Cæterum Flaminiæ viæ, quæ Roma ad Gallos Cisalpinos Ariminum usque & inde porro Aquilejam mittebat, C. Flaminius Consul à se structæ nomen dedit. *Via Flaminia.* Strata fuit ea excisis lapidibus, & his quidem siliceis & suopte ingenio durissimis & colore ferrum referentibus. Quos planos deinde & læves redditos junxêre tam valide artifices, ut speciem visentibus præbeant, non conjunctos ita, sed congenitos esse. Vtrumque hujus Viæ latus non margines solum, sed assita quoque monumenta & sepulchra passim, & crebra ædificia prætexebant; quorum omnium vestigia & reliquiæ pertenues multis etiam nunc locis comparent. Eheu, ut res mutantur mortalium! tot humanorum operum præter informia quædam rudera, & Flaminiæ viæ sparsas reliquias superest nihil? Porro Flaminia via pergens, ad Tiberim Milvio ponte constratum accedes, & jam in conspectu tuo Romam senties; quam ingressus, quocunque oculos circumtuleris sanctitatis dignitatisque plenam urbem agnosces. Sed pæne Vrbis propinquo splendore abreptus de Castello Novo plura dicere oblitus eram. *Situs.* Situm est Castellum Novum inter aprica collium, mira frugum, vitium, olearumque fertilitate, & pecorum fœcunditate amœnum; quamobrem incolentes ex his annuis proventibus ingentem pecuniam impendii & laboris sui fructum à vicinis populis quotannis colligunt. Intramurana celsaque turri evehitur, mœnibus ex omni latere circumdatum.

Versus meridiem ei altissimum Apennini jugum imminet, qui Septentrionem atque occasum versus in frugiferam atque amœnam planitiem desinit. Laureto Romam contendens id modico à via Flaminia intervallo disjunctum ad lævam spectabis quasi è colle pendulum. Eadem via Flaminia Romam versus, at majore quam Castellum Novum distantia, *Civitas Castellana* situ præcelso, altissimis circumcincta rupibus tuis se ingeret oculis, *Civitas Castellana.* quam nonnulli autumant Vejorum urbem fuisse, propter munitissimum loci situm decennali obsidione Romanorum celebratam. Infra civitatem Castellanam amnis Trilia à Nepe opido profluens, demum in Tiberim sub ponte Foliano defertur. A Civitate Castellana ad ripam Tiberis sinistrorsum declinanti Mons D. Sylvestri apparet, quem inde denominatum ajunt, *Mons D. Sylvestri.* quod intra montis hujus cavernas Sylvester Pius Pontifex Romanorum Cæsarum crudeles iras fugiens delituisset. Eam ob causam sacratum hunc montem nomini illius, & in summo vertice conditam ac dedicatam ædem, quæ hodieque conspicitur, probabile est. Arduus est, & nudis alibi costis, alibi opaca sylva tectus horret, minaturque in cœlum. Adjacet sinistro in tumulo opidum ejusdem cum monte nominis; & juxta Monasterium eminet, à Carolomanno Pipini fratre & Duce Francorum D. Sylvestri honori erectum, habitatumque ante, quam in Cassinum montem monasticæ vitæ amore secessisset, ut Lupoldus Bebenburgius memorat, & Francicarum rerum scriptor Aimonus. Hoc situ, quem cœnobium obtinet, stetisse olim templum cum luco Apollinis, cui Mons sacer, antiquarii conjectant. Locus vero fuit non modo celebratus solemnibus Sacris Hirpinorum, qui ambulaturi per ignem medicamento plantas tingebant, ut ex Varrone Servius: sed & insolito fonte, qui, ut ex Varrone narrat Plinius, sole oriente exundabat ferventi similis, avesque, *Fons mirabilis.* quæ gustassent, enecabat, ipsis adeo venenatis animalibus lethifer, cum juxta eum anguium & lacertarum ossa jacentia apparerent, inquit Vitruvius.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

NOCERRA
in Apenino monte.
Occidens
Depingebat Georgis Hoefnagel.
Excud. Ioannes Blaeu.
Oriens

CASTEL NOVO.
Meridies
Septentrio
Depingeb. G. Hoefnagel.
Strada per Roma.

NOCERIA.

NOCERIA ad differentiam aliarum Italiæ Noceriarum, quarum altera in Apulia, altera in Campania felice posita, Alphatenia, & secundum nonnullos Alphaterna fuit olim cognominata ab Alphatenia urbe, quæ propinquo loco extitit, deletaque Noceriæ cognomen addidit, quo ab cæteris ejusdem nominis internosceretur. Alphateniæ mentionem Livius persæpe facit, præsertim cum Livium Consulem ad eam obsidendam profectum, & opidanos in populi Romani potestatem redire coactos scribit. *Nomina.*

Cæterum Marchiæ Anconitanæ Noceria, de qua loquimur, est opidum, lateri Apennini montis adhærens, à Strabone propter vasa lignea commendatum. Cinctum est undique validissimo muro, ternisque altioribus turribus Divorum ædibus adstructis superbit. Elegantia habet, & frequentia ædificia; est tamen amplitudinis modicæ.

Propter montis, in quo ædificatum est, radices, Topinus amnis, Tinnam Plinius vocat, infimam vallem percurrit, cui inde Topiniæ nomen usque Fulginium. Ad ripam Topini ingentes passim apparent ædificiorum ruinæ, fundamentaque maximorum operum, quæ à Romanis ad tutelam viæ Flaminiæ facta fuere; qua secundum amnem duodenis millibus passuum eundum est. *Topinus amnis.*

Incolas, à quibus Noceria frequentissime habitatur, Plinius, Nocerinos Favonienses appellat, ex his *Baldini*, *Broja*, *Castaldi*, *Philippæi*, *Lamberti*, *Maliani*, *Mansi*, *Mauri*, *Pageni*, *Pasta*, *Rapuani*, *Rinaldi*, *Vngari*, aliique ob res præclare gestas antiquæ nobilitatis insignibus decorati patriam urbem reddunt illustrem. *Incolæ.*

CENTUMCELLÆ,
SEU
CIVITAS VETUS.

Situs. CENTUMCELLÆ in littore Tyrrheni maris ac Patrimonio Divi Petri situm oppidum vetustissimum, nunc *Civitas Vetus* di- *Nomen.* ctum, portu egregio, ac triremium Pontificiarum statione nobile est.

Clades. Deletas à Saracenis Centumcellas cum populus metu repentinæ oppressionis deseruisset, Leo IV. Pontifex Max. alio in loco munitiore oppidum *Restauratio.* ædificari jussit, aquis solum perfluentibus per somnium sibi mœnia portasque designare visus, eundem ordinem ædificando retineri voluit. LEOPOLIM placuit novam urbem adpellare; nec tamen id nominis perdiu conditori supervixit; sed acceptam semel *Veteris Civitatis* adpellationem in hanc usque diem retinuit. Cæterum Urbanus VIII Pont. Max. hic portu ædificato emporium Romanæ dignitati & commodis aperuit: statio ab omnibus ventis tuta præbetur navigiis; ubi etiam hybernant Pontificiæ triremes. Quoniam autem exæstuantis ac profundi maris altitudinem æquari necesse erat, sic nexus operum est compactus: ingentia saxa magno labore ingerebantur; atque ea injectis aliis, aliisque onerata, etsi aquis absorbebantur, substratam tamen patientemque oneris struem attollebant: quæ ubi ex aqua paululum eminere cœpit; tum junctis lapidibus moles superstructa est in ludibrium maris, & navium quietem; quanquam frementium undarum insani æstus opus retardassent.

Et quoniam idem Urbanus Pont. animum continuo propensum habuit ad *Propugnacula.* repellendos hostes, prædictam *Civitatem Veterem* munitam reddidit, & propugnaculis obstrui jussit; Sed quia cœlo subjacet crassiori, caret incolentium frequentia.

CIVITA VECCHIA,
VETERVM
CENTVM CELLÆ.
Scala Palmorum.
100 200 500 400 500 600 700 800

CIVITAS NOVA.

Civitatis Novæ, oppidi nobilissimi & frequentatissimi in Piceno siti, delineatione satis accurata Lectorem fraudari, quamvis nulla mihi ejus descriptio suppetat, iniquum fore existimavi, ideoque pauca de eo proferre quam silere malui: Octavo à B. Mariæ Lauretanæ fano lapide, in monte, oppidum hoc conspicitur inter Almum torrentem Chientumque fluvium, vix unico milliari à Mari Adriatico dissitum, ad cujus littus portum habet modicum, ab oppido denominatum; possidetur cum vicino Castello Montis Casani ab Illustrissimo Duce Cæsarini Barone Romano; feudum vero est S. R. Ecclesiæ, ad quam dicto Duce sine heredibus legitimis extincto, dominium ejus devolvi necesse est.

CIVITAS-NOVA in Piceno.
Mezzogiorno.
Levante
Ponente
Tramontana
Parte del Golfo di Venetia
Porta di S. Angelo
Piazza di S. Angelo
Strada di S. Angelo
Strada del Mercato
Porta del Mercato
Strada detta Fiorenzuola
Piazza Ducale
Strada di S. Agostino
Strada del Girone
Porta del Girone
1. Cortile.
2. Giardino.
3. Gioco dalla palla.
4. Palazzo delli S.S. Priori.
5. Palazzo del Governatore.
6. Cisterne d'acque da N.° 30.
7. Fontana publica et 2 Private.
8. Scalone.
Chiese dentro la Terra.
9. S. Francesco delle Scarpe.
10. S. Paolo, Chiesa Cathedrale.
11. Chiesa della Comp.na del S.mo Sacr.to
12. Chiesa della Comp.na del S.mo Crucifisso.
13. Chiesa della Comp.a della S.ma Trinità.
14. Chiesa della Comp.a della Misericordia.
15. Chiesa di S. Rocho.
16. Monasterio delle Moniche di S.ta Chiara.
17. Chiesa di S. Giouanni in d.to Monasterio.
18. Chiesa di S. Giouanni vecchio unita cō d.to mon.o
19. Chiesa di S.ta Lucia Propositura.
20. Chiesa di S. Spirito.
21. Chiesa di S. Silvestro.
22. Chiesa di S. Martino.
23. Hospitale.
24. Vicolo delli Hebrei.
Chiese fuori di questa Terra.
S. Pietro.
S. Maro.
S. Margarita.
S. Maria nuova.
S. Maria delle Gratie.
S. Maria delli fonti.
S. Maria Celestiale.
S. Silvestro.
S. Marco.
S. Dominico.
S. Nicolò.
S. Antonio Vecchio.
S. Savino.
S. Dionisio.
S. Maria de gli Angeli.

EVGVBIVM,

Italice describebat

VINCENTIVS ARMANNI.

Nomina. EVGVBIVM in media ferme Vmbria sive Ducatu Spoletano, regione Italiæ celeberrima positum opidum, & summorum decreto Pontificum inter præcipua Ditionis Pontificiæ numeratum, adjacet radicibus montis Inginii olim, nunc à S. Vbaldi fano cognominati, qui Apen- *Situs.* nini jugis accensetur. Qua meridianam partem spectat, campestres vineæ sunt cum pomariis, & à collibus fructiferis circumcirca positis est mira amœnitas. Campestris illa planicies versus meridiem tot ædificia longe lateque complectitur, ut duo ex iis opida Eugubio haud minora construi facile posse existimem. Cæterum hujus opidi longitudo unico; circuitus ternis milliaribus, portisque senis concluditur: quamvis priscum Eugubium longitudine bina milliaria; ambitu vero suo novem complexum sit.

Aëris tempe-ries. Eugubii tenue cœlum est verno tempore; reliquo anni tempore temperatum, & in toto ejus territorio aër salutaris & clemens, quod ad centum milliaria porrectum multiplici amœnitate ad æstivandum rusticandumque opidanos invitat. *Templa, & Palatia.* In ipso opido, & suburbiis quinquaginta facile templa invenias; item domos structura eleganti, & palatia magnifica, inter quæ Priorum Curia summæ artis est opus, atque eximio splendore conspicuum. *Eugubinorum indoles.* Ex clementia aëris alacriores Eugubini, acutioresque nascuntur, aptique ad res magnas gerendas; fidelitate etiam, beneficentia atque hospitalitate in exteros præcipue commendantur.

Antiquitas. Principium hujus opidi tanto illustrius est, quanto magis vetustatis caligine involutum. Nam sive Noëmum conditorem habuerit, aut quendam ex filiis ejus, nepotibusve, quemadmodum varii varie tradiderunt, illud quidem verissimum est, Eugubium è primis civitatibus extitisse, quæ post totius Orbis Terrarum eluvionem fuere in Italia ædificatæ. Reges olim hic sedem suam posuisse, constans Eugubinorum opinio est, tot sæculorum jugi traditione confirmata: quod & multi scriptores asserunt, & antiquissimi libri chronici confirmant; at magis ob variorum reliquias monumentorum regiorum hujus rei memoria colitur, & veritas probatur.

Itaque ne in his, quæ copiose à Chronicis, atque Historicis de Theatro, ac Mausoleo dicta sunt, longiores simus, nosse sufficiat, bina hæc ædificia *Ædificia prisca.* prisca magnificentia artificioque erecta, alterum ludis exhibendis fuisse; alterum regibus sepeliendis. Haud longe ex eo loco quo sepulcrale regum exstructum fuit monumentum, inventæ sub terra plateæ cum cœnaculo (de quibus tam multa referunt Scriptores) regalem animum opesque suo artificio, & musivi operis dignitate testantur. In prædicto cœnaculo anno 1444 adinventæ fuerunt novem tabulæ æreæ tanto- *Tabulæ areæ.* pere celebratæ, quibus in Italia, aut fortassis in quavis alia mundi regione quid esse antiquius vehementer dubitatur. Fusæ sunt ex ære optimo, inscriptæque literis sive characteribus incognitis, quorum licet exemplum non solum ad præcipuas Italiæ Vrbes, sed etiam Constantinopolim, in Ægyptum, in Gallias, in Germaniam, aliasque Orbis Terrarum partes transmissum sit, datumque præterea omnium linguarum peritissimis hominibus, nemo tamen ex omnibus extitit, qui eorum capere mysteria recte potuerit. At vero commune antiquariorum judicium est, incisas fuisse in hasce tabulas priscorum regum istorum leges, asservatasque Eugubii, quæ tum fuit Vmbriæ Metropolis.

Varia antiquitatis ornamenta. Huic regali gloriæ, quam Eugubio adimere tanta longinquitas temporis non potuit, accedunt veterum templorum, palatiorum, arcuum triumphalium, puteorum, thermarum, aquæductuum



GUBBIO CITTA REGIA ANTICHISS. DE L'UMBRIA.
Al Sig.r VINCENZO ARMANNI Il Priore IGNATIO CASSETTA
Per servire V.S. ho fatta la presente pianta della nra Città di Gubbio, acciò ch' ella possa mandarla in Olanda al Sig.r Blaeu che vuole stamparla col suo discorso Ho in essa distinto i luoghi pub.ci per alfabeto, e per numeri le Chiese; queste nella tavola, che è nel piano verso occidente; e quelli in questa, che è dalla parte de monti in Oriente. V.S. mi conservi in sua gratia e viva felice.
A. Palazzo Ducale.
B. Palazzo Episcopale.
C. Piazza grande.
D. Palazzo del Magistrato.
E. Palazzo de Giudici.
F. Porta di S. Ang.o e via che vá a S.o Ubaldo.
G. Porta di S. Agostino e via che vá a Nocera.
H. Porta di S. Pietro.
I. Porta del Marmorio, suo borgo, e via verso Perugia
K. P. di S. Lucia, suo borgo e via che va alli Capuc.ni et a Citta di Castello.
L. Porta della foce, e via che va alla Schieggia et alla Marca.
M. Piazza di S. Martino.
N. Piazza del Mercato.
O. Piazza di S. Antonio.
P. Sodello di S. Pietro, e sua fonte.
Q. Piazza di S. Giliano e sua fonte.
R. Fonte del fosso.
S. Granari publici.
T. Monte della Pietá.
V. Abondanza e suo molino.
X. Altra fonte del fosso.
Y. Fonte della ripa.
Z. Palazzo de Panfilii
a. Hospitale grande per gli esposti.
b. Hospitale per gli infermi pellegrini.
c. Hospitale e Casa de i Calzolari.
d. Strada che vá a S. Girolamo de Padri Zoccolanti.
e. Strada che va a S.ta Maria de Vettorina dove San Franc.o pacificó la lupa.
f. Tiratoi da panni.
1. S.S. Sariano e Iac.o Cathed.le
2. San Nicoló.
3. S.ta Christina, Collegiata.
4. S.to Ant.o da Padoa, Monache.
5. S.ta Chiara, Monache.
6. S.to Andrea e San Martiale, Monache.
7. S.ta Maria nuova Cura.
8. S. Gio. decollato, Confrat.a
9. S. Agostino Heremitani.
10. S. Trinitá, Monache.
11. S.to Stefano.
12. San Pietro Olivetani.
13. Santa M.a de gli Angeli Tertiarii.
14. S.ta Maria de Servi.
15. S.to Antonio.
16. S. Franc.o della pace.
17. S.to Spirito Monache.
18. Chiesa nuova.
19. S.to Rocho.
20. S. Bernard.o Confrat.a
21. San Franc.o de Minori.
22. S.ta Croce.
23. S.ta Maria de Bianchi, Confraternitá.
24. S. Giouanni Cura.
25. La Madonna de Battilani.
26. S. Biagio, Convertite.
27. San Giuliano.
28. La Trinitá Oratorio.
29. San Gioseppe.
30. S. Martino Domenicani.
31. San Vercondo.
32. S. Bartolomeo.
33. S. Luca Monache.
34. S.ta Cattarina.
35. S.to Angelo.
36. S.ta Croce della foce, Confraternitá.
37. Santa Anna.
38. S.to Ambrosio de Canonici Reg.ri di San Salvatore.
39. S.ta Illuminata de Camaldoli.
40. S.ta Lucia Monache.
41. S. Bened.o Monache.
42. S. Secondo de Canonici Reg. di S. Salvatore.
43. La Madonna dello Spedalicchio.
44. Il buon Giesu, suore Capuccine.
45. Madonna della Piaggiola, Confrat.a
TRA
LEV
PON
MEZ
Teatro
Mausoleo
Aquedotto
Scala di 500 passi andanti.
100 200 300 400 500

ctuum mira laxitate atque altitudine; statuarum, columnarum, marmoreorum sepulcrorum, urnarum rudera, vestigia, atque fragmenta, quæ omnia, & singula dignitate operis atque artificii plenius quidem ante hac, sed etiam nunc argumento sunt, Eugubio istis temporibus nihil eorum defuisse, quæ magnis urbibus cum laudi esse solent, tum ornamento.

Nomina varia. Historiæ atque antiqua monumenta marmorea lapideaque Eugubium tanta nominum Græcorum, Hebraicorum, Latinorum, Barbarorumque varietate involvunt, ut quo vero nomine appellandum sit, à scriptoribus ipsis ignoretur. Enim vero & *Alphatinium* nominatur, & *Bobium, Bobotinium, Forum-Iulium, Concubium, Gobium, Igiturvium, Igurum, Iguvium, Inginum, Inguvium, Isujum, Isuvium, Itrum, Iulia Eugubia, Ogiginium, Ogiginianum, Sitigujum, Sitiguvium, Subrium, Tignium*, & *Tinnium.* Pleraque hæc nomina quam maxime significantia sunt, judicio virorum doctorum, qui etymologiam eorundem studiose indagarunt. Baldaniolus Abbas, vir undequaque doctissimus, in Iano suo, opusculo admodum curioso de Eugubii antiquitate, (cujus exemplar Vrbini in celeberrima Ducum istius nominis Bibliotheca manuscriptorum asservatur) post longum de Eugubio sermonem hæc verba subnectit: *Elogium.* *Non est igitur una nominis ratio, neque etymologia una Civitatis Eugubii; neque ad aliquem certum finem referri poterit, ut Volaterrano, & Angelo Colotio visum antea fuerat; qui Steuchum alioquin virum oculatissimum, turpem in errorem, in quo jacebant, induxerunt, & Civitatem omnium fere antiquissimam Italiæ, tot nominibus illustrem, tot sæculis nobilissimam, tot Regibus exornatam multisque auctoribus decantatam ad unum tantum nomen ab aureo sæculo ad hæc usque tempora, tanquam in caveam atque angustias deduxerunt.*

Religio. Eugubini adhuc gentiles diligentissime Deos suos precabantur, & immolabant. Sed Euangelica veritate illustrati fuerunt nascente primum Christi Ecclesia. Constat etenim Eugubio anno à Christo nato 262. Secundinum, atque Agatium Episcopos & martyres Sacro Imperio præfuisse, opidanosque Christianam religionem publice professos eo tempore, quo Magnus Constantinus à B. Sylvestro Pontifice baptizatus vexillum fidei Iesu Christi cœpit explicare. Quo erecto divinum in Eugubinis cultum crevisse magis magisque ædificata diuturnitate temporis non solum intra mœnia; sed etiam in comitatu Eugubino innumera pene templa, octodecim nosocomia, & sedecim abbatiæ sanctorum virorum habitatione illustres abunde testantur. *Ædificia sacra.* E reliquis ipsorum Pontificum judicio Abbatia sanctissimæ Crucis ad fontem Avellanum Christiano in Orbe nomen habuit: *La Badia di S. Croce della Fonte Avellana.* erat enim, quasi seminarium quoddam Episcoporum, aliorumque Sanctorum, qui rebus à se laudabiliter gestis Ecclesiasticæ historiæ cumulum addidere. Verum ad propositam brevitatem pertinebit, tantum eorum meminisse, qui Episcopali potestate Eugubium rexerunt. *Episcopi.* Hos inter primus est Ludolphus sanctissimi hujus loci fundator; tum S. Rudolphus, S. Petrus Damianus Cardinalis, S. Ioannes Laudinus, B. Thebaldus, & B. Villanus, præter Iulianum & quendam alium Thebaldum, Mainardum & Marcum, qui omnes vitæ sanctimonia immortalem sibi gloriam pepererunt. Magni etiam nominis fuit Sitriensis Abbatia, *La Badia di Sitri.* quod S. Romualdum & conditorem habuerit, & habitatorem suum; multosque præterea, qui in ea à peccatis inoffensam religiosamque vitam egerunt.

Adhæc ab opidanorum inclyta religione Cathedralis Ecclesia & agrorum possessionibus auctior est, & nobilitate ministrorum seu Canonicorum; *Ecclesia Cathedralis.* divino numini dedicata sub D. Nicolai tutela primum; postea SS. Martyrum Mariani & Iacobi, quorum hic ossa condita; *Reliquiæ.* præter alia SS. corpora & reliquias quamplurimas, inter quas Ioannis Baptistæ prodromi digitus index est, summe venerabilis, à Carolo M. datus eo tempore Eugubinis, quo sua Eugubium gloriosa præsentia illustravit. Cathedralis Ecclesia duodecim Canonicorum collegio insignis est, quibus Papali diplomate delatus est honor capparum. Sunt in eadem Ecclesia Mansionarii (ut ajunt) duodecim; utrique iisdem queis Vaticanæ Basilicæ Canonici, & Mansionarii privilegiis utuntur. Habet præterea Eugubium collegiatam Canonicorum D. Christinæ Ecclesiam, parœcias

cias

cias septem, dena religiosorum cœnobia, totidemque virginum Deo dicatarum; septem Confraternitates laicorum, Seminarium unum, Montem pietatis, & hospitales domos excipiendis infantibus expositis, ægrotis, peregrinis orphanisque. Ipse Episcopatus Eugubinus multis de causis celebratur; inprimisque quod ex quo Eugubium Episcopos habuit, proxime Sedi Apostolicæ paruerit. Episcopi vero hujus loci, quorum quidem nomina ad nos pervenere, aut majorum laude, aut propriis virtutibus insignes, aut in utroque genere clari extiterunt. nam ex eorum numero duodecim sacra purpura; viginti duo Beatitudinis & Sanctitatis titulo; unicus Marcellus II. Papali dignitate decorati fuere. Hic postremus non postremam inter Romanos Pontifices laudem post se reliquit.

Ædificia sacra.

Roma quamdiu Imperii Majestatem retinuit, tranquilla etiam fuere & felicia apud Eugubinos omnia; qua ad interitum inclinante, cœpit pari passu ad sui diminutionem Eugubium contendere. Nam cum Barbaræ gentes Visigothi, Vandali, Hunni, Ostrogothi, Longobardi, Saraceni, denique ipsi Vngari diversis temporibus universæ vastitatem Italiæ inferrent, communibus etiam Eugubini calamitatibus afflicti, posteris suis irreparabile damnum eversam civitatem reliquerunt. Ab ultimo Eugubii excidio, quod incidit in annum Christi noningentesimum septimum decimum, restauratum ab opidanis Eugubium, crescensque temporis diuturnitate, in eam quam supra diximus formam resurrexit, opibus, potentia & gloria non mediocriter amplificatum. Ostendere Eugubini potentiam suam viresque bellis variis, quæ modo cum hac, mox cum alia, cum pluribus nonnunquam facto fœdere in Eugubii exitium conjuratis civitatibus felicissime confecerunt. Ex his Callium (vulgo *Cagli*) fuit Vmbriæ opidum, Eugubiorum armis subjugatum ante, quam in ejus dominio iidem Eugubini ab Vrbano IV, & Bonifacio VIII, Pontificibus, datis Apostolicis literis, confirmarentur. Iisdem bellis Noceria opidum, Arx-contraria seu *Rocca contrada*, *Sigolli*, *La Fratta*, *Fossato* & *Casacastalda* non contemnenda opidula in Eugubinorum potestatem pervenere. Plurima ex castellis ditionis Eugubinæ, quæ universe centum & triginta numerantur, ipsos Eugubinos conditores agnoscunt, ut *Caresto*, *Pascilupo*, *Petrorio*, inprimisque S. Abondii opidum, *Costacciaro* & *Schieggia* Apostolico Brevi deinde opidi nomine insignitum, quæ tria postrema loca, quod literis armisque claros viros produxerint, fama celebrantur; sed Costaciarium reliquis celebrius est, quod non modo Ludovici Carbonii hominis literatissimi; & Petri Faunii S. R. Imperii Principis; verum multorum præterea Episcoporum, & generalium religiosis ordinibus Præpositorum, patria extiterit. Neque vero ignobilia sunt opida *Cantiano* & *la Pergula* ab Eugubinis quoque ædificata, utrumque cum familiæ nobiles illustrant, tum viri ex utroque geniti doctrina & bellica gloria præstantes.

Excidium.

Restauratio.

Opida Eugubio subjecta.

Eugubium igitur, tanquam rediviva phœnix suis è cineribus renascens, diuturnitate temporis pristinam laudem suam apud omnes gentes recuperavit. Apud Principes, Respublicas, & civitates magno semper loco fuit, Pontificum etiam atque Imperatorum privilegiis beneficiisque affectum. Tam frequens id opidum olim erat, ut cibando populo macella octoginta vix suffecerint: etenim constat Eugubii fuisse sex & viginti cœnobia virginum, hospitalia octodecim, sena millia armatorum hominum, octoginta auditores seu judices, ternos lictores, & singulis assignatos sexaginta apparitores fuisse. Vnde facilis est ratio, quanta fuerit universa opidanorum multitudo. Inclytum præterea fuit Eugubium familiis illustribus, & penes quas Castellorum, arcium, munimentorum, pagorum, aliarumque possessionum amplissima dominia fuere; quibus si istæ familiæ adnumerentur quæ recentioribus temporibus è præcipuis Civitatibus Italiæ huc translatæ sunt, centum facile, & sexaginta quinque reperias præter illas quarum nomina vetustate sunt obliterata. Ex prioribus quædam Marchionum, triginta novem Comitum titulis insignes fuere: novem à dominiis suis, non alio titulo appellatæ. Infinitus pene numerus eorum

Populi frequentia.

Familiæ nobiles.

rum est, qui Eugubii nati ob egregias virtutes & singulares animi dotes famam patriæ civitatis propagarunt. Quamobrem muneribus & honoribus amplissimis digni judicati, quidam ex iis ad supremum sacerdotium evocati, alii Cardinalitiam dignitatem adepti, nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati facti, Generales etiam, Fundatores, Restauratoresque religiosorum Ordinum fuere; præter eos, qui inter sæculares Principes constituti, rerum gestarum famam ad posteros transmiserunt.

Illustres Eugubini.

Genuit etiam Eugubium quavis ætate viros fortes, & bellicæ rei peritissimos, & ad summos militiæ gradus evectos: contigitque non semel, ut eodem plane tempore quadraginta, quinquaginta, etiam sexaginta, & plures Eugubini diversis exercitibus, civitatibus, munimentis, arcibus cum potestate Præfectorum, Tribunorum militum, Chiliarcharum, quidam etiam cum imperio præessent. Illud hic solum meminisse visum est, Franciscum Mariam I Roboreum, Urbini regulum, & ducem belli gloria inclytum, quando ad exhibendum honorem Carolo Quinto Imp. Bononiam processit, centenis stipatum chiliarchis, ex quibus erant Eugubini quinquaginta, plerique ab Historicis celebrati, venerabundum ad Cæsarem accessisse. Anno æræ Christianæ supra millesimum quingentesimo septuagesimo primo, celeberrimo isti prælio, quo ob potitam à confœderatis Principibus Christianis adversum Turcas victoriam Catholici omnes ingenti lætitia perfusi, triginta Eugubini in militari dignitate positi interfuere; ex quibus viginti quatuor centuriones, & magistri equitum; sex tribuni, præter chiliarchas quatuor, & sex capitaneorum quidem titulo decoratos, sed nulli tum cohorti aut turmæ peculiariter præfectos; Et è nobilibus Eugubinis complures, inter quos Capitanei duodecim Francisco Mariæ II Roboreo Principi majore animo, quam ætate ad idem bellum profecto catervam præbentes. Porro ab iisdem confœderatis Principibus Christianis diversis locis terra, marique præfecti adhuc quini quinque ex Eugubinis, & septem apud alios Principes alia munera obiere. Itaque si omnes eos numeremus, qui uno eodemque anno ex hac una civitate bellicis officiis claruerunt, sexaginta quatuor fuisse deprehendemus, eorumque res gestæ cum nominibus in Eugubinis Fastis leguntur, Urbani Octavi Pontificis decreto confirmatis, præterquam quæ de iis ex continuata traditione authenticisque literis habemus. Ad rem quoque nostram facere videtur Sansovini in opere de familiis illustribus datum Eugubio encomium, *clarissimæ & bellicosæ civitatis.*

Eugubini militiæ peritissimi.

Encomium.

Porro Eugubini ad Rerumpubl. gubernationem quam maxime idonei semper visi sunt, hinc ad legationes, consilia, secreta, aliaque ministeria Principum adhibiti, & quodam sæculo tam magnus fuit egregiorum virorum Eugubii proventus, ut plerisque Italiæ civitatibus Eugubini Rectores populique præfecti certatim impositi fuerint: utrumque munus istis sane temporibus amplissimum, administratum ab iis tantum, qui aut magnis erant virtutibus ornati, aut natalium splendore illustres.

Eugubini politici.

Idem Eugubium mater extitit virorum, mulierumque Christianæ religionis pietatisque cultu insignium, è quibus sexaginta venerabiles & gloriosi; atque ex his ipsis unus & quadraginta Beati, Sanctique celebrantur; inter quos D. Ubaldus Eugubinorum patronus multitudine miraculorum excellit, quem etiam energumenorum medicum & liberatorem venerantur. Idem præcipua quadam veneratione indesinenter colitur non ab Eugubinis solum, (apud quos sacratum ejus corpus illæsum ad hanc usque diem in fano montis Inginii servatur) & à finitimis vicinisque civitatibus, sed etiam ab iis qui trans Apenninum Italiam incolunt, ad quos jam ab ipso exordio fama sanctitatis suæ pervaserat. Superioribus namque temporibus cum majore quam nunc fervore religio ab hominibus coleretur, sacra S. Ubaldo die visa Eugubii quinquaginta exterorum millia ad ædem D. Ubaldi causa devotionis concurrentium, quemadmodum Marcus Guazzo in Annalibus suis commemorat, & Leander Albertus in sua descriptione Italiæ se vidisse confirmat.

Divi Eugubienses.

D. Ubaldus.

Dominatus varii. Eugubium post extinctos reges, qui multis hoc opidum sæculis tenuerunt, anno ante Christum natum 1311 Pelasgi Græciæ populi ex Peloponneso sibi subjecerunt, à variis deinde dominatum, pro ut varia sors Vmbriam exercuit, nunc mutando jugum, nunc excutiendo. Verum anno post Romam conditam trecentesimo sexagesimo quinto Romanorum factum municipium suis est legibus moribusque permissum. Inde Eugubini anno 668 Vrbis conditæ jure civitatis Romanæ donati ad omnia munera & honores aditum sibi aperuere. Romani Gentium regem Illyrii prælio devictum cum cepissent, soliciti quo loco quam tutissime inimicus potentissimus custodiretur, Eugubium cum conjuge, filiis, & fratre Caravantio captivum mittere decreverunt. Quæ res *Munimenta.* argumento est, & munitissimam fuisse hanc civitatem, & fide apud Romanos spectabilem, in cujus custodiam tam potens rex, & tot Principes traditi, ad quorum liberationem cum ab externa vi armorum, tum ingenti spe, & magnitudine promissorum solicitari Eugubinorum animi poterant. Ludovicus Iacobillius celebris per Italiam antiquarius, diversi generis inscriptiones de Eugubio collegit, inter quas memora- *Inscriptiones.* bilis illa, quæ Fulginii magno lapidi incisa ab Aldo Manutio memoratur his verbis: IGVVINORVM SPLENDIDISSIMVS ORDO, quæ verba, cum cæteris eidem saxo inscriptis antiquitatum studiosos ad investigandum excitarunt, quo scilicet genere dignitatis splendorisque priscis illis Romanorum temporibus Eugubium floruerit. Et quoniam Romani in omnibus rebus ea via ac ratione utebantur, quam ad libertatis conservationem commodissimam putabant; hinc liberæ civitates magno apud eosdem loco fuere, quas ut arctiori sibi fœdere copularent, scuto eas donare rubro solebant, quod pro insigni à Romanis sumptum, in illius scuti memoriam, quod Numa Pompilio regnante è cœlo Romæ delapsum fuisse asserebant. *Civitatis insignia.* At vero omnis hoc insigni donata civitas non nihil differentiæ causa apponebat; ideoque Eugubium huic scuto montem cum quinis scopulis adjunxit, quos deinde totidem montibus commutavit; subsequentibus autem temporibus terna montibus istis lilia Caroli M. beneficio tributa, & liliis rastrum Caroli Siciliæ regis stemma gentilitium imposuit. Etenim Siciliæ reges non civitatibus solum in eo tempore; sed & familiis illustrioribus insignia sua communicare, & hoc modo eas sibi devincire solebant, ut auctor est Gaspar Bombacius Bononiensis, vir equestris ordinis summæque eruditionis. Eugubino- *In Iul. Cæsarem studia.* rum summa in Iulium Cæsarem studia extitere, quibus Terinus Prætor perspectis, suspicione oppressionis cum quinis cohortibus quæ ex senis millibus armatorum, ducentis, & quinquaginta constitutæ, collocatæque erant à Pompejo in præsidio, excedere Eugubio coactus est. Quam Eugubinorum voluntatem quantis beneficiis Iulius, & Octavianus Cæsares prosecuti sint, studio brevitatis prætereo. Traducto ad successores Augusti Imperio non eadem semper Eugubio dignitas fuit, largitionibus deinde Constantini Magni Imperatoris cum nonnullis præterea civitatibus Italiæ ad Pontificium dominium transeunti. Neque vero Eugubini barbararum gentium Herulorum, Ostrogothorumque crudelitate exempti fuere. nam ab iis Eugubium direptum: recuperatum quidem deinde à Belisario, & Narsete: ast iterum à Longobardis expugnatum; tandem à Carolo Magno, qui Italiam servitute barbarorum *Libertas.* liberavit, restitutum, usque ad annum Christi 917 suæ libertati permissum est. quo tempore destructum hoc opidum ab Hungaris, reædificatum deinde, crescensque & incolis, & ædificiis usque ad Othonis Magni dominatum novam tum regiminis formam induit. Enimvero postquam hic Imperator pulso Berengario Tyranno pacem universæ Italiæ reddidisset, datum civitatibus beneficium est, ut Prætorem sibi ipsis imponere, & suis uti moribus liceret. Inter quas Eugubium quoque non infimo numero fuit, quod sequentes Reges atque Imperatores Germaniæ majoribus dein privilegiis honestarunt. In hac vi- *Romanæ ditioni se subjicit.* vendi libertate perstitere Eugubini ad annum 1294, quo Romanis se Pontificibus subjicientes libertatis jura nullatenus amisere, retenta facultate Prætorem,

Il Podesta el Capitano del Popolo.

rem, (cui merum erat mixtumque imperium,) & tribunum seu defensorem plebis, (cujus jurisdictio late per universum territorium patebat) eligendi à Consilio civium ducentorum.

Et quoniam Eugubini bellatores egregii sunt, sæpissime Romanis Pontificibus ita fortem ac strenuam operam navarunt, ut ab iisdem gratiarum laudumque literas receperint hodieque in curiæ tabulario servatas.

Magistratus.

Consules.

Initio civitatis Eugubinæ bini Consules cum annuo imperio creari soliti, qui Romano more & pacem civitati conservabant, & suo arbitrio publicorum rationem negociorum dirigebant. Imperante Frederico Ænobarbo divisa in quatuor regiones civitate, ex singulis regionibus singuli Consules ex equestri ordine designati: verum plebe in societatem regiminis admitti postulante, octo fuere constituti, quatuor ex ordine equestri, & totidem ex plebe. Consularis potestas principio annua fuit; post semestris, tum quadrimestris; tandem bimestris. Prior Consul quod exorto bello vexillum deferret, vexillifer justitiæ est appellatus; quæ dignitas etiam nunc ab equestri ordine obtinetur.

Gonfaloniero di Giustitia.

Privilegia.

Atque hic magistratus est civitatis Eugubinæ, quam tot privilegiis varii, pro rerum varietate ei dominantes ornaverunt; & tenues pristinæ libertatis, priscæque gloriæ reliquiæ. Gloria & potentia Eugubinos exuit biceps Guelphorum, & Gibellinorum factio, ex qua hæc orta incommoda, ut in mutuam perniciem concitatis oppidanis ne conjunctissimis quidem parentibus, filiisque parceretur: hinc crebra incendia, rapinæ, proscriptiones, condemnationes, & quæcunque crudelis furor & rabies excogitare mala potuit, denso agmine secuta. Ita Eugubium ab ipsis incolentibus misere laceratum in hoc calamitosissimo statu ad annum 1383 permansit, quo tempore Carolus Siciliæ rex, ut scissos in partes Eugubinos ad pacem & patriæ suæ conservationem reduceret, ipse quidem Eugubium sed modico fructu profectus est. Nam recrudescentibus anno insequente vulneribus, haud integre Caroli regis opera sanatis tanta subita extitit apud Eugubinos rerum omnium perturbatio, atque annonæ difficultas, ut in Antonii Comitis Montis Feltrii & Vrbini Domini, cui eo tempore egregium nomen erat, tutelam abire coacti fuerint. Principio Antonius Eugubium tenuit præfecti, defensoris atque administratoris nomine; deinde munere Pontificio Vicarius Eugubii nuncupatus eandem pro successoribus dignitatem obtinuit, qui postea Vrbini Duces creati suis edictis, inscriptionibus, proscriptionibus aliisque testati semper sunt literis, Eugubium Vrbinate Ducatu minime contineri, licet Leo Decimus Pontifex id ejus caput esse voluerit. Tandem tamen ob Francisci Mariæ II. Roborei sexti Ducis Vrbini Eugubium cum suo territorio ad Romanorum Pontificum dominium rediit; & primo ei Vrbanus VIII. imperavit, quo vita defuncto, Innocentius Papa X. Eugubio oriundus ex nobilissima atque antiquissima gente Comitum Pamphiliorum, quam avus ejus paterque Hieronymi S.R.E. Cardinalis Pamphilii Romanam in urbem transtulit. Hodie sub auspicatissimo Pontificatu Sanctissimi Patris Alexandri Septimi summa pacis tranquillitate perfruitur.

Guelphorum, & Gibellinorum factiones.

Eugubii calamitas.

FER-

FABRIANVM.

Situs. FABRIANVM sub primis Apennini collibus, atque adeo inter ipsos in Piceno positum, ædificatum constat ob Sentinum veterem urbem, cujus ad sextum lapidem reliquiæ supersunt, à Longobardis eversam. Nominis etymon *Nomen.* quidam à Fabro Iano tradiderunt; & in argumentum adferunt ipsius castelli symbolum, quod Iani imago est, manu malleum tenentis uti subjectæ incudi impressuri.

Incolarum frequentia. Opidum est Fabrianum splendide extructum, & multitudine incolentium frequens, qui plerique chartariam tractant, chartamque tanta copia & bonitate conficiunt, ut ad omnes Italiæ regiones, atque adeo Constantinopolim aliasque Orbis Terrarum partes Fabrianensis charta perveniat. Cæterum ma*Ædificia.* gnificentia profanorum & sacrorum ædificiorum, & religiosorum ordinum frequentia, mercimoniisque telæ rasilis, pellium, aliarumque rerum abundantia cum quovis opido Pontificiæ ditionis est conferendum; quippe, ut Crema Lombardiæ, Pratum Thusciæ, Barulum Apuliæ: sic Anconitanæ Marchiæ Fabrianum præcipue celebratur.

Gubernator. Gubernatorem habet è Prælatis Romanis; & licet Episcopale opidum non sit; omnia tamen hic invenies, quæ ad constituendam civitatem pertinent. *Ager Fabrianensis.* Ager ejus ad quinquaginta milliaria extenditur, eoque quindecim castella mœnibus cincta; pagi vero quadraginta & ultra continentur.

In templo S. Blasii Camaldulensium *Divi.* Monachorum requiescit corpus sancti Romualdi Abbatis; & in S. Benedicti Sylvestrinorum Monachorum Ecclesia B. Ioannis Bastonii ossa sepulta sunt: tertio vero à Fabriano lapide D. Sylvestri Sylvestrinorum institutoris cineres in fano cœnobii Sylvestrinorum pie servantur. In S. Augustini æde, cui adsitum cœnobium PP. est Augustinianorum, Beatorum Petri Andreæ, & Ioannis corpora visuntur: at S. Francisci templum B. Francisci Fabrianensis integerrimum etiam nunc corpus custodit.

Principatum Fabriani diu nobilis fa*Dominatus.* milia Clavellorum tenuit, ex qua postremus Baptista Thomæ filius crudelitate inmanitateque ac perditissimis moribus adeo efferatus, ut tolerari nulla diutius ratione posset, optimatium conjuratione in templo, dum sacris sacerdos operaretur, verbaque hæc, quæ signum fore rei ineundæ convenerat: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto, & homo factus est*, &c. canerentur, cum universa familia præter ætatis aut sexus discrimen cæsus est. Itaque cum ad tuendam libertatem Fabrianenses in se ipsis non satis esse præsidii intelligerent, Francisco Sfortiæ se dediderunt, quem hic arcem ut illis temporibus firmam ac munitam condidisse, Blondus scribit. At Sfortia deinceps ex tota Piceni regione armis Eugenii III, ejecto, pertinere Fa*Pontificiæ ditioni subjecti Fabrianenses.* brianenses ad Pontificiam ditionem cœperunt.



Chiese Collegiate.
A. S. Venanzo Duomo.
B. S. Nicolò.

Convento.
1. S. Biagio di Monachi Camald.si
2. S. Catharina de Monachi Olivetani.
3. S. Benedetto de Monachi Silvestrini.
4. S. Agostino Chiesa de gli Agostiniani.
5. S. Francesco de Frati conventuali.
6. S. Domenico de Domenicani.
7. S. Barnaba de Frati de gli Apostoli.
8. Collegio de Giesuiti.
9. Ospizio de gli Eremiti Camaldolensi.

Monasterii de Monache.
10. S. Catherina de Siena. 11. S.to Onofrio.
12. S. Luca. 13. S. Tomaso.
14. S. Romualdo. 15. S. Sebastiano.
16. S. Margerita. 17. S. Gioseppe Cappu.ni

Chiese de Confraternite.
18. Del Sant.o Sacram.to è della Madonna.
19. Della Carita. 20. Del Confalone.
21. Di S. Gioseppe. 22. Di S. Agostino.
23. S. Nicolò.
24. Della Misericordia.
25. Di S. Maria del Mercato.
26. Di S. Roco.
27. S. Iacomo Maggiore.
28. S. Iacomo Minore.
29. S. Claudio. 30. S. Agata.
31. S. Maria del buon Giesu.
32. S. Gio del cantone.
33. S. Maria del piancato.

Monti che prestano Denari gratis sopra i pegni.
34. Monte della Pietà.
35. Monte de Mad.a Montanina.

Hospidale.
36. De gli Infermi.
37. De' bastardi.
38. De' Pellegrini.

Porte della terra.
39. Porta del Piano.
40. Porta della Cervara.
41. Porta Pisana.
42. Porta del Borgo.

43. Rocca.
44. Arco del Palazzo del Governat.re grand.mo sotto il quale si passa per andare della Piazza di Sig.ri a quello del Mercato.
45. Ponti sopra il fiume n.o 5.

Palazzi Principale.
46. Palazzo del Governatore.
47. Palazzo del Magistrato.
48. Palazzo nuovo della Communità.

Fontane.
49. Fonte che gitta l'acque in alto 40 piedi.
50. Fonte della Piazza del Mercato.
51. Fonte di S. Venanzo.
52. Fonte del Piano.
53. Fonte delle cervare
54. Fonte di S. Romualdo.
55. Fonte di S. Nicolò.
56. Fonte delle Monache di S. Onofrio.

Piazza Principale.
57. Piazza de' Signori. 58. P. del Mercato

59. Fiume Iano.
60. Ramo di d.o Fiume per commodita del purgo de' panni, delle conce delle pelle delle Tinte è di Molino.
61. Botteghe de Fabri tutte unite n.o 38.
62. Edificii, dove si Spandon' et asciugano le rascie et i panni. n.o 5.

63. Edificii dove si fa il Salnitro.

Portici.
64. Di S. Francesco.
65. Del Palazzo nuovo.
66. Di S. Maria del buon Giesu.
67. Di S. M. del Mercato.
68. De' Fabri.
69. Molini n.o trè.
70. Pozzi publici n.o due.

Chiese & Altri luogi fuori della terra.
71. L. Annuntiata Chiesa de P.P. Zoccolanti.
72. S. Gioseppe Chiesa de P.P. Cappucini.
73. Il Crucifisso delle Carceri.
74. S. Maria di Loreto.
75. S. Maria Magdalena.
76. S. Lorenzo.
77. S. Antonio, Priorato.
78. S. Salvatore.
79. S. Marco.
80. S. Christofano.
81. Il Crucifissio di Porta Prima.
82. Il Crucifissio della Fontanella.
83. Fontana di S. Antonio.
84. Fonte della Cervara.

FANVM.

Nomina.

FANVM, secundum divisionem priscorum Chorographorum, Picenum inter viamque Æmiliam ædificatum in agro Gallicano opidum, qui Catoni Vmbria Senonensis; Sempronio Gallia Flaminia, & Gallia togata dicitur; & secundum quosdam modernos Scriptores, in Piceno jacet ad Maris Adriatici littus via Flaminia, in confinio fertilis & spatiosissimi campi, qui opidum quinorum spatio milliarium ambiens, Meridiem, atque Occidentem versus in amœnissimos colles exsurgit frugiferis arboribus consitos, & miram frumenti, cæterorumque fructuum fertilitatem habentes. Sane suburbanis locis hisce nihil est speciosius: nec desunt qui situs principatum supra alias Italiæ civitates huic opido deferant.

Situs. *Soli bonitas.*

Metaurus fl.

Iuxta muros opidi Orientem versus Metaurus amnis defluit, multis Romanorum victoriis laureatus, Furii Camilli adversus Brennum Gallorum Ducem; C. Neronis, & Livii Salinatoris contra Asdrubalem, atque Aureliani Imperatoris adversum Marcomannos. Post Fanum Argila amniculus partem campi occidentalem irrigans in mare se præcipitat.

l'Arzilla amnis.

Aëris clementia.

Fanenses ob cœli clementiam, qua omni tempore utuntur, & bonitatem emicantium aquarum, quibus universum abundat territorium, & à morbis sunt tutiores, & ætate provectiores. Ex hac tenuitate aëris, ac salubritate aquarum Fanenses forte celebratam non Italorum modo, sed aliorum etiam populorum proverbio formæ seu pulchritudinis laudem obtinuere.

Fanum munitissimum.

Loci natura Fanum munitissimum est; cum nulli montes ei immineant, è quibus infestari ab hostibus facile possit, tutumque sit ab altero latere Adriatico Mari, quod facilem succurrentibus præbet aditum: arte vero cum quibuslibet opidis conferendum; nam & mœnibus aggesta interius humo ad majus munimentum repletis, & fossa cum lata, tum profunda circumdatur, habetque recens ad ortum solis propugnaculum Iulio III. Pontifice erectum; arcem vero ad occasum Malatestis dominantibus mare versus ædificatam. Priscis Fanum temporibus æque munitum opidum fuisse ex Cæsaris Commentario intelliges, qui cum prohibente Senatu Romano Rubiconem fluvium cum exercitu transeundo hostis esset populi Romani judicatus, ne quod opidum à tergo relinqueret, quo turbari ejus consilia possent, Fanum præ cæteris muniendum censuit. Idem Stiliconis Honorii Cæsaris legionibus præfecti consilium fuit, qui Fanum præfecturæ Exarchatus clavem esse ratus, ut Romano conservaret Imperio, mœnia ejus partim Alarici regis sævitia disjecta, partim ruinosa anno Domini 408 instauravit.

Arx.

Fundatores.

De ortu seu fundatione Fani tam varie sentiunt auctores, ut ex hac opinionum diversitate facile ejus conjicias antiquitatem. Quibusdam scriptoribus à Syracusanis Doricis conditum dicitur eo tempore, quo Italus rex, qui regioni Italiæ nomen imposuit, Anconam, Potentiam, Humanam, Cluanam cæteraque in confinio hujus Provinciæ opida condidit. Alii ædificationem ejus Hetruscis attribuunt argumento fragmenti cujusdam, quod in antiquo marmore scriptum legitur:

Antiquitas.

Inscriptio.

PHANVM FORTVNÆ AB HETRVSCIS
CONDITVM EST,
A QVIBVS PRÆCIPVE FORTVNA COLEBATVR,
QVÆ EORVM LINGVA HORTIA APPELLATVR;
ET HANVM TEMPLVM.

FANVM FORTVNÆ, *vulgo* FANO.

1. La Rocca.
2. Ravellino del Porto.
3. Baluardo di Giulio 3.º
4. Forte di S. Nicolò.
5. Torrione di S. Giouanni.
6. S. Maria, il Duomo.
7. S. Maria Nova.
8. S. Maria del Riposo.
9. S. Maria del Confalone.
10. S. Maria di S. Giuliano.
11. S. Maria Maddalena.
12. S. Antonio.
13. S. Andrea.
14. S. Arcangelo.
15. S. Bartolomeo.
16. S. Christina.
17. S.mo Corpo di Christo.
18. S.mo Crocifisso.
19. S. Christoforo.
20. S. Daniele.
21. S. Domenico.
22. S. Filippo.
23. S. Gio. Battista.
24. S. Gio. del Bon Giesu.
25. S. Girolamo.
26. S. Girolamo del Orat.º
27. S. Lorenzo.
28. S. Leonardo.
29. S. Lucia.
30. S. Marco.
31. S. Michele.
32. Tertiarie di S. Francesco.
33. S. Paterniano.
34. S. Pietro.
35. S. Pietro Vescouo.
36. S. Rocco.
37. S. Maria della Pietà.
38. S. Silvestro.
39. SS. Simon é Giuda.
40. Seminario de' Chierici.
41. S. Tomaso.
42. S. Teresa.
43. Riservo di Zitelle povere.
44. SS. Vito é Modesto.
45. Porta Maggiore.
46. Porta Marina.
47. Porta Giulia.
48. Porta S. Leonardo.
49. Via aperta di novo.
50. Arco d'Augusto Imp.
51. Arco di S. Antonio.
52. Foro Publico.
53. Portici nel foro Publico.
54. Molini da grano.
55. Horti.
56. Piazza del Duomo.
57. Piazza di S. Paterniano.
58. Piazza di S. Leonardo.
59. Piazza della Posterna.
60. Treb. di S. Antonio.
61. Pescarie.
62. Acquedotti.
63. Fontane.
64. Palazzo del S.r Card. Vescouo.
65. Palazzo di Monsig.r Governatore.
66. Palazzo del Magistrato.
67. Palazzo del Podestà.
68. Il Porto.
69. La Loggia.
70. S. Spirito.
71. S. S. Maria del Ponte Metauro.
72. S. Lazaro.
73. Vestigie del tempio della Fortuna.
74. Vestigie della Basilica di Vitruvio.
75. S. Croce.
76. S. Maria del Mare.

Item probabilis conjecturæ; nam quo tempore à Gothis fuit direptum ſenis optimatibus Hetruſco more gubernabatur, ut quædam epitaphia vetuſta inſinuant his verbis: N. Sex Vir.

M. Catonis, & C. Sempronii autoritas negantium ullam à Græcis poſt eorum è Theſſalia fugam, ædificatam fuiſſe in Italia civitatem, arguit falſo eos opinari, qui Fani originem à Pelaſgis Græciæ populis deducunt hoc diſticho decepti:

Tunc poſitum Phanum, cum maximus ille Pelaſgûm
Regnator dictus Pſennius atque Pharus.

Gabinius Lætus ad annum regni Numæ ſeptimum Fani initium referens à L. Peſanio Romano conditum aſſerit his verbis: *Phanum Civitas nobilis juxta littus maris Adriatici condita à L. Peſanio Phano Duce, anno 44. ab Vrbe condita, ubi incolæ honorificis pompis Fortunam coluere.*

Nominis origo. Plebs Fanenſis ait opido ſuo Fani nomen impoſitum fuiſſe à celebri templo hic Deæ Fortunæ dicato; ideoque forte à priſcis, & recentioribus autoribus promiſcue Fanvm Fortvnæ appellatur. Veritas hujus rei ex primo Fanenſium inſigni apparet, *Inſignia.* quod templum erat, ad cujus baſim ſeu fores leo cubabat, hoc dicto circumſcriptum:

In Phani portis stat leo fortis.

Quod Fanenſes inſigne tam diu retinuere, donec concitata Guelphorum, & Gibellinorum factionibus univerſa Italia, paci tandem reddita, & ipſi Fanenſes has factiones ſecuti Cariniani Comite, & quodam ex gente Caſſarenſi factionum ducibus inter ſe conciliarentur; à quibus Guelphorum & Gibellinorum nominibus extinctis eo tempore duo raſtra, album & rubrum inſignia prædictarum familiarum mutuati hodieque uſurpant.

Nonnulli exiſtimant Templum hoc anno Domini 277. ab Aureliano Imperatore fuiſſe exſtructum ob partam ab eo adverſus Marcomannos Moraviæ populos victoriam, eumque hoc loco inuſitatum prædeceſſoribus imperiale diadema primum ſumpſiſſe.

Annius Godofredus veriore fortaſſis fundamento affirmat ſumptuoſiſſimi hujus Templi conditorem Furium Camillum, ob editam ab eo & M. Curione hoc loco in planitie *Marotta* nunc (quaſi *Mala rotta*) dicto ingentem Gallorum Senonenſium ſtragem. Vnde Franciſcus Pamphilus:

Condiderat niveo Fortunæ marmore templum,
Inſtabilem populi nam coluere Deam.
Diruta nunc etiam veſtigia plura videntur,
Iſta ſibi nomen traxit ab æde Deæ.

Anno ab Vrbe condita 708. Fanum Romanorum factum eſt municipium Iulio Cæſare procurante; ab Auguſto deinde validis muris circumdatum, ornatumque Imperiali palatio ac templo magnifico Iovi conſecrato. Additus ei præterea portus non ignobilis, & fida carinis ſtatio, *Portus.* & à Iulia gente hic titulus: Colonia Ivlia Fanestris. In hac colonia ferunt Auguſtum Cæſarem Flaminiæ centenis annis ante à Flaminio Conſule Romano directæ, temporum vero injuria multis locis interruptæ Viæ reſtaurandæ intentum aliquot menſibus fuiſſe commoratum, eamque ob cauſam Fanenſes eidem triumphalem arcum cubi- *Arcus Fanenſis.* talibus literis æneis, inauratiſque inſcriptum poſuiſſe; quanquam inſcriptio ab ipſomet Auguſto erectum indicat. Hujus adhuc extantia rudera tot bellorum reliquiæ priſcam illorum temporum magnificentiam teſtantur.

Non longe à foro ad judicium, & litigantium commoditatem celebris illa Baſilica fuit, Vitruvii ſcriptis expreſſa, anno Domini 535, barbararum gentium crudelitate ſubverſa, quæ præ- *Turris.* celſam turrem hodie pulſandis campanis ad Dei Opt. Max. cultum deſtinatam unicum ſui veſtigium reliquit.

Romano Imperio uſque ad Conſtantini M. tempora Fanum paruit: Inde Gothorum; poſtea Vitigis, & Totilæ dominationi ſubjectum, qui ex cineribus Italicarum urbium divitias ſperantes communibus flammis Fanum ſuppoſuere. Verum inſtauratum Iuſtiniani Imperatoris clementia, Beliſario procurante, Ravennatibus Exarchis dicto audiens fuit, donec Aſtulphus Longobardorum rex ejus dominio potiretur; quo à Pipino Francorum rege debellato,

lato, ejusdem donatione Pipini, (quam deinde Carolus Magnus filius, & Ludovicus Pius nepos confirmarunt) ad Pontificiam ditionem transiit, constitutumque fuit caput Pentapoleos, hoc est, Arimini, Pisauri, Anconæ & Senogalliæ. & quod judices istarum civitatum litibus dijudicandis Fani residerent, VRBS IVRIS etiam fuit appellatum.

Dominatus. Non longo tempore interjecto ad Romanorum Cæsarum rediit imperium, concessumque fuit anno 1209 ab Othone IV. Azoni Atestino Marchioni Ferrariensi. Anno 1230 cum Fanenses aliquamdiu Friderici II. obsidentis impetum sustinuissent, tandem ad opidi deditionem compulsi, & Friderico patri & deinde Conrado filio Germaniæ regi modeste paruerunt. A Conradi obitu se Manfredo Siciliæ regi tradentes plurimis beneficiis affecti sunt, *Privilegia.* imprimisque privilegio tricenis in orbem milliaribus cum mero imperio belligerandi. Longo isto Romani Imperii interregno Fanum inter opida Imperio subjecta fuit, à Rudolpho Habspurgio, deinde electo Rom. Imperatore, redditum Gregorio X Pontifici. Verum cum per Italiam civilibus armis infesta tum essent omnia, atque Apostolica sedes remotior, longo tempore liberæ civitatis jura usurpavit, ab Optimatibus Aristocratica Reipublicæ forma directum. Nicolao III sedente ad fidem Pontificum rediit; fuitque à Clemente VI concessum Galeotto Malatestæ, titulo perpetui S. R. E. Vicarii; sub cujus dominatu ad Pontificatum Pii II permansit, qui missis cum exercitu Nicolao Fortiguerra Cardinale Teanensi, & Frederico Feltrio primo Vrbini Duce, post lacerata & diruta tormentis mœnia, & quadrimestre obsidium, Fanum Pontificiæ ditioni restituit, cui in hanc usque diem submisse paret, nec minore quam quodvis aliud opidum Pontificium fidelitate; regiturque à Prælato proxime Sacræ Consultationis (ut ajunt) concilio subjecto. Egregii sane viri huic opido administrando semper præfuere, ex eorum numero Franciscus Piccolomineus ad summum postea Sacerdotium evocatus, adscito Pii III nomine, & Ioannes Baptista Castagna ad eandem dignitatem evectus, dictusque Vrbanus Septimus; Vrbanus vero Octavus ætate florente senili Fanum prudentia administrando prælusit tum, factoque ipso postea ostendit, pulchre sedisse ejus humeris sacrorum Imperium.

Inclytum Fanum est quaternis Episcopis in numerum SS. relatis, & S. Paterniano, Beatoque Peregrino socio patronis, qui Diocletiano imperante anno 314 diem obiit. *Fanenses Divi.* Sepulcrum Sancti viri à morte ejus justam illico venerationem habuit, cultumque fuit tam auguste, ut Iustinianus Imp. religiosam ad id peregrinationem destinarit, ornaritque muneribus amplissimis.

Floruere hic anno Christi 503 sanctus Eusebius, qui Symmachi adversus Laurentium coacto concilio interfuit. Anno 592 S. Fortunatus. Anno 625 S. Vrsus, quorum gloriosa hic corpora sepulta; ossa S. Paterniani in æde ejus nomini sacra, reliquorum trium in Cathedrali Ecclesia servantur. Præter hos multi Præsules veneratione, & pia memoria digni recensentur. Quatuor præterea sacra purpura insignes Fanensem illustrarunt Ecclesiam, *Cardinales.* cui præpositus sexta mensis Septembris die, anni 1532, Pompejus Columna Montis regalis Archiepiscopus; Petrus Bertanus Dominicanus, sedentibus Paulo, & Iulio tertiis Pontificibus, qui se Cardinalem Fanensem jussit appellari; Franciscus Boncompagnius Metropolitanæ postea, quæ Neapoli est, Ecclesiæ impositus, & Iulius Sacchettus, ambo Cardinales cum ipsa dignitate, tum pastoralibus virtutibus eminentissimi, diversis temporibus præsederunt.

His accedit multitudo templorum, *Ædificia sacra.* cœnobiorum sexus utriusque, hospitiorum infirmis, peregrinis, decrepitis senibus, expositis infantibus, orphanisque recipiendis; Charitatis vero opera, quæ à diversis laicorum confraternitatibus non sine magno Christianæ religionis cultus incremento quibusvis cumulatissime exhibentur, Fanum reddunt celeberrimum.

Studia etiam literarum apud Fanenses semper viguerunt, *Litterarum studia.* quibus S. Vbaldus imbuendus ad Fanenses profectus est, Eugubinæ deinde præsul Ecclesiæ.

Fanum clarorum ingeniorum fœcunda *Indoles.* ma-

mater est, ideoque Fanenses & Ecclesiasticis honoribus, & literarum armorumque gloria clarissimi extitere.

Fanenses dignitate insignes. In primis consistunt Clemens Octavus S. R. E. Summus Pontifex Fani natus, cui toties Fanum Patria honorifice Apostolicis in literis appellatur. Item Cardinales Gabriellus Gabrielli, & Hieronymus Rusticucius; ille Iulii II, hic Pii V beneficio ad Cardinalatum evectus, & Episcoporum, Prælatorum, Generalium religiosis ordinibus præpositorum, Pontificiorum domesticorum, Cardinalium Nepotum, & Canonicorum Vaticanæ Basilicæ magnus numerus.

Viri docti. In secundis habendi: Martinus vetus glossographus, Palmierius juris civilis peritissimus, Antonius Negusantius magni nominis Iureconsultus, & tot alii, qui editis scriptis doctrinæ suæ gloriam ad posteros transmiserunt.

Militiæ periti. In tertiis censendi: Bartolagius, qui cum mille Fanensibus Menappo regi auxilio venit, cum Aquileia ab Hunnis obsidione premeretur. Hugo, qui cum Godefrido Bullionio ad expugnandam Ierosolymam profectus. Guido Cassarensis, Angiolellus Carinianensis aliique præteritorum, & horum temporum ad summos militiæ gradus diversis Europæorum bellis evecti, quos omnes silentio prætereo, ne gloriam horum tot monumentis proditam aut ignorare, aut tenui narratione laudem videar diminuere. At vero si accuratius Fanensium mores inspicias, ad pugnandum eos, quam ad cæteras actiones magis idoneos cognosces, ut Gabinius Lætus, à quo bellicosi & superbi Fanenses dicuntur, & res ab iis variis temporibus gestæ testantur; Nam cum Fanum anno 1140, à Ravennatibus, Pisaurensibus & Senogallensibus obsideretur, crebræque essent ab obsessis eruptiones in hostem tentatæ, tandem Petro Dandulo Venetorum Duce, & Æsinis suppetias ferentibus pertinaciam obsidentium potita adversus eos victoria mulctarunt. Fanenses anno 1216 Ariminensibus contra Bononienses & Cæsenates subvenere. Anno 1321, magno animo fortique Ioannis XXII, & Malatestarum arma à mœnibus suis propulsarunt. Pontificatus clavum Decimo Leone tenente Francisci Mariæ Vrbini Ducis impetum Troili, & Galletti Pisanorum opera fortiter sustinuerunt, cum non multo ante sedente Iulio II, eadem animi magnitudine hostiles incursiones repressissent. Communi tamen civilis belli, quo sub Guelphorum & Gibellinorum factionibus divisa arsit Italia, Fanenses quoque impliciti fuerunt, hi Guelphorum, illi Gibellinorum inania nomina partesque sine ratione secuti. Vnde in mutua arma concitati, & vario Marte pugnantes præcipiti cursu ad interitum urbis suæ contenderunt. Mirum tamen ex his cladibus Montis Fani ædificationem ab expulsis Gibellinis anno 1322 extitisse. amplum divesque & Marcelli II. Pontificis nativitate celebratum est opidum.

Fanensium genium. *Fani obsidio.* *Varii bellorum impetus.*

Diœcesis. Diœcesis seu territorium Fanense tot & tam frequentia opida, castella & pagos suo ambitu complectitur, ut & hoc nomine caput Diœceseos Fanum quam maxime censendum sit inter præcipua ditionis Pontificiæ opida.

Morum elegantia. Ad extremum elegantia morum Fanenses excellunt, & quosvis Italiæ populos officio vincunt, adsidui Romanæ Curiæ sectatores, ex qua non modo optime morati, sed etiam persæpe opibus & honoribus ornati in patriam revertuntur. Denique qui ex Fanensibus equestris sunt ordinis ad omnes equitum, pro Ecclesia militantium ordines admittuntur; & ex præcipuis ordinibus hic semper aliquos invenies. Reliqui sunt nobilitatis custodes religiosissimi, atque ex se illustres familias Italiæ quamplurimas prodiisse gloriantur, inprimis inclytam illam, quæ Venetiis est, Falierorum gentem; nullosque præter se ipsos publicis honoribus muneribusque administrandis idoneos existimant.

FAVENTIA.

Situs. FAventia non contemnenda ad viam Æmiliam civitas, centrum Romanulæ obsidere videtur, si Panarum flumen ei ab Occidente terminum statuamus. Situs ejus nec in montis cacumen elatus, nec in ima vallis depressus, beatos incolas efficit, quos hujus insalubritate, illius liberando fastidiis, necessariarum rerum copia, ac puri cœli perpetua quadam donat clementia. Inter fruges, quæ Faventiaco in agro multipliciter luxuriant, optimum rerum linum Plinio lib. 19. cap. 1. vehementer laudatur. Ab umbris amœna præstitit suburbana suo ævo Silius Italicus lib. 8.

—— *Vndique solers*
Arva coronantes nutrire Faventia pinus.

Hoc arborum genus hîc frequens fuisse *Pigna*, suburbana villa suo vulgari nomine testatur, cujus appellationem procul dubio aut à multitudine consitarum in ea pinorum, aut quod ultimæ pinus hîc visæ, inprimisque illa, quæ commissi deinde inter Faventinos, & Ravennates prælii causa extitit, cujus incolæ memoriam quotannis ipsis Calendis Maji celebrant. Est & in suburbano rure fons perennem medicarum aquarum copiam profundens, S. Christophori in monte exortus, cujus meminit Dominicus Banchettius lib. de balneis.

Iam verò plurima quæ Faventiam circumstant castella vicique, celebre ex ea emporium efficiunt, quod sabbathini mercatus cum mediocribus nundinis conferendi demonstrant.

Dividit oppidum duas in partes in- *Anemo fl.* æquales *Anemo*, quarum minor, etsi circumstructo muro sit tuta, *Burgum* tamen adpellatur. Amnis hic ex Apennini summis delapsus, amœnam fœcundamque vallem castellis aliquot, ac vicis distinctam sinuoso secat reflexu. Vniversæ vallis caput est *Brisigella*, Martiorum, doctorumque virorum altrix, ex quibus plurimos Roma ad suæ Aulæ lydium lapidem probavit laudavitque. Nomen Anemoni fluv. Annius Viterbiensis existimat quosdam è priscis illis Thusciæ populis imposuisse de suo, qui primum maritimam ejus regionis oram, Hercule duce, tenuerint; post, transgressis Apennini jugis, hoc in loco consederint. Cum Annio sentit Zatatinus in additionibus ad Genealogiam Cæsaris Ripæ, ubi de Romanula, Faventiaque mentionem faciens, probat omne terrarum spatium, quod Anemonia vallis usque Faventiam occupat, Thusciæ olim nomen habuisse. Idem ex antiquo *Guidorum* Comitum, qui nunc Comites *de Balneo* dicuntur, titulo colligitur, quos antiqua monimenta Thusciæ Comites, multorumque Cisapenninorum castellorum dominos appellant. Anemo autem antequam cursu suo Faventina mœnia attingat, *Manzanum* amnem, quem & Apenninus suis è visceribus protrudit, infra Mutilanam haud ignobilem vicum intercipit.

Ambitus Faventiæ non semper is *Ambitus.* fuit qui nunc est. Maximus prisci ævi temporibus, suburbia si addas, quina fuit milliaria complexus. Suburbia Friderici II, Imperatoris, obsidentis rigor anno 1240. evertit.

Nec par semper incolentium nume- *Incolæ.* rus extitit. Blondus patria Foroliviensis, historicus insignis, ubi de Faventia, copiisque auxiliaribus Archiepiscopo Ravennati contra summum Pontificem an. 707. submissis meminit, armatorum numerum majorem à Faventinis auxilio Ravennatibus venisse refert, quam suo ævo fuerit incolentium Faventiam. Fuêre autem quindena millia; cui numero ad externa bella mittendo impar fortassis hodiè sit universa Romanula. Hinc Blondus facta Faventinorum cum Bononiensium ac Ferrariensium auxiliis collatione, concludit ampliorem Bononia, Ferrariaque urbibus tum Faventiam fuisse. Ex eo igitur tempore has ipsas urbes sua primum incrementa cepisse, tendente sen-



FAVENTIA, Vulgo FAENSA.
Dichiaratione della Città
Dà Porta da Ponte à Porta Imolese per linea retta ui sono canne .... 250.
Dà Porta Montanara à Porta Rauegnana ..... 223.
Requadrato di d.ª Città
Dà Porta da Ponte à Porta Montanara Canne 170
Dà Porta Montanara à Porta Imolese 155
Dà Porta Imolese à Porta Rauegnana 202
Dà Porta Rauegnana à Porta Ponte 135
là d.ª Pianta viene à essere con le sue misure Tor.e 403 P.che 5.p.2.62.p.ti 8.
Intorno alla Citta dentro le mura da Porta da Ponte à Porta Montanara Canne ... 201
Dà Porta Montanara à Porta Imolese 188
Dà Porta Imolese à Porta Rauegnana 214
Dà Porta Rauegnana à Porta da Ponte ... 145
Che fanno Miglia uno e Canne 245
Il Canale corre di lunghezza dentro là Città Canne 288
Dichiaratione del Borgo
Il Borgo è longo dà una Porta all' altra per linea retta Canne 120
Il suo giro intorno alle mura per dentro corre Canne 320
Che fanno mezo miglio Canne 72
La quadratura di d.º Borgo si troua eßere con le misure
Tor.e 64. P.che 5. p. 8.
Porta Rauegnana
Porta Imolese
Porta Montanara
Porta da Ponte
Porta Ospitale
Domo
Piazza
Borgo
Canale
Canaletta
S. Marco
S. Clemente
S. Chiara
S. Francesco
S. Ippolito
Collotta
Il Vescouato
Palazzo del Podestà
S. Stefano
S. Agostino
S. Lorenzo
S. Antonino
Annuntiata
Molino Nuov
Scala di Canne nouanta Faentine
10 20 30 40 50 60 70 80 90
Misura d'un mezo Piede Faentino

ſim ad occaſum Faventia, valdè probabile eſt.

Ambitus murorum hodiernus terna duntaxat milliaria continet, longitudine unum, latitudine verò medium occupante. Oppidanorum numerus ægrè ad quaterdena hominum millia aſcendit Vgelio teſte, qui ſua in Italia ſacra tom. 2. pag. 512. eundem nobiſcum numerum componit.

Muri. Murorum circuitum profunda foſſa excipit; utrumque Faventia munimentum Manfredis debet, qui deſtructis à Friderico II. Imp. mœnibus, novo circumſepire urbem muro (Domini namque erant) ſua è re eſſe cenſuerunt. Erat & tum murus longè quam nunc altior, ut qui aggeſtam multum ſuperans humum, in pinnas ſeu coronam, turriculaſque rotundas extiterit, ad obſervandam ambitus lineam comparatas. Verum ex quo æneorum, ferreorumque mittendis globis tormentorum uſus invaluit, detracta muro corona eſt, & turriculæ reliquæ moli æquatæ.

Portæ. Portarum urbis quinarius eſt numerus, minor quam avorum temporibus noſtrorum, queis ſeptem omninò portæ fuêre, *Candianâ*, & quam *della Zonetta* vulgari dixêre vocabulo, ſublatis.

Ædificia. Ædificia, quæ ſunt quædam quaſi forma urbis, nulla fermè commendat antiquitas, quam illatæ ſæpè vaſtationes ſub terra fodêre; quod inventa, quoties nova fundamenta excavantur, marmora, inſcriptiones, fragmenta ſtatuarum, columnæ integræ, baſeſque, & ſtrata nitidè eleganterque pavimenta teſtantur. Prior igitur Faventia Romanæ urbis exemplo jacet hodiernam infra Faventiam.

Pons. Inter fabricas tamen antiquitatem maxime præ ſe fert Pons ſaxeus terno fornice arcuatus, biniſque turribus, quarum altera quintam urbis portam conſtituit, inſignis, Anemoni præfluenti impoſitus, & Æmiliam cum urbe viam connectens. Conditorem oppidani ignorant, pleriſque non Romanam, ſed Gothicam Longobardicamve molitionem ex operis forma arguentibus. Pontem antiquitate proxime ſequitur *Palatium Prætoris.* Palatium Prætoris, ſic dictum, quod olim Prætorum in eo ſedes eſſet. Eminet id in foro, turri antiqui operis ſuperbum, & Gothicam præ ſe ferens, aut Longobardicam ædificandi normam. Qua Æmiliam in viam, Bononia per Faventiæ agrum, urbemque directam, angulus ejus verſus Occidentem deſpectat, Senatus turrim ad horologii publicum uſum adædificando antiquitati novitatem adjunxit.

Meretur quoque aliquam laudem antiquitatis Arx, an. 1240. à Frid. II. *Arx.* Imp. ut nudatæ à ſe urbi mœnibus frœnum eſſet, non temporaria molitione, ſed deſtinatione æternitatis exſtructa. Sed cum ea ferme nihil habeat cum noſtra muniendi arte commune, ac informem laceramque an. 1501. Valentini Ducis reddiderit vehemens oppugnatio, deſerta ea nunc deſolataque exiſtit.

Eſt & nonnullius antiquitatis Palatium Curiæ, quondam Manfredorum *Curia.* ſedes, quo tu ex nomine, tanquam ex ungue leonem ejus magnificentiam metire. Ingens à fronte ejus ornamentum foro accedit; nam porticibus exſurgens, arcuum & columnarum pulcherrimos ordines, aurataque oſtentat laquearia, nonnihil temporis injuria de ſuo nitore remittentia. Superiorem porticum Carolus Manfredâ de gente antepenultimus Faventinorum Princeps mira elegantia, marmorea tabula teſte, compoſuit:

Quam cernis auro nitentem plurimo porticum
Carolus Secundus de Manfredis ad patriæ ornamentum conſtruxit.

Recens omnino opus eſt Fons, in foro *Fons.* ſpectabilis, baſim ſuperiorem quaternis ex ære leonibus fulciens, paſſimque Draconibus & aquilis, ad Pauli V. Pontificis (nam ejus Pontificatu exſtructus eſt) inſigne gentilitium alludentibus, itidem ex ære fictis decoratus, & variis ad aſpectus amœnitatem modis ludibundas aquas eructans.

Reliquum eſt, ut ſacrorum ædificio- *Ædificia Sacra.* rum numerum ineamus, quæ ſeptuaginta & unum in urbe & ſuburbiis numerantur. Præter cathedrale templum, abbatialia quatuor, parochialia viginti quinque ſæcularibus, & tria regularibus commendata presbyteris; mendicantium novem, PP. Societatis Ieſu unum, noſocomiorum, ac confraternitatum in uſum

usum octodecim, & quinque, partim commendatariis, partim aliorum domibus religiosorum adædificata conspicies. Cathedrale Principi Apostolorum dicatum, Bramantis celeberrimi architecti opus, in pulcherrimis Romanulæ fabricis habetur non tam ob materiæ, quam artificii præstantiam, elegantiamque. Ædificavit id Friderici Manfredi Faventinorum episcopi liberalis dexteræ jussus: propter S. Savini martyris & episcopi, tutelaris Faventinorum Divi, sanctique Nevolonis patria Faventini, reliquias venerabilis exsistens.

Templum S. Mariæ Angelorum. Ex templis, quæ sunt abbatiæ titulo insignia, nullum est Mariano neque magnificentius, neque antiquius, quod ab imagine patratrice miraculorum incolis *Sanctâ Mariâ Angelorum* vocitata nomen accepit. Summo ea apud Faventinos in pretio est, vicemque asyli præstat cum belli timor impendet, aut aliud ab inferis erumpens malorum genus cervicibus oppidanorum incumbit. Fulsit olim Mariana Ædes Cathedralis honore, quam cœnobitæ annuam Canonicis pensionem solvendo iisdem acceptam referunt. Frontem sacri ædificii primum in solis occasum obversam Marsilius Amicius Faventinus, Abbas, in Orientem, contraque urbem avocando, exteriora, interioraque speciosa novitate ita confudit, ut turrim duntaxat ad æris campani usum antiquitatis testem reliquerit; postquam Petrus Damianus, Castellanus Faventinus, Abbas non multo ante tempore cœnobium antiquitate informe dejectum nova descriptione quoque signasset. Verum neuter perfecto operi superstes extitit. Quiescunt Mariano in templo ossa S. Petri Damiani Episcopi & Cardinalis, & in S. R. E. Scriptoribus haud postremus. Cæteræ S. Hippolyti, S. Ioannis Baptistæ, & PP. Cælestinorum abbatiales ecclesiæ vix quicquam, utraque Camaldulensium, parietibus sui memoratu dignum includunt, nisi quod posteriori adædificatum cœnobium sedes sit Ordinis istius Generalis. Inter Mendicantium templa duo præcipuè hospitem ad spectandum invitant, *S. Andreæ PP. Prædicatorum*, cui cœnobium adjacet structura magnifica, generalis per universam provinciam Inquisitoris & quadraginta Fratrum sedes. Bibliotheca in eo visitur exquisitissimorum librorum, quam haud tenui accessione amplificavit Cardinalis Aracælius hujus cœnobii filius. Templum ipsum elegantissimo opere, chorus cancellis circumseptus, & Sanctissimi Cella Rosarii opere plastico inaurato, pictisque tabulis insignis exornant. In alia quadam templi Cella aureo itidem nitore decora Deiparæ imago, titulo *Matris Gratiarum*, pia veneratione colitur, eo modo expicta, quo primum anno 1410 Faventinis apparuit, quos non solum gravi tunc pestilentia liberavit; verum etiam postea, annis nempe 1630, & 1631 cum eadem lues contagiosa Lombardiam, Tarvisinum, partemque Romandiolæ invasisset, eosdem servavit illæsos. Ex eo tempore *Matris Gratiarum*, apud oppidanos populosque vicinos aucta mirum in modum veneratio, atque Italiæ fines deinde egressa, in Poloniam usque ad Varsavienses evasit; qui suæ patronam urbis eligentes, magnificam ei annis superioribus aram dedicaverunt, ad quam primam solemni ritu Missam Nuncius Apostolicus Rege, ac Regina, regnique Poloniæ proceribus astantibus decantavit, quemadmodum transmissa Faventiam ad Cardinalem Rossettium Faventinorum Episcopum Apostolici per Poloniam Nuncii relatio, & Varsaviensium aureis inscriptum litteris vexillo ad Divæ aram Faventiæ appenso votum declarant. Cæterum altera mensis Maji dominica die ad festum Deiparæ celebrandum cum frequentes Faventini, tum eorum, qui latè circum urbem incolunt, ingens multitudo concurrit.

S. Andreæ Prædicatorum.

Franciscanorum. Alterum inter spectanda Mendicantium sacra ædificia locum postulat *Franciscanorum*, cum templo cœnobium. Et templum ipsum quidem Deæ Vestæ sacratum olim fuisse, quando idololatria humanas adhuc mentes occupavit, adædificatamque Vestalium commoditati Virginum habitationem majorum traditione accepimus; quod Faventinis ab ignorantiæ luna ad Euangelicæ doctrinæ solem conversis, Deiparæ, titulo Mariæ Virginum, dicatum, equitibus primum, quos Gaudentes

tes nuncupant, posteà Franciscanis fuit concessum; qui anno 1617, veteri cœnobio dejecto, novam sunt elegantioremque molitionem strenuè aggressi, cujus tamen magnitudo moram per se ipsa fabricavit. Colitur hoc in templo Virginis Conceptæ imago, quam ab S. Lucâ depictam perhibent, pluviam, aut serenitatem pro orantium votis indulgens.

Servitarum. Cætera Mendicantium templa, extra *Servitarum*, in quo B. Iacobi Philippi Faventini corpus religiosè servatur, nihil ferme habent quod sit observatione notandum.

PP. Societatis Iesu. Recens est, sed splendidum *PP. Societatis Iesu* templum, ædificium ab Alexio Patio Equite Faventino extructum, qui deinde supremis tabulis moriens amplissimas suas facultates iisdem Patribus legavit. *Carmelitarum.* Ad hoc Carmelitarum excalceatorum templum ad culmen perductum proxime quidem accedet, sed nunquam erit magnitudine sumptuum, ac structuræ elegantia æquale.

Monialium. Inter Virginum Deo sacratarum templa reliquis illustrius illud est, quod Deipara ab igne cognominata augusto suo nomine insigniit. Frequentatur id maxime ab oppidanis ob miraculosam Virginis Matris in ea imaginem, quæ exorto casu Faventiæ superioribus temporibus gravissimo incendio, mediis in flammis ex asserculis licet composita, sarta tecta constitit, ne læso quidem quo clavo parieti templi inserto adhærebat funiculo. Exinde tot est ad petentium salutem operata miracula, ut piis largitionibus extructi parietes templi votivæ tabellæ pene contexerint.

Parochiæ. Ex parochialibus ecclesiis insigniores sunt, quæ à S. Æmiliano Episcopo, & S. Terentio Confessore tutelaribus Faventinorum Divis nomen habentes, eorundem sacra ossa custodiunt.

Cætera Ædificia Sacra. Multa præterea ad charitatem proximo exhibendam pio Faventini affectu instituêre, erigendo Montem Pietatis pecuniæ inopia afflictis, hospitium puellis orphanis, Nosocomium infirmis, seminarium clericis, congregationesque plures defunctorum animas devotis ad Deum precibus juvantes. Accedit haud parvum à scholis, in quibus humaniores literæ traduntur, Academiaque Philoponicâ dicta, ornamentum, in qua duæ lectiones, Legum ac Philosophiæ habentur, & tertia, Theologicâ propediem augebitur.

Explicatis ædificiis Faventiæ, ad ipsam nunc diœcesin accedo. *Episcopi.* Quis Faventinorum primus fuerit Episcopus, ex historiis non satis clare legitur. Primus, cujus authores meminerint, *Constantius* est, qui Romano, à Melchiade Papâ & martyre indicto an. 313, propter Cælestinum Concilio interfuit. Post eum, sed longissimo tempore interjecto, anno scilicet 454, cujusdam *Ægidii* mentio fit, quem nonnulli Vrsulanæ peregrinationis comitem, cum sanctâ sodalitate martyrio fuisse affectum perhibent. Verum, cum S. Vrsulæ historiam varii varie enarrent, hanc veritatem haud pertinaciter defendam. In Ægidii locum *Iustus*, anno 465, successit, à quo denuo Faventinorum interrupta series Episcoporum usque ad annum 649 existit. Quo tempore *Leontius* sedisse legitur, qui continua serie successores episcopos ad nostram ætatem reliquit. Horum omnium catalogum, & singulorum (paucis exceptis) gesta Vgelius supradicto loco pertexuit.

Diœcesis ipsa Faventina in amplissimis Romaniolæ computata, *Diœcesis Faventina.* à montis Apennini jugis, queis à Florentinâ ditione sejungitur, longo tractu Ravennam versus porrecta, ab urbe mille tantum passibus abest. Ea superioribus annis ipsam Ravennam ingressa est usque ad locum, quem vulgari vocabulo *Palchiavato* indigetant. Propagatæ hucusque jurisdictioni causam dedit Faventinorum contra Ravennates victoria, cujus Faventini Kalendis Majis perennem memoriam celebrant. Sed cum deinde Petro Cardinali Aldobrandino Ravennati Archiepiscopo inconveniens videretur, alienam in ipsis visceribus urbis tolerare jurisdictionem, Pontificio, Clementis VIII, mandato retracta Faventini Episcopi jurisdictio est ad ultimam extramuranam Ecclesiam. Cæterum Faventina diœcesis montana loca notiora habet, *Brisighella*, *Mudiliana*, *Maradi*, *Bisolio*, *Zerdotio*, *Fugnano*, & *Oriolo*; campestria vero,

Bagna-

Bagnacavallo, *Cotignola*, *Solaruolo*, *Fusignano*, *S. Agata*, & *Granaruolo*.

Vrbis origo. Restat origo urbis explicanda, qua antiquitatis laudem inter Italiæ urbes adipiscitur. Extat quidem mentio urbis ipsius apud Strabonem, Ptolemæum etiam Græco in textu, T. Livium, L. Florum, Plinium, Silium Italicum, Spartianum, Appianum Alexandrinum, & alios; sed qui originem, seu condendæ ejus consilium explicet, in tantâ scriptorum copiâ adeo neminem reperias. Vnde facile arguitur antiquissimam esse Faventiam, cujus initium etiam antiquissimos latuerit scriptores. Existimant tamen communiter omnes Faventini Chronologi, primos Thusciæ Hercule Duce cultores, à quibus Anemo amnis, ut supra jam diximus, nomen accepit, conditores Faventiæ fuisse. Et rem ita se habere, præter Zaratini antiquitatis peritissimi scriptoris in additionibus ad Genealogiam Cæsaris Ripæ, Anniique testimonia, inde probatur; nam cum florente Romanorum Republicâ mentio fiat Faventiæ à Livio, L. Floro, & Appiano Alexandrino, commemorantibus cæsum fuisse Marii à Lucio Syllâ exercitum apud Faventiam, prætereà à Silio Italico, referente earum in urbium numerum Faventiam, à quibus Romani contra Hannibalem auxilia habuêre; non potest dici condita Faventia post Romanæ Reip. interitum. Nec ab ipsâ Rom. Rep. ædificatam fuisse probabile est, quæ expulsis Gallis hanc regionem tenuit; cum nihil tale in Romanarum rerum scriptoribus non solum gesta Romanorum, sed in conditas etiam ab iisdem civitates deductas colonias, pontesque exstructos diligenter notantibus reperiatur. Iam verò à Gallis, quos ante Romanos hunc tractum terrarum occupasse constat, fundatarum catalogus urbium Faventiam quoque excludit. Et quas Tusci in Cisapenninâ regione civitates exstruxêre, nec inter has ab Historicis numeratur Faventia. Itaque necesse est Faventiæ initium extitisse à populis, qui prædictis omnibus priores huic regioni fuêre dominati; inter quos primi illi Tusci maritimi, Herculei, dicti *Anemonii* præcipuè recensentur, qui Apennini juga diu ante transgressi sunt, quam Tusciæ regum ditio sese hucusque extenderet. Porrò etymon urbis *Faventiæ* à *Faviis*, filiis & nepotibus Herculis deductum est, quos nonnulli *Fovios* appellant, quod ex stupratâ ab Hercule in foveâ seu loco subterraneo virgine progeniti fuerint. Sicut autem ab Anemoniis Anemo amnis suum nomen invenit; ita à Faviis appellata Faventia est. Ad hoc fortasse duæ istæ Anemoni fluvio à priscis Faventinis impositæ turres alludunt, ut non solùm Herculearum signa columnarum, suæque originis vetustissimæ monimenta essent, sed etiam quidam quasi ditionis limites. Atque hæc de antiquitate Faventiæ. Cæterum pro temporum varietate varios Faventia dominos est nacta. *Domini.* Primi fuêre Tusci, conditores ejus: horum in locum successerunt Galli, quos Romanorum excepit Respublica; tum Imperatores Romani, quamdiu penes hos tam summa stetit autoritas. Sed cum Imperialem potestatem Gothorum Italiam invadentium oppressisset immanitas, fœdissimam sub his, & Luitprando Longobardorum rege servitutem serviit Faventia. Hic destructam à se urbem aliquâ quidem ex parte deinde restauravit; sed pristinam dignitatem ei reddidêre Pipinus, Carolusque Magnus, expulsâ ex Italiâ barbarie, Romano Faventiam Pontifici donantes. Hac sub potestate sacrâ quietam diu egit ætatem, donec Berengario Imperatorium nomen usurpante Mnesius quidam ejusdem amicus Faventiæ se regulum diceret. Quam tamen modico urbs tempore toleravit tyrannidem; Valentinus quippe Antoninâ de stirpe regiâ, istis adhuc florente temporibus, qui pro asserenda incolumitate Pontificia sub Azone Camerini domino diu contra Berengarium militaverat, magnis Azonis copiis instructus, adjutusque oppidanorum studiis, Faventiam patriam suam, occiso Tyranno, & sectatoribus ejus oppressis, in libertatem vindicavit.

Accidit deinde ut Italiæ urbes ob Imperatorum absentiam, & tenue Rom. Pontificum robur libertatis cupido incederet; tum quoque aliarum exemplo Faventia propria sibi autoritate rectores imposuit, Pontificem Imperatoremque

remque protectorum non dominorum loco habens. Eo tempore, frequentia cum vicinis Faventini bella gessere, inprimisque cum Ravennatibus & Foroliviensibus aliorum præterea auxiliis populorum adjutis, penes Faventinos tamen plerumque victoria remansit. Cæterum discordiæ Faventinos inter & Ravennates causa fuit donatio, ab Conrado Imp. Pontifici offenso in Archiepiscopum Ravennatem profecta; qua cum Piceni magna pars, & Faventinorum ditio in alienum transiret dominium, Faventinis sua retinere studentibus, in utrosque bellum exortum est, quo Ravennatibus omnia in pejus cessere, quemadmodum non ex Faventinis solum Annalibus, sed etiam ex Rossii historiâ relegimus. Nec minus acris & diuturna Faventinis fuit cum Bononiensibus propter Imolenses, quos defendendos susceperant, contentio; quam tamen venientis in Italiam Lotharii II. Imperatoris autoritas sopivit, Imolam æquo utrisque jure subjiciens. Exinde cum Bononiensibus Faventini mutuis officiis auxiliisque constanter amicitiam coluere, donec Friderico II. Imp. procurante Guelphi Gibellinique universam in partes discerperent Italiam.

Cæterum inter insignes reportatas à Faventinis victorias est illa, quam non modo contra Ravennates, aliosque populos vicinos, sed etiam adversus Bertholdum Cæsaris per Italiam vicarium obtinuere. Is præter quaterna Germanorum millia in Germania conscripta, cum ex Romaniolâ, Marchiâ Anconitanâ Tusciaque constantem quinquaginta sex millibus collegisset exercitum, Faventiam aggressus est, magnâ suorum parte amissâ, oppressisque ducibus plerisque quos martius ad conscendenda mœnia furor rapuerat, & ultra centum reportatis ab hoste in urbem vexillis. In hujus relatione victoriæ ipse Rossius historicus Ravennas cum Faventinis concordat Annalibus. Non tamen est silentio prætermittendum, amicos Faventinis Imolenses, Ariminenses aliosque Imperialibus copiis permistos in societatem tam gloriosæ venire victoriæ, eo quod ficto pugnandi ardore Faventinis potius auxilio fuerint, quam nocumento. Quod autem Faventinorum socii subditique Cæsareæ contra Faventinos militiæ nomen dederint, id aut Imperialis metus effecit, aut opinio non expugnandæ Faventiæ, sed conciliandæ duntaxat nobilitatis cum plebe. Sed cum paucis diebus interjectis, cum longè majore exercitu ipse Imperator adesset, arcemque Durbeciam urbi vicinam incenderet, & eandem suburbiis sortem minaretur, suæ propediem potestati subjecit Faventiam. Nec ulterius tum à Cæsare in Faventinos sævitum est, quos jam ante acceperat arma cepisse ad sui defensionem, non ad læsionem majestatis Cæsareæ. Postremum Sigonius memorat priore præterito in Cesenæ historiâ à Faventinâ Rossiique multum discrepante discordiis.

Bella Faventinorum.

Iis igitur temporibus, quæ usque ad Friderici II. Imp. expugnationem libera Faventinis fuere, clara iidem victoriis bella gesserunt; unde aucta non solum gloriâ viribusque, sed etiam numero incolentium Faventia, anno 1225 Vberto Vdinensi prætore ampliare pomœrium coacta est. Protulit & tum ditionis suæ terminos; nam, præter avitum ut ita dicam Anemoniæ vallis patrimonium, dominiumque Imolensis agri cum Bononiensibus commune, Castellum Cunio subegit, Comite ejus loci ad habitandum in urbe compulso: adjecit ablatum à Ravennatibus Rafanara castellum: cepit Castrocaro, Comitemque illius contra Christinum Moguntinensem archiepiscopum, S. R. I. per Italiam Archicancellarium defendit: Guidonem Novellum Mutitianæ & aliorum præterea locorum dominum sibi parere coëgit. Adhæc cum Ravennatibus (re tum ita postulante) Bagnacavallo suæ potestatis fecit, Malvicinumque ejus Comitem ad iniquissimas conditiones constrinxit, ut scilicet nobiliores incolæ partim in Faventinorum, partim in Ravennatium agrum ad habitandum migrarent. Castilionis & Solaroli incolas ad præstandum donarium annuum lytrum libertatis perduxit: Cerviæ oppidum contra Ravennates defensum, ideoque ultro se subdens protegendum suscepit, expulsis partim, partim occisis qui id Ravennatium

natium nomine præsidio tenebant. Sed & Lauretanus Comes à Faventinis contra Ravennates Foroliviensesque tutatus, in eorundem potestatem sponte concessit. Tandem ipsi etiam Forolivienses à Faventinis deterius accepti juratam cum iisdem pacem firmarunt, inito pacto, prætorem se deinceps non aliunde quam à Faventinis esse capturos. Accidit ea res Robaconte Mandello Prætore, circa annum Christi 1236. in quo anno & Foropompilienses, vicenis ad firmitatem pacti datis obsidibus, fidelitatem Faventinis nonâ mensis Iunii die solemni ritu jurarunt. Idem tribus post diebus Meldulenses & Castelnovani fecêre.

Faventini quoque plurima hostium suorum castella diruerunt, è quorum numero Foroliviensium Castilio ob insignem defendentium pertinaciam magno Faventinis stetit. Nec pauciora munimenta ad suæ ditionis tutelam condidêre: auxilia vicinis sæpissimè miserunt, maximè verò Bononiensibus contra Lombardiæ civitates; Guidoni Novello comiti adversus Florentinos; & Cesenatibus tam civili, quam externo bello afflictis. Procurante Romano Pontifice cum Lombardiæ civitatibus Faventini fœdus contra Fridericum I. Imp. Barbarossam cognominatum pepigêre, miseruntque deinde suos etiam Constantiam legatos, quâ tum in urbe de pace inter Imp. urbesque Lombardiæ agebatur. Fuêre & inter confœderatos contra II. Fridericum; eamque ob causam primum Pontificem auxiliaribus copiis adjuvêre contra Raymundum Cæsareum per Siciliam vicarium; tum & Lombardiæ civitates ad aditum redeunti in Italiam Cæsari obstruendum. Verum postremum à Faventinis initum fœdus damnosum iisdem extitit; Fridericus quippe aliam sibi, quam à fœderatis putabatur, viam ope quorundam Italiæ Principum aperiens, Faventinos primum (ita fortassis in fatis erat) pessimè multavit; nam redactâ an. 1240. post semestre aut etiam longius protractum obsidium (quo durante ob auri atque argenti inopiam æs ad solvendum militibus stipendium signavit, dum quæ è Germania pecuniæ vis exspectabatur, adveheretur) suam in potestatem Faventiâ, eandem destruxit, æquatis solo mœnibus sublatisque suburbiis; tum arcem condendo deinceps respiraturæ urbi frœnum imposuit.

Istam à Friderico illatam Faventinis calamitatem excepit an. 1250 divisa in Guelphos Gibellinosque adversas partes Italia, quando non solum urbes cum urbibus bella gesserunt, verum etiam in civem civis sectarum studio crudeliter sæviit.

Faventiæ & in Foro Livii potentiores Gibellini stantes à Guelphorum partibus familias utraque ex urbe ejecerunt; quæ Bononiam ubi Guelphica dominabatur factio, sese recipientes, Gibellinos inde quadam commutatione fortunæ coëgerunt emigrare Faventiam & Forum Livii.

Cæterum Faventinorum Guelphis studentium præcipui erant Manfredi Ragatique; qui verò ex iisdem Gibellinos sectabantur, horum agmen Acarisii & Zambrasii ducebant. Igitur his partium studiis in varia utrimque itum certamina, Gibellinis plerumque reportantibus victoriam. Celebratur scriptoribus S. Proculi pons Senio amni inter Bononiensem & Faventinum agros termino impositus, ob clades Guelphis à Gibellinis inflictas. Ita robore sorteque hi majores illis fuêre, quamdiu Faventini Mainardum Paganum, & Forolivienses Guidonem Comitem Montis Feltrii suarum defensores partium habuerunt: quo etiam tempore exstructa à Faventinis Brisigella Anemoniâ in valle ad commercium inter eos, Florentinosque Gibellinæ factionis, & mutuam communicationem auxilii faciliorem reddendam, Florentinis Guelphicarum partium Bononiensi viâ in suos auxilia derivantibus. Fatendum est quidem, Bononiensibus Guelphisque Zebaldelli proditione nocturno patuisse tempore aliquando Faventiam (cujus irruptionis Dantes his ex cantu de Inferno depromptis versibus meminit:

Più giù con Ganellone è Zebaldello;
Ch' apria FAENZA *mentre si dormia.*)

perbrevem tamen hujus victoriæ fructum sensere; quippe cum ipsi & Ioannes Apianus Inglesius Pontificiarum

dux copiarum hostes suos, quos Faventiâ Forum Livii confugisse didicerant, persequi tentarent, egregiâ Comitis Montis Feltrii calliditate partim cæsi, partim capti, reliqui fugâ salutem quæsivêre. Ex eo igitur apertè constat Bononiensium historicorum error, commemorantium dominam extitisse Bononiam Faventiæ, cæteræque Romanulæ; cum Forum Syllæ duntaxat, idque communi cum Faventinis imperio Bononienses tenuerint. Sed cum interjecto tempore non multo suis Gibellini ducibus destituerentur, & Quintus Clemens Pont. Roberto Siciliæ Regi Romaniam, qui eam firmo mox præsidio vicarioque regio tenebat, inprimisque Faventiæ (quâ ab urbe universam pendere provinciam à Guilielmo Durantio quondam provinciæ hujus præfecto Pont. didicerat) ad Guelphicas partes reductionem commendasset; Faventiam tandem Guelphi assertoribus Manfredis suæ potestatis fecere. Primus itaque ex Manfredis Franciscus anno 1312. principatum in urbe tenuit per aliquod temporis spatium solus, ascito deinde in societatem gubernaculi Richardo filio. Is Romanæ Sedis nomine Fori Cornelii præfectus, eam urbem adversus rebellem seu tumultuantem Albergetti fratris, Ravennatumque instinctu populum, quem à legitimo Pontifice ad Ludovici Bavari partes Petro Corbaræ monacho pseudopapæ studentis traducere conabantur, strenuissimè defenderat. Quamobrem Pontificius Bononiæ Legatus accersitum ad se specie observantiæ ignorantiæque, quæ in Foro Cornelii ac Faventiæ accidissent, Albergettum ibidem capite plecti mandavit.

Richardo legitimi filii nulli fuere; nothi verò duo, Ioannes videlicet & Guilielmus; quibus primum Papali beneficio natalibus restitutis, capiendisque honoribus idoneis investituram Vicariatus Faventiæ Imolæque seu Fori Cornelii, quod & Forum Syllæ dicitur, à S. Sede Apostolica Richardus pro se filiisque obtinuit. Quæ res fortasse Albergettum ad conjurationem induxit, intelligentem nothos fratris in investiturâ dictarum civitatum sibi præferri. Richardo fatis functo Ioannes filius successit; hic sub initium Romano fidem servavit Pontifici, pepigitque Papalium studio rerum cum Florentinis, Bononiensibus & Ferrariensibus fœdus contra Bavarum, Pisanorum, Vice-comitum, Gonzagarum, Ordelafforumq; defensum auxiliis. Verum cum à Pontificiis ministris nimium sibi dominii libertatem arctari animadverteret, Faventinis, Polentanis, Ravennatibus, atque Ordelaffis Forolivienfibus adjuvantibus, Pontificium Faventiâ militem, ministrosque non sine cæde ac sanguine utriusque partis ejecit. Profectus deinde magno cum exercitu in Italiam Ægidius Carilla S. R. E. Cardinalis, auctusque haud exiguo militum numero à Principibus Italiæ Pontificiis rebus studentibus, coactus est legem accipere Ioannes, excedereque Faventiâ urbe, retentis duntaxat Bagnacavallo, Solaruolo reliquisque Vallis Anemoniæ castellis. Nec longo tempore fuit horum potitus dominio locorum; quippe Vicecomite procurante factus Mediolanensis exercitus imperator, dum Pontificio Legato extorquere Bononiam parat, Pontificium in militem incidit; cum quo vigesimâ mensis Iulii die, anni 1361. iniquiore Marte depugnans magnam suorum partem amisit. Quo facto, Legatus non solum prædictis, eum castellis privavit; verum etiam æquatis solo ædibus quas Faventiæ habebat, proscriptionis pœnâ, filiosque damnavit. Hac ratione Ioannes exul patria, & ab omni dominatu possessionibusque remotus, privatam vitam absolvit.

Relicta ab Ægidio Cardinale Italia, excitatisque novis inter Pontificem & Florentinos dissidiis, Romanulæ urbes, Faventia Cæsenaque exceptis, Pontificiam exuere servitutem tentarunt. Dum hæc ita geruntur, Astergius Ioannis filius, Florentinorum ope suffultus, tentata frustra Faventia, Granaruolo duntaxat retinuit. Irritus licet conatus iste; causam tamen dedit, ut Ioannes Aventius Anglus à Pontificio Legato ad custodiendam provinciam in præsidio relictus, in suspicionem veniens ut Faventini ad se clam Astergium pertraherent, incitatusque maxime, quod Astergio autore universa paulo ante com-

commota fuisset Romania, Faventiam armato cum milite ingrederetur, diriperetque, nec à sacris rebus & personis manus abstinens. In hoc miserrimo statu permansit Faventia à vigesima Maji die anni 1376, usque ad vigesimam octavam mensis Aprilis, anni 1377. Quo tempore Aventius, cum multa ipsi à Pontifice deberentur stipendia, destructam sic eversamque Faventiam pro vicenis Philippæorum millibus Nicolao Atestino tradidit.

Inter Astergium Manfredum deinde, Atestinumque grave hac de causa bellum intercessit, in quo cum Astergius à Vice-comite & Venetis adjuvaretur, coactus fuit Atestinus redemtam precio urbem restituere, pacta tamen conditione, sibi ut quotannis phaleratus pannoque rubro contectus equus solveretur.

Summam Astergius apud cæteros, Italiæ Principes militaris scientiæ laudem invenit; unde Venetorum, & Mediolanensium Ducis adversus Genuenses bellator electus est; post Vrbano Sexto Pontifici, turbata trium Pseudopaparum ambitione Romana Ecclesia, centum & quinquaginta gravis armaturæ equitibus subsidio venit, præmiumque laboris abstulit investituram seu concessionem Faventiæ. Roma domum deinde reversus pro tutanda à Vice-comitis armis Bononia cum Florentinis aliisque fœdus iniit: orta se inter, & Polentanum Ravennæ regulum controversia, Russiacam extructam arcem Ravennatum agro opposuit, Hectore, & Mainardo Perusinis cum equitibus ducentis, Andreaque Bursano Foroliviense cum sexcentis peditibus sua ad stipendia vocatis. Pacto cum Florentinis fœdere, commissoque prælio cum Atestinis ad Padum amnem, Ferrarienses devicit, Azone Atestino duce eorum redacto in potestatem. Lugo quoque cepit, & Barbiano castellum, Cuniensem ad Comitem spectans, quod is sub Ferrariensibus militaret, obsedit. Sed cum obsidioni Sfortia duce Mediolanensium intervenisset exercitus, & Faventia simul, nihil tale opinante Astergio ibidem incluso obsideretur, viginti quinque Philippæorum millibus acceptis, Balthasaro Cossæ Cardinali Avenione in Italiam Romano ab Pontifice misso laborantem annonæ inopia urbem tradidit, Ariminum ad Malatestas cum matre confugiens. Quo cum eum obtinendi ad recipiendam Faventiam auxilii spe abiisse Legatus Pontificius persuasione quorundam inductus suspicaretur, vocatum ad se Bononiam specie honoris, caput ejus à cervicibus jussit abscindi.

Astergio superstes extitit Ioannes Galeatius filius, cui jam tum cum Carolo Arimini regulo, quod Gentilem Caroli sororem in matrimonio haberet, jus affinitatis erat. Accidit per idem tempus, ut Cossæ Cardinali à parte Cardinalium ad summum Pontificatum nomine Ioannis Vigesimitertii vocato à cæteris Cardinalibus opponeretur Gregorius Duodecimus, quem Malatestæ aliquando Arimini honorificentissimè exceperant. Eam ob causam cum Ioannes Galeatius Manfredus Faventiæ investitura donari peteretur à Malatestis, petitioni locum dedit Gregorius, eo tamen pacto, ut adversus Ioannem æmulum arma sese capturum polliceretur. Et quoniam Bononienses stabant à parte Ioannis, & inferendo Faventinis bello cuncta parabant, Ioannes Galeatius arctius ad propugnandam Faventiam cum Carolo Malatestâ fœdus composuit. Sed Constantiensi in Concilio deponente Papalia Ioanne insignia, omnis iste bellicus apparatus cessavit. Mortuus deinde anno 1416 Ioannes Galeatius quaternos filios reliquit, videlicet Carolum, Guidonem Antonium, quem & Guidacium vulgò dixere, Astergium, Ioannemque cognominem.

Ex his fratribus Guidonem Antonium publica scripta magis concelebrant, sub Arragoniæ rege extra patriam multis annis militante Astergio. Initia laudum suarum, seu rerum præclarè gestarum duxit Guido Antonius à fuso Anemonia in valle Mediolanensium exercitu, quem ipsi ad obsessum à Carolo Malatesta Florentinisque (cum quibus Guidoni Antonio item fœdus intercedebat) Forum Livii obsidione liberandum miserant. Occubuit eo in prælio Otho Braccii à Montone filius,

captus

captus verò Picininus, hostilis duces exercitus. Hoc facto commotus Dux Mediolanensium, redintegratis non solum viribus, sed longe auctioribus copiis in Faventinos bellum restaurat. Cum autem tanto apparatui non responderet eventus, capta aliquot à Faventinis castella, constituta deinde inter Florentinos & Mediolanenses pax reddidit. Meruit quoque sub Eugenio IV. Pontifice, ex confœderatis Venetis Florentinisque Astergius stipendia contra Mediolanensium Ducem. Verum cum infaustam fœderati pugnam inter Forum Cornelii & Bononiense castellum pugnassent, incidit in hostium manus Astergius. Non longa tamen ei captivitas fuit; quippe à Mediolanensium Duce, ea conditione consilioque dimissus est, ut cum Guidone Antonio fratre, additis in hunc finem auxiliis, ex Oriolo castello suo, Florentinos, qui id præsidio tenebant, expelleret, concesso in majus benevolentiæ argumentum Fori Cornelii dominio. Prælium inter Florentinos & Mediolanenses ad amnem Anghiara in Tuscia commissum acrem vidit bellatorem Astergium, sed Mediolanensibus sub quibus militabat, Florentinorum robore in fugam conjectis, captus est, & à Nicolao Gambacorta Pisano accepto precio Florentinis divenditus. Hanc ulturus injuriam Astergius, cum ipse & Gambacorta eodem Mediolanensi sub Duce militarent Bononiæ, Gambacortam districto gladio interfecit; quamobrem à Mediolanensi Duce addita mille florenorum pœna relegatus est. Guido Antonius eodem sub Duce militans cum equitum millibus ternis, & senis peditum millibus, quem suis in ditionibus numerum collegerat, confligentibus cum Bentivolii Bononiæ reguli, ejusque sociorum exercitu Mediolanensibus, & cedere coactis, difficili fuga cum paucis suorum evasit. Postea ad partes Florentinorum traductus infestatis à Mediolanensi Duce Cremonensibus subsidio venit. Mortuo deinde Mediolanensi, Guido Antonius cum fratre Astergio Francicas in partes sollicitati, Mediolanensibus adhæsere. Missi itaque ab his Bosci à Francis obsessi liberandi causa, rem ex sententia effecêre. Porro adfuit Guido Antonius cum Sfortia, Picinino, Ludovico Vermio, & Carolo Gonzaga expugnationi Placentiæ, quod urbs ista in mutatione rerum sese Venetis dedisset. Tandem infirma pressus valetudine cum ex Medicorum consilio Puteolanas ad aquas concederet, Senis in itinere diem extremum clausit. Guidoni Antonio in Fori Cornelii Dominium Thadæus, in Faventiæ Principatum Astur, filii successere. Nec pacata diu inter eos lætaque res extitit; quippe cum variis se invicem exagitarent postulatis, in arma eruperunt, quorum exitum minus felicem expertus Thadæus. Tandem uterque frater reconciliatus, procurantibus Mediolanensium Duce, & Pio II Pontifice, qui Astergii uti opera cupiebat ad tollendam quæ ei cum Malatestis Ariminensibus erat controversiam. Contendit igitur Pontificio nomine, Ariminum versus cum Galeotto filio Astergius, captisque aliquot castellis, Ariminenses ad voluntatem Pontificis composuit. Idem Astergius cum à Rege Neapolitano cum mille trecentis equitibus, & magno peditum numero contra Mediolanenses destinaretur, superveniens morbus eum redire Faventiam coëgit, ubi in mediis vitæ laboribus obdormiit. Astergio quatuor superstites fuere filii, Carolus videlicet Fredericus, Galeottus, & Lancelottus. Patri natu major Carolus successit, Friderico Faventinum ad episcopatum promoto. Reliqui duo fratres, quod ab eis alieniores essent Faventini, extra patriam vitam egerunt.

Plurimum studuit ornandæ urbi Carolus; nam solarium superius aurato laqueari fulgidum inter alia ornamenta Curiæ addidit. Fridericus autem frater Cathedrale quod hodie conspicitur templum magnificentissimo opere extruxit. Multa egit avarè Fridericus, unde multum popularis odii atque invidiæ suscepit. Eodem cum vitio Carolus laborare, flagellareque annonam putaretur, alienissimos quoque à se Faventinos reddidit. Quæ res ansam præbuit Galeotto, ut de expellendo ex urbe Carolo fratre cogitarit. Cum sociis itaque postquam nocturno tempore Granaruolo in suam potestatem redegisset,

giſſet, Anemoniam ad vallem contendit. Et licet ex hac Fridericum repelleret prudentia; tamen haud longum tempus interceſſit, quum, aucta quotidie magis magiſque in Fridericum ac Carolum plebis invidia, ad urbem cum milite accedens Galeottus, à Faventinis eſt intromiſſus, vix tempore fratribus ad fugam ſuppetente. Tentavit quidem Malateſta Pontificio cum exercitu, ſociiſque, Vrbini Duce, Conſtantio Sfortia Piſauri domino, Carolo à Montone, Riario, Soriani Dynaſta, Antonello Forolivienſi, & Franciſco Balnei Comite, priſtinæ dignitati reſtituere Carolum; ſed irritos eorum conatus reddidit Galeotti plena animi viriumque defenſio. Is deinde ex ſorore nepotes ad Forolivienſem evehere dominatum pertentans, Forum Livii, arce excepta, ſuæ poteſtatis fecit. Hac occaſione Sixtus IV, Pontifex ad expugnandam pro Girolamo Riario arcem, numeroſum miſit exercitum, quam & ſuæ ditioni ſubjecit. Riarium Galeottus, Florentinorum & Neapolitanorum licet copiis adjutus, irrito deinde conatu tentavit expellere. His ita peractis, Franciſcam Bentivolii filiam in matrimonium accepit, ex qua filium unicum ſuſtulit. Illa variis de cauſis exacerbata in maritum, ulciſcendæ injuriæ cupida, ſicarios ſuo in cubiculo marito conſtituit, ægrotam ſe fingens, ad ſeque vocari maritum juſſit, quem viſitatum accedentem occiſuri, prorumpunt abdito è loco ſicarii; à quibus cum ſegnius rem agi videt Franciſca morbum mentita, proprias ipſa manus tanto ſceleri admovit. Vulgata illico cædes ingentem excitavit in urbe tumultum: interea dum Ioannes Bentivolius ad liberandam periculo filiam, quæ jam cum filiolo ſuo ſeſe in arcem receperat, anheloſus feſtinat, Faventino à populo capitur, à quo furente fuiſſet procul omni dubio trucidatus, niſi equeſtris ordinis interventus imminens hoc malum ab ejus cervice depuliſſet. Commendatus itaque Ioannes traditusque Florentini Legati in manus; Franciſca vero Bononiam abſceſſit, relicto Faventinis filiolo. Is non multo tempore interjecto, poſſeſſione Principatus adepta, Florentinos primum, tum Venetos etiam tutores invenit, qui miſſo Proviſore Faventiam, ſociis urbem armis conſiliiſque juvêre. Sedebat tum Romæ Pontifex Alexander VI, qui Valentinum filium magnis cupiens auctum honoribus, ſpecie recuperandarum Romaniæ civitatum, ad bellum, cui Valentinum Ducem deſtinabat, omnia ſtudia cogitationeſque traduxit. Quamobrem à Galliarum rege, per litteras legatoſque petiit, ut is Valentinum in iſta cauſæ juſtitia non armis ſolum copiiſque aſſiſteret; verum etiam ſuam apud Italiæ Principes interponeret auctoritatem, ne quiſquam eorum contra Valentinum ageret, aut infringere Pontificis conſilia conaretur. Quare tantum effecit Pontifex, ut Veneti à protectionis deinceps abſtinerent officio; & Florentini, Galliarum rege ſic præcipiente, negligerent Faventiam. Hac ratione tutior ab oppoſitione externorum Valentinus, maximo cum exercitu Romanulam ingreſſus, brevi tempore omnes ejus regionis urbes, extra Faventiam, expugnavit. Ea 26 menſis Novembris, anni 1500 obſideri cœpta, inſequente primum anno deſperatione auxiliorum, 25 Aprilis honeſtiſſimis conditionibus obtentis, Valentino ſe dedidit, non alio quam civium ſuorum ad ludibrium oppugnantium præſidio defenſa. Quæ durante obſidione evenêre, Guicciardinus hiſtoriæ ſuæ libro v accurate recenſet; occubuerunt etenim ex obſidentibus Honorius Savellius, & Ferdinandus Farneſius, præter minorum officialium turbam, & gregarios milites ferme ſine numero. Quæ pro Aſtergio Galleotti filio pacta à Pontificiis inita fuerant, contra datam fidem Pontifex infregit, Aſtergio Romam abducto, & Tiberinis aquis necato. Redacta Pontificiam in poteſtatem Faventia, mox Valentinus Papali decreto Romanulæ Dux audiit. Perbrevis autem hic ei dominatus extitit; Alexandro ſiquidem ex hac mortalitate erepto, paulo ante vi ferroque ſubactæ jugum excuſſere civitates, Faventiaque aliarum exemplo Franciſcum Galeotti nothum fratremque Aſtergii ad Principatum vocavit, voluitque, acceptorum ab Aſtergio beneficiorum memor, eum

deinceps Aſtergium appellari. Sed cum arx ab hoc Aſtergio capi expugnarive nequiret, ſubeuntibus interea pecuniæ magnitudine Venetis, his quoque ipſam reddere urbem coactus eſt, accepto ad tolerandam vitam annuo à Venetis reditu, quorum in urbe fatis conceſſit. Hoc modo Faventini in Venetorum ditione manſere, donec victore in loco *Giara d'Addà* appellato, Iulii II Pontificis contra Venetos exercitu, ad Apoſtolicæ Sedis reverteretur Dominium, ſub quo uſque huc pacata fuit felixque Faventia.

Ab eo tempore deinceps vix quidquam de Faventia memoratu dignum occurrit, niſi variorum exercituum hac directa itinera ad noſtram quoque pertinere deſcriptionem putemus: anno 1521, Helvetiorum millia quina à Romano Pontifice in auxilium vocata, hoſpitio fuerunt à Faventinis excepta. Sed cum inter hos, Helvetioſque ex negato vino oriretur contentio, ad arma ventum eſt, pugnatumque utrimque acriter, donec Helvetii ſibi diffidentes, obtenta emigrandi facultate quieſcerent. Alterum tranſitum Pontificius fecit exercitus, & auxiliares copiæ Carolum Borbonium Romanæ urbi excidium minitantem inſecutæ, quas ſua intra mœnia recipere Faventini negarunt, priore experimento doctiores cautioreſque. Et quanquam ſummo ſtudio fratrem ſupremum militiæ Commiſſarium introducere in urbem Franciſcus Guicciardinus additis minis conaretur; paſſus eſt tamen à Faventino populo repulſam. Nec tertius Guiſio Duce exercitus Paulo IV Pontifice, auxilio à Gallis miſſus, ſubire Faventiam potuit, neglectis ab oppidanis, licet frequentiſſimis mortibus non mediocriter imminutus eſſet eorum numerus, ſpretiſque Gallorum comminationibus. Commeatum tamen Faventini liberaliter circum urbem caſtrametantibus triduo ſuppeditarunt. Quam cum tertia die in repulſæ vindictam ſeſe oppugnaturos inſtructa acie oſtenderent, & Faventini ad unum omnes armis idonei ad propulſandum à mœnibus hoſtem accurrerent, terga verterunt, ſuum Romam verſus iter proſequuti. Penultimum ad recuperandam Ferrariam Clemens VIII, Pont. Faventiæ collegit exercitum, in quo ſupremus equitum magiſter fuit Ioannes Baptiſta Severolius Faventinus. Non multum autem temporis interceſſit, cum à Cæſare Ateſtino relicta vidua Ducis Vrbini ſoror Faventiam venit, remque cum Aldobrandino Bandinoque Cardinalibus Legatis Pontificiis compoſuit. Itaque redux Ferrariâ Clemens VIII Faventiam ſubiit; ad quem excipiendum Faventini multa honorificè compoſuêre, cum quod eorum adhuc Cardinalis fuiſſet protector; tum quod à puero cum patre Florentia urbe excluſo, Faventiam futurum Eccleſiæ fidus incoluiſſet. Quod his verſibus uni Triumphalibus ex arcubus inſcriptis teſtatius fecêre:

Sis bonus, ô fœlix! noſtris. hac pluribus annis
Vrbe tuus multo vixit amore pater.
Hac genuit natos; hac tu, dum parvulus eſſes,
Noſtra te tenerum ſuſtinuêre manus.

In hoc Pontificis tranſitu obſervatum fuit, quod cum is ad urbem acceſſiſſet, ex lectica deſcendens, mannum conſcenderit, equitaveritque ad Cathedrale uſque templum, in quo populum Faventinum paterna benedictione impertiit. Iſto honore Bononienſes, ut ſe dignaretur Pontifex, humiliter orârant; ſed abnuente Pontifice, nihil ſimile per hæc tempora Bononiæ viſum.

Vltimus, qui per Faventinam urbem iter fecit exercitus, ad Odoardum Farneſium Parmæ Ducem ſpectavit, quem ad ditionem ſuam Caſtrenſem recuperandam parârat. Deliberavit diu Faventinus Senatus concederetne, an negaret advenienti militi tranſitum. Sed cum re benè perpenſa, & nudum bellico apparatu armamentarium, quem paulo ante Forum Cornelii Papalis Legatus avexerat, & deſtitutam ſuo milite urbem; quem Pontificia caſtra habebant, intelligeret, & ex literis Cardinalis Legati ex Foro Cornelii ad ſe miſſis diſceret, peſſimè ſe facturum, conſulturumque publicis rebus, ſi tranſitum nihil importunè acturo militi abnueret, per præfectum urbis, duoſque Equeſtri ex ordine viros tranſitum ea lege conceſſit, miles nulla ut quieſcendi in urbe intercapedine ſumpta ſuum iter proſequeretur.

FERRARIA.

Post Bononiam Romaniolæ urbium clarissima ac celeberrima Ferraria est, ædificiorum splendore ac magnificentia inprimis censenda. Hæc suum nuper habuit Ducem; at nunc Romanæ Ecclesiæ subjecta. *Nominis origo.* Circa primam urbis nominisque originem plurima commenti sunt rerum scriptores. Primum Gabriël Venetus in Urbis suæ annalibus Ferrariam una cum Mutina, Cremona, Vicentia, Placentia, Verona, Concordia, Mantua aliisque Italiæ opidis Trojanos condidisse ait: sed nos quia illarum urbium initia classicos scriptores aliter scimus tradidisse, non facile in eandem sententiam loquemur. Gasparus Sardius in historia Ferrariensi lib. 1. commemorat; dominante pro libidine in Asia Nino Zoroastris filio, proceres duodenos Nini tyrannidem fugientes cum centum & viginti millibus hominum per Colchidem, Sarmatiam, Pannoniamque albicantem semper aquilam prævolantem secutos in Italiam demum venisse, & quo loco aquila disparuit, consedisse, fabricasseque urbem, quam ab aquila Aquilejam dixere. Ex eorum procerum numero Ferratus regionis, *Fundatores.* quæ Athesi, ac Pado amnibus interjacet, dominatum sortitus, anno ab Orbe condito 2105, ante natum Christum 1929, ad Athesis ripam opidum Ferratæ à se ædificatum à se quoque denominavit. Verum exundantibus late aquis cum Ferrata obrueretur, alterum Ferratus opidum ad Padum amnem extruxit, Ferrariæ de qua hic sermo est, germanum principium. Tenuere secundam hanc urbem annis octingentis octoginta Ferratii, à thure, quo copiosius in sacrificiis utebantur, communi cum cæteris, qui in Italiam venerant Asiæ populis Thuscorum nomine appellati. Anno Mundi 2980 Trojani, excisa à Græcis Troja, cum Henetis, qui Venetæ ditioni nomen dedere, in Italiam venientes Ferratios expulerunt. Fuit inter Trojanos Chiliarchas quidam Marthus nomine; hic oppressis in Lombardia Thuscis, ad instaurandam veterem Ferratam animum adjecit, eique augustius à Ferraria virgine Trojana nomen imposuit. Neque vero sola Ferraria fuit, cui à virgine Trojana nomen tributum; sed cæteris quoque urbibus, quas aut Thuscorum manibus extorsere, aut recens condidere Trojani, virginum Trojanarum nomina imposita.

Quingentis & octoginta sex annis *Dominatus.* Romaniolæ dominium penes Trojanos fuit: at cum ex Gallia, quam Franciam nunc appellamus, anno Mundi 3566. Boji, Senones, Frigaboli, Insubres aliique populi in Italiam venissent, expulsisque Trojanis totam late regionem sibi subjecissent, eam Galliam Cisalpinam appellaverunt. Nec Gallorum diuturnum fuit hujus regionis imperium; quippe à Marco Claudio Marcello, anno trecentesimo sexagesimo quinto post eorum in Italiam adventum, debellati successores suos Romanos reliquere. In hanc tum regionem, ut ab aliis asseritur, missus à Romanis Alienus ut jus diceret, subjectosque ad Romanarum consuetudinem legum formaret, loco, quod *il Polesino di S. Georgio* nunc vulgo appellatur, à jurisdictione Alieni, Fori Alieni nomen accepit. Situm autem fuisse Forum Alieni ad dexteram Padi amnis ripam, antiquissima *Forum Alieni.* Italiæ graphis testata est, quæ Iacobo Zenoni Patavino Episcopo fuit è Basiliensi Concilio per Legatos Venetos loco muneris allata, ut Peregrinus Priscianus auctor perhibet, eam sibi visam tantæ vetustatis, ut multis in locis nec legi potuerit. Mansit aliquamdiu nomen Fori Alieni, quod tamen deinceps à præfluente tum versus Cosandalum flumine Ferrariolo nomen Ferrariolæ est mutuatum. Cæterum Ferrariolæ nomen lapidei vasis ansæ in monte Testaceo Romæ inventæ in-

ICHNOGRAFIA DEL RECINTO
DEL LA CITTA
DI FERRARA,
CON SVE STRADE E CHIESE
LEVATA DE ORDINE DELL' ILL.mo et EXC.mo SIG.r
D. INNOCENTIO CONTI,
MAESTRO DI CAMPO GENERALE DI S.ta CHIESA &c.
da Ferante Franchi ajutante Ingegniero l'Anno MDCLVI.
1. Case Matte.
2. Piatta Forma.
3. S. M. Nova.
4. Ogni Santi.
5. S. Croce.
6. Castello.
7. S. Giuliano.
8. S. Bastiano.
9. S. Antonio Vechio.
10. S. Salvatore.
11. S. Pietro.
12. S. Elesio.
13. Batubianchi.
14. Madona della Porta di Sotto.
15. Porta delli Angeli.
16. Porta di S. Gio Batista.
17. Docili di S. Rocco.
18. Docili di S. Tomas.
Cavo del Barco
Cortoza
Piazza nova
Stimmate
Capucini
S. Gabriele
Cavo Panfilio
S. Dominico
Pescaria
Domo
Corrole
Piazza del Mercato
S. Francesco
S. Gio Batista
Consolatione
Piatta Forma
Balvardo di S. Rocco
S. Rocco M.
Sp. Sancto
S. Vitoria
S. Andrea
S. Tomaso
S. Giorgio
S. Apolonia
S. Antonio M.
Madonna del Amore
Porta Paolo
S. Lorenzo
S. Giuseppe
Pò di Ferrara detto Poatello
Condotto che da l'acqua alla fossa del Castello
Pò di Volana e di Cano
Pò di Primaro detto d'Argenta

insculptum Paulus II. Pont. Max. Borso I. Duci Ferrariensi ostendit. Constat igitur & Thuscos, & Trojanos, & Gallos, & Romanos huic regioni imperitasse, qui postremi plurima virtutis suæ & memoriæ monumenta reliquere, quorum Nicolaus Contugius vir doctus plurima singulari industria collegit. Apud quem extat Ingenuvii Helii effigies cum sepulchro; Præterea Ferrariæ extat statua P. Pupio Medico Sexviro ob præstitum laborantibus Ferrariensibus auxilium erecta. Sepulchralia monumenta L. Martii Flabellæ, Domitii, Q. Calventii, Anniæ Faustinæ, Rufæ, Marullæ, & aliorum hic crebra visuntur. In agro suburbano L. Lepidi Iusti trigesimæ legionis militis veterani, C. Vibii Firmi, T. Pansieni Auguris, trium Fielleti, Modesti, & Verecundi Statiorum, Ansidiæ Venustæ, Lucullenæ Charitis, Trajanæ & aliorum. Vnde aperte colligitur, à Romanis totam hanc olim habitatam fuisse regionem.

*A. C. 407. *Excidium.*

Verum Sede Imperii Romani in Orientem translata subiere Italiam * Gothi Alarico ductore, qui late regionem Italiæ devastantes & Ferrariolam excidere. Itaque Ferrariolæ coloni à Theodosio Secundo Imp. trans Padum, migrare jussi, ibi novas sedes condidere, priorisque domicilii rationem in impositione nominis habentes, & spe facti fori novam urbem ob confluentem hominum multitudinem vetere multo majorem, exile nomen in majus omnino conveniens magnæ urbi, qualem futuram esse præsagiebant, mutarunt: ita à Ferrariola opidulo Ferraria imposito primitus à Trojanis nomine denuo est denominata. Dein circa annum Christi 595 Smaragdus * Exarchus à Mauritio Imperatore in Italiam missus muro, Blondo & Volaterrano testibus, primum Ferrariam amplexus est: aucta postmodum ad aliquem modum civitate à Vitaliano Pont. Max. Constans Secundus Imp. Heraclii Imp. filius Vicoventiæ collapsæ Episcopatum ea lege Ferrariam * transtulit, quo Ravennatis Ecclesiæ Metropolitanæ suffragatorius esset, uti & prius Vicoventiæ Episcopatum fuisse ex magnæ Ravennatis Ecclesiæ monumentis apparet. Idem Constans Imp. horum palustrium locorum habitatoribus Rempublicam ex XII massis constituere (eæ pagi erant finitimi, sic Italica lingua dicti à villarum conjunctione atque cohærentia) permisit. Tempore Constantini IV. Vitalianus Papa Episcopum Ferrariolæ dedit Marinum Romanum, virum bonum & prudentem, cui Diœcesin ipsam spiritualium jure subjecit. Cum ergo Ferrariæ jam in civitatis formam redactæ attributi essent pagi XII, impositusque Episcopus Marinus nobilis Romanus, is primum Vicoventiæ consedit eo loco qui nunc *la Pieve di S. Georgio* vocatur, ubi & sepultus anno à Christo nato 670, ut in Pontificibus autor est Petrarcha: dein autem Antistitis sedes ad caput insulæ D. Gregorii, postremo ipsam in urbem est translata, & S. Georgii Ædes tum ædificari cœpta Episcopalis Ecclesiæ dignitatem accepit.

Restauratio. *Episcopatus.* *658. *Pagi.* *Ecclesia Episcopalis.*

Ordinata hac ratione civitate Ferrariense cum deinde honoribus opibusque quotidie augeretur, sæpe contra Longobardos Exarchis subsidio fuit; adeo ut ob nomen Romanum summa fide cultum armisque defensum, tam Imperatorum, quam Pontificum auspiciis inter Romanulæ civitates fuerit postea relata. Post Desiderium vero Longobardorum regem * à Carolo Magno devictum in Francorum potestatem Ferraria pervenit. Postea donata Ferraria cum reliquis Exarchatus opidis S. R. Ecclesiæ, in cujus etiam ditione permansit, donec Germani Imperatores Sacrorum Principem reveriti sunt: temporibus autem insequentibus & à Pontificum, & ab Cæsarum Ferraria descivit imperio, sic ut neutris aliquando dicto audiens esset.

Ferraria Romanulæ civitas. *801. *S. R. Ecclesiæ subjecta.*

Denique circa annum 1100 ab Henrico Tertio Imperatore, qui hostis erat Pontificis, subacta * bello, mox in Mathildis clarissimæ fœminæ ditionem redacta: à qua deinde Romanæ Ecclesiæ donata, ut in Paschale II. Pont. Max. Platina testatur, in ejus exin possessione hæsit, donec Marchiones Atestini Ferrariæ sunt dominatum adepti. Sed ut hæc ipsa plenius intelligantur, repetenda paullo altius præteritorum memoria temporum. Scribit Marius Æquicola in historia Mantuana, Berengario Imperatoris nomen in Italia usurpante, Sigisbertum

Varii Dominatus. *1100.

bertum quendam Lucensium Principem virum strenuum ex Longobardorum prosapia Parmæ Regiique dominatum tenuisse. Filios Sigisbertus procreavit tres, Sigisbertum alterum, Actium, & Gerhardum. quorum duobus vita defunctis solus Actius superstes fuit, mutatione litterarum, quæ vicissitudo temporum & linguarum esse solet, Azzo dictus. Actius filios duos habuit Thedaldum natu majorem, & Sigisbertatium, avi nimirum Sigisberti, simulque patris Actii nomen habentem. Hunc pater in Germaniam ad Othonem Imperatorem misit, à quo honorifice habitus; dein in Italiam reversus, Montem Silicis, Montanianam, Arquatum, & Ateste titulo Marchionatus dono tulit notham Othonis Cæsaris in matrimonium accipiens. Nati ex his nuptiis filii Vgo & Fulco, quorum postremus in Germania cum matre mansit. Vgo à patre in Italiam deductus illi in Marchionatu successit.

Azo Atestinus.

Proin ab hoc Vgone illustris gens Atestina originem ducit. Ex hac stirpe Thedaldus Ferraria ab Ioanne XII. Pontifice impetrata in Padi ripa Castellum Thedaldum à se denominatum condidit, quod etiamnunc ita vocant. Is obiit anno Christi 1008. Successit ei Bonifacius filius natu maximus. Bonifacius ex uxore Beatrice Henrici Saxonis Germana liberos tres sustulit, ex his mares duos: quibus fato interceptis Mathildis filia sola matris Augusti Othonis nomen ferens, omnium bonorum hæres superfuit. Beatrix uxor marito XX annis superstes fuit, quæ filiam unicam consilio prudenti Gottifredo Spoletino Duci nuptum dedit. quem una cum Mathilde conjuge Romam profectum, ut Alexandro II. Pontifici opem ferrent, Martinus Polonus, Blondus, ac alii tradunt. Hoc morte extincto Mathildis Azoni Atestino Aldobrandini filio jungitur. quas nuptias Gregorius VII Pontifex irritas esse decrevit, quod quarto essent affinitatis gradu conjuncti. Extant hac de re Gregorii epistolæ in ejusdem registro, tam ad Mathildem, quam ad Beatricem ejus matrem missæ. Obiit Mathildis an. à C.N. 1115, ætatis 69.

Thedaldus. *Bonifacius.* *Mathildis.*

Relicta tum in Pontificum ditione longo tempore Ferraria, crescente interea Marchionum Atestinorum potentia, ex quibus, ut in eorum annalibus habetur, principatum Ferrariæ primus Sigisbertatius Azonis filius, qui & Albertatius est appellatus, tenuit, cui Azo alter successit ex Vgone natus. Azoni porro Aldobrandinus Anconæ regulus ab Innocentio III Pont. Maximo creatus anno 1220. Post hunc ad dominatum pervenit Azo tertius anno 1223. At cum eo ferme tempore Salinguerra, Goramontius ope studioque Actiolini Romanini, & permittente Friderico II. Imp. Romanæ sedi infenso tyrannidem Ferrariæ occupasset, eamque dein Gregorius Montelongus Innocentii III Pont. Legatus adjuvantibus Venetis, Bononiensibus, Mediolanensibus & Mantuanis anno 1240 in potestatem redegisset, Gregorio IX Innocentii successore clavum Pontificatus tenente, Azo tertius, de quo dixi, in Vicariatum Ferrariæ ab Legato Pontificio restitutus est, ut Blondus ac Volaterranus memoriæ prodiderunt. Successit Azoni III, Opizo Rainaldi Anconæ, Mutinæ Regiique Principis filius: sed moriens anno 1293, Azonem IV, filium hæredem successoremque reliquit. Is post res præclare gestas morbo vexatus, nepotem è Fliscone Fulconem testamento heredem instituit, postmodum ad salutifera balnea Patavina profectus, suasu Beatricis sororis Aldobrandino & Francisco statum suum relinquens placide fato functus est (quamvis alii eum à Fliscone necatum tradant) Flisco autem vice Fulconis Ferrariæ dominatum arripuit, donec Cardinalis Pelagrù Legatus Bononiensis, exercitu contracto, Francisci ac Bononiensium auxiliis nixus Ferrariam occupavit, posteaque consentiente Pontifice retinuit, Fliscone fuga salutem quærente. Venetiasque se conferente. Dein anno duodecimo supra 1300 Franciscus Marchio à Dalmasio, qui præsidio urbis præfectus erat, interfectus est. Igitur annis sequentibus ad principatum accessit Rainaldus cum Opizone & Azzone Argentamque occupavit ope Passarini Mantuæ, & Fœlicis Mutinensium Principis, aliaque multa egregie fortiterque gessit. Fratrem ille Opizonem anno 1332, cum ornatissimo splendidissimoque

Sigisbertatius Ferrariæ I. Marchio. Azo II. Aldobrandinus. Azo III. Opizo. Azo IV. Flisco. Franciscus. Rainaldus.

Comitatu Bononiam ad Legatum Pontificium misit, ac post longas disceptationes Argentam Ravennati Episcopo reddidit. In Ferrariæ dein Mutinæ Argentæque imperium à Nicolao Episcopo Castellano Veneto, & Raymundo D. Nicolai Littorei Abbate, Pontificis Benedicti XII Legatis institutus est hac lege, ut Ecclesiæ Romanæ quotannis feudi nomine decem millia aureorum nummûm penderet. Ita postquam Opizo Ferrariæ Vicarius fuit confirmatus, Parmam quoque ditioni suæ adjunxit. Obiit Opizo anno 1352 filios ternos post se relinquens, Aldobrandinum, Nicolaum, & Albertum. Aldobrandino deinceps 1361 è vivis excedenti Nicolaus cognomento Claudus successit, acerrimus Ecclesiæ Romanæ defensor ac propugnator, & bellandi arte peritissimus; ideoque multis victoriis insignis Ferrariam præclaris operibus extructis decoravit; quo mortuo circa annum 1383 sine liberis, Alberto fratri ejus Populus Ferrariensis Principatum tradidit Principi venusto, justo, & liberali; cui vita defuncto, Nicolaus successit anno 1390. Multum huic negocii ætate adhuc imbecilli Azo Atestinus Aldobrandini III filius principatum ei eripere conatus exhibuit; cæterum à Venetis, Florentinis & Bononiensibus defensus est Nicolaus capto etiam Azone, & in Cretam relegato.

Opizo II. *Aldobrandinus* II. *Nicolaus* il Zoppo *dictus.* *Albertus.* *Nicolaus* II.

Nicolaus confirmata jam ætate Ottobonum tertium Parmæ Regiique Lepidi tyrannum per Sfortiam à Cotignuola occidit, Regiumque in suam potestatem redegit. Arcem Ficaroli instauratam magnis operibus munivit, ut catena per Padum hinc ad Stellatam adversa in ripa sitam ducta flumen clauderet. In Belriguardo splendidissime ædificavit. Concilium sub eo Ferrariæ Eugenius IV. Pont. Max. inchoavit, quod exorta gravi pestilentia Florentiam deinde translatum, ibique finitum fuit. Vir erat Nicolaus prudens, magnanimus, ingeniosus, ut nihil in eo desiderari præterquam litteræ viderentur. Vxores habuit consequenter tres. Ex prima, quæ Patavini Reguli filia, itemque secunda, quæ ex Malatestarum gente, liberos nullos suscepit: ex tertia vero, quæ de Marchionibus Saluzzarum erat genita, filios procreavit Herculem & Sigismundum: nothos autem præterea quamplures habuit, nempe Leonellum, Meliadutium, Borsum, & Albertum, quorum Leonellus & Borsus ordine illi in principatu successêre. Decessit anno 1441 Mediolani, postquam principatum Ferrariensem annis quadraginta septem summa laude administravit. Statuam equestrem æream ante Curiæ portam in foro meruit, quæ in hunc usque diem conspicua est.

Concilium.

Post eum Leonellus ex Stella natus, rerum potitus est annis novem, vir humanitate, lepore, prudentia, litteris, ingenioque mirifice pollens & ornatus. Herculem, & Sigismundum fratres legitimo natos matrimonio adhuc pueros, veritus ne sibi notho negotium aliquando facesserent, Neapolim ad Alphonsum Arragonium tanquam aulicis institutionibus imbuendos amandavit. Ferrariam idem novis mœnibus, qua flumine Pado alluitur, amplexus est; vias direxit, laxavit, & coctis stravit lateribus; multaque splendide ædificavit, è quorum numero magnificum Angelorum cœnobium est, à quo longa illa lataque urbis via nomen accepit. In adjuncta huic cœnobio æde ipse sibi sepulchrale monumentum delegit. Moriens anno 1450, Cal. Octob. filium ex Ioanna Gonzaga conjuge Nicolaum, impuberem adhuc Borso fratri commendavit, obtestatus, ut Principatum cum adolevisset, & ad Remp. gerendam foret idoneus, illi restitueret. Ita Borsus, Nicolai filius nothus ex Senensi quadam muliere natus, post Leonellum annis uno & viginti Ferrariæ dominium tenuit, mira quidem felicitate, quod venustus, magnificus, liberalis, animosus, ac cæteris virtutibus esset ornatus; quamobrem maxima semper existimatione apud Italiæ Regulos omnes fuit. Mox assumpto principatu Herculem, & Sigismundum Neapoli revocavit, ut una cum Nicolao Leonelli filio liberaliter humaniterque educarentur, quos natorum ex se loco dilexit, mirabilique tractavit indulgentia, Dux Mutinæ & Regii Lepidi à Friderico Tertio Imp. creatus est. posteaque à Paulo II. Pont. Max. cum Romam ad invisenda ejus Vrbis Sacra delubra venisset, etiam Ferrariæ

Leonellus. *Borsus Ferrariæ Dux* I.

rariæ Dux pronunciatus. Liberalitate, magnificentia, justitia, omnibusque virtutibus cæteros longo intervallo Principes anteibat. Plurimum litteratorum delectatus commercio eosdem singulari semper benevolentia complexus est. Facetiis & salibus mirifice capiebatur, ideoque Gonella familiariter usus est omnes istius ætatis lepore superante. Admirator præterea extitit prodigiosi roboris Bertholdi Monachi è Dominicanorum familia, qui tantis corporis viribus polluit, ut quo constitisset loco, nullius plane hominis vi aut impetu dimoveri se pateretur. Carthusianorum cœnobium ædificium structura eleganti idem Borsus condidit, ubi & suum esse monumentum voluit. Obiit incredibili Ferrariensium mœrore anno 1471.

Hercules I. *Ferr. Dux* II.

Successit in Ducatu Hercules ejus frater justis nuptiis progenitus. Hunc Sixtus IV. Pontifex & Veneti vehementer impugnarunt: aliorum tamen Italiæ Principum auxiliis & studio constantissime se defendit. Prudentia singulari, ac ingenii acumine, reique militaris usu plurimum valuit. Ferrariam producto pomœrio ampliavit, & firmissimo additam urbi partem muro ad propulsandam vim circumdedit, auctorque fuit incolentibus, ut novam urbem ædificiis splendidis ornarint. Monasterium S. Catharinæ Senensis condidit. Ædem D. Mariæ Angelorum à fundamentis magnifice inchoavit. Obiit anno 1505. Liberi illi fuere ex Leonora uxore, Ferrandi Neapolitani regis filia, mares quatuor, Alphonsus, Ferrandus, Hippolytus, qui postea Cardinalis, & Sigismundus; fœminæ duæ, Beatrix Ludovico Sfortiæ Mediolani, & Isabella Francisco Gonzagæ Mantuæ Duci nuptum data. Iulium præterea nothum habuit.

Alphonsus I. *Ferr. Dux* III.

In principatu successit Alphonsus, maximi vir ingenii non solum in Rep. gerenda, sed etiam aliis in rebus, præcipueque tormentariis machinis ac id genus operibus efficiendis. Musicam quoque calluit. Ingentes fortunæ procellas animi magnitudine ac solertia superavit, inprimisque conjurationem suorum initio principatus contra se initam, atque excidium à Venetis intentatum, itemque à Iulio Secundo Pont. Max. qui Mutinam, Regium, Ruberam, Lucum, Bagnacavallum, cum aliis trans Padum opidis cepit, omniaque obnixe fecit, ut eum ditione extruderet tota; cæterum inani irritoque conatu. Idem quanquam latentius Iulii successor Leo Decimus egit: quorum molitiones summa dexteritate sic elusit; ut se in antiqua possessione usque ad Adriani VI. Pontificis in Italiam adventum constanter tueretur, cum quo de controversia transegit. Illo postea defuncto, Regium, Ruberam, cæteraque quæ Pont. ademerat, præter Mutinam, opida recepit. Nec minus prudenter cauteque cum Clemente VII agendum illi fuit, quam cum Leone fecerat. Hic anno 1523 ad Summum Pontificatum evectus, ad recuperanda Mutinam, & Regium opida illico animum adjecit. Ad extremum Clemente ab exercitu Caroli V. Imp. Aug. in Hadriana mole obsesso Dux Mutinam quoque recuperavit. Cum autem anno 1530 Carolus Imp. accipiendæ coronæ gratia Bononiam venisset, ibi Clemens Pont. ipseque Alphonsus de tota regione, quam tenebat, nempe Ferrariæ, Mutinæ, Regii, Ruberæ, Luci, Bagnacavalli, & Cotignolæ Cæsarem Augustum sumpsere arbitrum, permissa ejus potestati tanquam apud sequestrum sponsionis ergo Mutina; donec sententia pronunciaretur. quam anni insequentis mense Aprili Carolus Gandavi apud Flandros degens hoc modo tulit: *Alphonsus Pontifici centum mill. aureorum nummûm pendet: dimidium hujus summæ proximo D. Petri festo; reliquum eadem festa die anni consequentis. Præterea quotannis lege perpetua, millia septena ob feudi rationem.* Obtestatus est Cæsar Pontificem, ut simul Alphonso Ferrariæ feudum confirmaret, præteritasque condonaret injurias; Mutina vero & Regium cum Rubera & Cotignola eodem jure apud eum relinquerentur quo erant. Huic judicio noluit Clemens assentiri; Alphonsus tamen arbitrio dictam summam obtulit, deposuitque Romæ. At Paulus Tertius admisit, exolutaque illi pecunia sub Hercule Secundo Alphonsi filio.

Vxores habuit Alphonsus tres, primam, Annam Galeatii Sfortiæ Mediolanen-

lanensis Ducis filiam; inde Lucretiam Alexandri VI. Pont. Max. ex qua liberos mares quatuor sustulit, Herculem Secundum, Hippolytum, qui postea Cardinalis, Franciscum & Alexandrum, quorum postremus anno à Christo nato 1519 è vita discessit. Tertiam deinde Lucretia mortua uxorem (ut dicitur) duxit Lauram Eustochiam Ferrariensem, mediocris quidem originis, sed acerrimi ingenii summæque prudentiæ fœminam, ex qua duos Alphonsum, & Alphonsinum procreavit.

Ferrariam Alphonsus egregiis operibus ita munivit ornavitque, ut nulla propemodum vi, si defensores idonei, cæteraque ad tutelam urbis necessaria adsint, expugnari posse videatur. In modica Padi juxta urbem insula palatium splendidissimum ædificavit Belvedere à pulchra & magnifica structura nominatum; totamque insulam in longum fere quingentis passibus, in latum sagittæ emissione muro firmissimo cinxit, importatis avium exoticarum, quæ Italia prius non viderat variis generibus. Demum audita Clementis Septimi Pont. morte, cum jam ante affecta esset valetudine, paucos intra dies pridie Cal. Novemb. 1534 animam efflavit, universæ ditionis avitæ itemque Carporum, quam ipse acquisiverat Hercule filio natu majore hærede relicto. Sepultus incredibili pompa in Virginum Corporis Christi sacra Æde.

Hercules II. Ferrar. Dux IV. Sic Hercules Secundus cum Renata conjuge, Ludovici XII, Francorum regis filia, mortuo patri Alphonso 1534 festa Omnium SS. die, cum ætatis vigesimum sextum ageret annum, in Ferrariensem Principatum successit. Anno proxime sequente Romam profectus investituram Ferrariensis Ducatus à Summo Pontifice obtinuit; indeque Neapolim ad Cæsarem Carolum V. concessit. Quo loco cum mensem fere commoratus fuisset; Ferrariam rediit natæ sibi Lucretiæ filiæ nuncio accepto. Ex Renata conjuge duos præterea filios sustulit, Alphonsum Secundum, & Aloysium. Cæterum natus est Hercules II anno 1508, quarta mensis Aprilis die. Adolescens humanioribus disciplinis ad elegantiam imbutus, ad bellandi artem sese deinceps convertit; in qua paucorum annorum tempore adeo profecit, ut plerosque sua ætate superaret. Magnificentiæ præterea, liberalitatis clementiæque laudem maximam adeptus, in humanis agere desiit anno 1558 postquam Ferrariensem civitatem præclaris ornasset operibus.

Renata vidua Alphonsum filium in *Alphonsus II. Ferrar. Dux V.* Galliis tum forte commorantem de repentino patris obitu certiorem reddidit. Ille haud cunctandum ratus, celeriter afflictæ in Italia matri adfuit; magnificentissimeque à Ferrariensibus exceptus, successor patris unanimi omnium voce est declaratus. Anno 1559 Alphonsus Secundus amari potius, quam timeri cupiens à suis, vectigalium debitorumque partem remittens, Ferrariensibus annonæ difficultate laborantibus de frumento cumulate providit. Interea Franciscus Atestinus jussu Alphonsi secundi Florentiam abiit, Lucretiam Cosmi Medicæi filiam Alphonso jungendam Ferrariam deductum. Accessit ea ad urbem decima septima mensis Februarii die anno 1560, præequitante equestri ordine Ferrariensi, & pone sequente fratre Principe Florentiæ. Verum anno proxime sequente, 21 mensis Aprilis Lucretia 1561. Dux ex hac mortalitate ad meliorem vitam emigrans, Alphonsum maritum mœstissimum præmature deseruit. Ille funus conjugi defunctæ magnificentissimum faciendum curavit; quippe ex marmorato statuam vivotenus expressam sarcophago veste Attalica ornato impositam universus clerus ad templum Corporis Christi est prosecutus. Alphonsus Dux cum in viduitate annis quatuor mansisset, ad secundas nuptias animum adjecit, quo commodius in filios, quibus hucusque carebat, principatum derivaret. Itaque Barbaram Maximiliani Secundi Imperatoris filiam matrimonio sibi junxit; quæ tamen nullos ei liberos reliquit, moriens 18 mensis Septembris die. Cadaver sar- 1572. cophago plumbeo conclusum, in templo Patrum Societatis Iesu repositum fuit; donec ab Alphonso marito monumentum marmoreum excitaretur, quod hodie-

hodieque ibidem sub organo conspicitur. Barbaræ Ducis mortem Hippolyti Cardinalis ex hac vita discessus non longo tempore interjecto excepit. Hic ad Aloysium jam tum Cardinalem nepotem suum, fratremque Alphonsi Ecclesiastica bona quæ possidebat voluit pervenire; patrimonialium vero partem alteram Alphonso, alteram Aloysio nepotibus legavit. Mortua Barbara Austriaca sine liberis, ad tertia Alphon-
1578. sus vota transivit, Margaretam Gonzagam Guilielmi Mantuæ Ducis filiam in
1585. matrimonium accipiens. Annis aliquot interjectis venere Ferrariam terni adolescentes Indi ex nepotibus Regis Bongi, ut ferebatur, à PP. Societatis Iesu ex India triennali itinere in Italiam deducti; quos Indico more vestitos Alphonsus Dux lætabundus spectavit, affectosque muneribus dimisit. Per idem ferme tempus inter Cæsarem Atestinum, & Virginiam Medicæam conclusum matrimonium in capite anni sequentis Ferrariæ fuit summa magnificentia celebratum. Finitis nuptialibus festis jussit Alphonsus Cæsarem Atestinum Romam ad osculandum pedes Pontificis recens creati profectionem adornare; quamobrem 12 mensis Maji Mutinensi comitatus Episcopo, & Francisco Tertiano Legato Ferraria discessit. Vt Romam venit, ab Aloysio Cardinale honorificentissime exceptus; deinde ad Pontificem deductus incredibilem est ejusdem humanitatem expertus. Igitur re ex sententia peracta, binisque ab Aloysio Cardinale præstantissimis equis donatus Ferrariam re-
1587. diit. Verum cum non multo post Aloysium Card. Romæ ex hac vita abiisse nunciaretur; Alexander Atestinus Cæsaris frater Ecclesiasticam vitam deinceps amplexus est; dataque fuit ei præpositura Pompuosæ, atque Abbatia Bondeni. Alphonsus Dux jam ætate provectus, non procul se abesse à morte sentiens, cum filiis hæredibus careret, Cæsarem Atestinum suæ scripsit ditionis hæredem; & antequam exspiraret, vocari ad se eundem jussit, monuitque præsentem sedulo, paterno ut subditos amore gubernaret. Quo facto
1597. 27 mensis Octobris die, senis Patribus Capucinis præsentibus, pie Christianeque obdormivit. Altero die festo SS. Apostolorum Simonis & Iudæ cadaver Ducis stragula ex holoserico nigro obtectum à quibusvis spectari potuit, at sequenti die Ducalibus ornamentis indutum impositumque sarcophago ad sacellum aulicum fuit deportatum.

Extitit Alphonsus S.R.E.& vassallus, & defensor acerrimus: singulari religiosos omnes benevolentia prosecutus, legata à majoribus concessa liberalissime adauxit: providit orphanis: amavit litteratos, præcipueque Torquatum Tassum liberatæ Hierosolymæ authorem eximium. Cæterum staturæ fuit proceræ, & bona corporis habitudine: oculos habuit cæsios, frontem latam, nasumque aquilinum: denique toto vultu prodidit majestatem illam, quæ terrendo allicit,& alliciendo deterret,genti Atestinæ propriam. Præfuit Ferrariæ annis triginta septem, mensibus undecim, die unico.

Alphonso II istius nominis, & quinto Ferrariensium Duci successit Cæsar Atestinus ex descendentibus Alphonsi Primi, atque universalis hæres testatoris Alphonsi Secundi. Solemnia inaugurationis hac fere ratione peracta fuere. Vigesimo octavo die mensis Octobris, anno 1597, Sapientum judex, ut vocant, cum ipso Concilio, populoque Ferrariensi in Arcem processit, & genuflectens Cæsarem universorum nomine rogavit, Ducem suum se eligi pateretur, oblato sceptro, atque ense evaginato. Cæsar oblationem accipiens,ab universo populo Ferrariensi Dux est salutatus, 29 ejusdem mensis die Sapientum judex novo Duci summa in æde inter Missæ solemnia sacra præbuit Euangelia tangenda: qui se bonum principem justumque subditis fore juramento confirmavit. At Clemens VIII. Pontifex, ut Alphonsum mortuum sine prole cognovit, Cæsarem Atestinum ab occupando Ferrariensi Ducatu jussit abstinere. Hic Legatum Romam ad Pontificem mittens, qui facti sui rationem redderet; responsum tult, Ferrariam cum annexo Ducatu tanquam feudum S.R.E. Alphonso sine liberis mortuo ad eandem rediisse; esseque supervacaneum rem certam in dubium vocare;

Cæsar Atestinus,

Dux à Ferrar. populo salutatur;

Pontifex eum à Ducatu abstinere jubet.

care; cum ex ipsis investituræ literis evidenter pateret, feudum hoc in primi investiti filiis cæterisque expresse nominatis terminari. quos inter cum Cæsar Atestinus non esset; perperam eum egisse, Ferrariensem Principatum propria autoritate invadendo. Hoc responso Giliolius Legatus Ferrariam ad Cæsarem rediit. Interea Pontifex convocato Cardinalium Consilio, quæ inter se, ac Legatum Cæsaris invasoris acta essent, exposuit; conatusque est armis illico expellendum persuadere. Anastasius Germonius lib. 1 de Legatis, capitulo 5 refert, plurimos tunc temporis è Cardinalibus existimasse Cæsarem prius contumaciæ arguendum, quam armata manu, aut excommunicationis pœna contra eum posset procedi. Finito Cardinalium Consistorio, quidam ex iis, ut idem Germonius notat, Pontifici secreto aperuit, excogitasse se modum sine ullo sumptu, aut profusione sanguinis Sedi Apostolicæ Ferrariam restituendi. Consilium fuit, ut virum prudentem atque in rebus agendis exercitatum Pontifex Ferrariam mitteret, qui Papalibus literis familiaribus Cæsaris clam ostenderet, quas sperare dignitates, & quæ commoda adipisci possent, si à novo Duce descifcerent. Neque sperato fine res caruit; quippe missus à Pontifice Ferrariam, paucorum dierum tempore intimos Cæsaris cupiditate novarum rerum, & magnitudine promissorum in Pontificias partes pertraxit. Affixum interea Ferrariæ Papale monitorium ad meridionalem Summæ Ædis portam. quo comperto Cæsar Dux Legatum ad Pontificem misit, qui non invasisse se principatum; sed à Iudice & Concilio sapientum, more majorum, legitime se electum indicaret, ostenderetque Ferrariam minime esse Romanæ feudum Ecclesiæ. Hac legatione adeo exacerbatus est animus Pontificis, ut sacra interdicere Cæsari, ejusque sociis decreverit. Verum quo formidabilior, ejus esset Ferrariam adventus, militem subito conscripsit, jussitque argenteam monetam cudi, & parte una Aldobrandinæ gentis insignibus; altera vero Petri navicula fluctibus jactata signari, adscripto lemmate: NON PRÆVALEBUNT. Cæsar de consilio Pontificis certior factus, jus suum armis quoque tueri constituit, misitque adventantibus copiis Pontificiis obviam ingentem peditum equitumque numerum. Interea non destitit & orare & obtestari Pontificem, ut maturo judicio, causam tanti momenti, non præcipitanter decideret; liceretque sibi jura sua deducere, probareque. Nihilominus vergente ad finem anno 1597 ipsa Natalis Domini die latæ Excommunicationis in Cæsarem sententiæ rumor percrebuit, qua invasor, occupator, usurpator manifestus, & illicitus detentor civitatis, ac Ducatus Ferrariensis ad summum Pontificem, & S. Romanam Sedem spectantis est declaratus, privatusque omnibus beneficiis, gratiis, privilegiis, immunitatibus, titulis, prærogativis, honoribus, dignitatibus civitatum, opidorum, castellorum, arcium, pagorum, omniumque bonorum tam allodialium, quam emphyteuticorum & feudalium. *Cæsar Atestinus Excommunicatur,*

Neque in Cæsarem modo pronunciata Excommunicationis sententia; sed ea quoque in filios ejusdem, fratres, agnatos, propinquos, affines dilatata; si quoquo modo in prædictam civitatem, ac Ducatum Ferrariensem jus se habere deinceps prætenderent. In hac perturbatione rerum Benedictus Palma Societatis Iesu presbyter Cæsarem accessit, suasitque multis argumentis, ut arma deponeret, & tutiorem reconciliationis viam amplecteretur. Placuit Duci consilium, statuitque Vrbini Ducem cognatam suam orare, ad Cardinalem Aldobrandinum Legatum Pontificium ut proficisceretur, compositum dissidia se inter atque Apostolicam Sedem exorta. Itaque Vrbini Dux rogatu cognati sui Faventiam ad Cardinalem iter direxit, à quo honorifice benigneque excepta renuntiationis ac satisfactionis modum postulavit. Responsum à Legato, reconciliandum Cæsarem Pontifici; si Ducalia insignia à Iudice & Magistratu sapientum accepta aut in Summa Æde, aut in cubiculo suo, præsente hominum frequentia, deponeret; deinde Adamantinum palatium imposterum ut privatus habitaret, mitteretque Bono- *& omnes consanguinei & amici.* 1598.

Bononiam obsidem Alphonsum filium primogenitum. Accepit conditiones Cæsar; depositisque quo loco, & à quibus acceperat, ornamentis Ducalibus, & sublata ex arce pretiosiore supellectile sua, 28 mensis Ianuarii die Ferraria Mutinam cum Virginia conjuge, Ludovico filio, & Iulia filia ingenti plerorumque mœrore discessit. Post abitum Cæsaris ante Iudicem, ac Magistratum Sapientum Cardinalis Aldobrandini jussu comparuere Ludovicus Martinus Cameræ Apostolicæ, & Franciscus Rondonius Ferrariensis, Notarii; quorum ille clara elataque voce prædictis Senatoribus, & multis aliis præsentibus, factæ inter Pontificem Clementem VIII, & Cæsarem Atestinum pacificationis articulos recitando publicavit. Quo facto Iudex Sapientum Bononiam ad Cardinalem Aldobrandinum Legatos misit, qui & gratias agerent pro accepto pacis beneficio, & in quo gaudio universa Ferrariensis civitas versaretur, demonstrarent.

Cæsar Atestinus Ferraria discedit.

Itaque Cardinalis Aldobrandinus postridie feriæ quintæ Bacchanalium anni 1598 Bononia Ferrariam contendit Pontificio ac Romanæ Sedis nomine caducam vacuamque civitatis ac ducatus Ferrariensis aditum possessionem. Processere adventanti obviam Iudex ac Magistratus Sapientum, quos ut conspexit Cardinalis, descendit ex equo: at Iudex Sapientum magno Ferrariensium numero stipatus, & ad Cardinalem accedens, universorum nomine claves Civitatis in polubris argenteis positas, pauca de honore atque obsequio suorum in Romanam Sedem præfatus, obtulit; quas Cardinalis placido vultu accipiens, suum in Ferrarienses testatus est amorem, studiumque, quibusvis in rebus juvandi. Oblatis à judice, acceptisque à Cardinale civitatis clavibus, excepere sub umbrella è serico albo Cardinalem viginti tres primates juvenes Ferrarienses, induti vestibus è serico raso albi coloris; ornatique, togis & galeris ex holoserico coloris nigri; octonis solum ex his umbrellam deferentibus; cæteris Cardinalem stipantibus. Vt ventum ad pontem supra Padum Ferrariam præfluentem extructum, obvius Cardinali Ioannes Fontana Ferrariensis Episcopus cum universo clero eundem pedibus incedentem ad portam civitatis deduxit. Hic mannum argenteo textili constratum Cardinalis inscendit; quemadmodum & Iudex, & Magistratus Sapientum cum reliquo equestri ordine suos quique equos conscenderunt. Præcessit Cardinalem miles Pontificius, hunc pone secutæ opificum tribus; post has religiosus Ordo venit, & clerus cum Episcopo Fontana; tum Cardinalis equitans sub umbrella, coëquitantibus à dextra ejus Iudice Sapientum, atque à sinistra Alphonso Turco comite. Cardinalem subsecutus est Magistratus; Magistratum collegium Iurisperitorum: tandem Prælatorum atque Episcoporum Cardinali catervam præbentium ingens numerus agmen conclusit. Ipse Cardinalis vigesimum septimum circiter annum agens, staturæ humilis, vultu variolis deformato; barba raripila, eaque coloris ignei; cappa seu toga, consueto Cardinalibus solemnia agentibus habitu indutus, & purpureo galero obtectus, tres ante se circumpedes habuit, totidem polubris argenteis claves civitatis in capite deferentes. Hac pompa atque ordine Cardinalis (cui terni fuere diversis in locis triumphales arcus erecti) ad summam Ædem via S. Dominici processit. Descendens è manno ante fores templi; deinde id ingressus, ante principem aram in genua procubuit, musicis interea hymnum, *Te Deum laudamus* &c. decantantibus. Hymno finito, thronum Episcopalem textili argenteo ornatum conscendit, ex eoque recitata precatione, circumstanti immani frequentia populo benedictionem impertiit. E templo progressus in Arcem Cardinalis, Iudice & Magistratu Sapientum reliquoque ordine equestri catervam præbente ibidem permansit. Explicata tum è quaternis Arcis turribus S. R. E. vexilla; incensi ignes; publicaque omnium acclamatio subsecuta. His peractis, Iudex & Magistratus Sapientum Legatos ad Summum Pontificem mittendos decreverunt, qui Ferrariensium promptissimam ad omnia voluntatem indicarent. Interea Cardinalis suæ authoritatis specimen daturus,

Cardinalis Aldobrandini Ferrariam adventus.

Pompa introitus.

Summam Ædem ingreditur,

& Arcem.

Legati ad Sum. Pontificem.

rus, Ferrariensibus Prætorem imposuit Fabium Fabrum, virum in administranda justitia rigidissimum; convocatoque deinde summam in ædem populo, fidelitatis juramentum exegit: quod communi omnium nomine à Iudice & magistratu Sapientum præstitum, à Cardinale Pontificio nomine receptum est.

Ferrarienses Card. Legato præstant juramentum.

Legati Ferrarienses dum Romam contendunt, missæ Ferrariam Papales literæ, peccatorum remissionem, pro universali pace, exaltatione S. Romanæ Ecclesiæ, atque extirpatione hæreticorum orantibus concedentes. Vt accessere ad Vrbem Legati, à velitum Pontificiorum cohorte, atque ingenti Prælatorum numero ad primam Portam eorundem expectante adventum in Vrbem magnifice deducti sunt. Postero die singuli (quini enim fuere) binis Episcopis comitati, atque ad publicam audientiam Papalem admissi; postquam Renato Catio Iureconsulto perorante, qua Ferrarienses essent in Summum Pontificem & S. Sedem Apostolicam voluntate, & quam vehementer lætarentur se ad Romanæ ditionem Ecclesiæ reversos, pluribus explicassent, provoluti sunt ad osculandum pedes Pontifici, qui, ut Dolionius refert, eorum postulatis clementer annuit. Sub exitum mensis Februarii Clementem Octavum Pontificem Ferrariam venturum nuntiatur; quamobrem Iudicis & magistratus Sapientum mandato singuli suas ante domos reparare viam jussi, qua processurum Pontificem crediderunt. At Cardinalis Aldobrandinus edictalibus literis immunitatem à vectigalibus pollicitus iis, qui edulia portarent in urbem; hac ratione è Bononiensi agro totaque Romaniola, ac Dominio Veneto pene infinitam hominum multitudinem Ferrariam concivit, qui rem cibariam copiosissime asportarunt. Non longo tempore interjecto, duodecima nempe mensis Aprilis die descendens ex ædibus Vaticanis in D. Petri

1598. Basilicam Pontifex, ad aram Apostolorum Missæ sacrum fecit, in quo binas hostias consecravit; quarum alteram ipse sumpsit, alteram peracto sacrificio capsulæ crystallinæ impositam deinde arculæ inclusit, & clave serravit, quam Angelo Roccæ Apostolico Sacristæ tradidit. Arcula isthæc ab altari Apostolorum ad Basilicæ gradus usque solemni ritu prosequente Pontifice delata, candidissimo manno stragula è serico rubro ornato, suspenso ex ejus cervice tintinnabulo argenteo, fuit imposita. Hoc modo Roma Venerabile Sacramentum intersonante musica Ferrariam portatum, subsequentibus laicis confraternitatis Corporis Christi, multisque Prælatis, aliisque accensas toto itinere faces gestantibus. Altero die ipse Pontifex assectantibus viginti septem Cardinalibus Ferrariam quoque iter instituit, modico sanctissimum Sacramentum intervallo semper prosecutus.

Pontifex Roma Ferrariam proficiscitur.

Card. Aldobrandinus ut Roma abiisse Pontificem rescüt; decimo quinto mensis Aprilis die edictalibus literis jussit adventantium commodo, reparari pontes, viasque cum Ducatus, tum civitatis Ferrariensis. Per idem tempus à Iudice & Magistratu Sapientum de modo atque ordine appropinquanti Pontifici obviam procedendi deliberatum est. Fuere præterea electi ex equestri ordine viri, qui ab ingresso in Vrbem Pontifice diversa pro Ferrariensibus beneficia exorarent. Pontifex iter suum quotidie prosequens, vigesima mensis Aprilis die Lauretum venit; quo in opidulo triduum commoratus, Anconam perrexit; ubi festum Ascensionis Domini diem agens, septem dierum spatio se detinuit, urbem, portum & vicinum mare benedicens, concessa peccatorum remissione plenaria cunctis hæc inter solemnia præsentibus. Ancona Senogalliam; inde Fanum, Pisaurum atque Ariminum profectus: qua in urbe Cæsar Mutinæ, ac Regii Dux (de quo fuse supra locuti sumus) Pontificem expectans ad osculum pedum admissus est. Scribit Andreas Vettorellius summam hoc in loco extitisse Pontificis in Cæsarem Atestinum humanitatem observantiamque. Cæsare Mutinam redeunte Summus Pontifex Ravennam; inde Ferrariam contendit; quam ad urbem septima mensis Maji die sub occasum solis accedens, ingressusque D. Georgii Fanum in cognomine suburbio ædificatum, ante principem aram, 1598.
repositumque in ea Venerabile, in genua procubuit, Divino Numini pro confecto

fecto feliciter itinere gratias acturus. Postero die in eodem Fano sine pompa solemni cum rem divinam celebrasset, & in adsito D. Georgii cœnobio apud quos pridie cœnarat monachos, apud eosdem pransisset; eodem die hora vigesima secunda, seu duabus horis ante occasum solis Ferrariensem civitatem introiit pompa atque ordine qui sequitur.

Pontificis in Ferrariam solemnis introitus.

Præiere complures muli clitellarii, re familiari Pontificis onusti, ac stragulis opere Phrygio Aldobrandinæ gentis insignia ostentantibus contecti. Mulos subsecuti quingenti equites; post hos Cardinalium satellitium & nobilium sectatorum turma; tum sartor tonsorque Pontificis cum satellitio Pontificio. Visæ sunt duæ mulæ candidæ vehendo Pontifici destinatæ, ornatæque stragulis sericis albi coloris, cum fimbriis aureis; & duodeni equi generosiores, non subsidia, sed decora itineris. Visæ præterea lecticæ binæ, & sedes una à circumpedibus quatuor portata. Subiere Magister stabuli cum Pontificiis Cubiculariis, quos extra muros adpellant; tum Advocati Consistoriales, Sacellani, & Cubicularii honoris cum quatuor Cubiculariis secretis. Venere post hos equestris ordinis viri, quos ad hunc solemnem introitum videndum ex variis Italiæ partibus curiositas evocarat. Pone secuti Abbreviatores, Clerici cameræ, Auditores Rotæ, cum Subdiaconis Pontificiis. Visi etiam quatuor Legati in equis vehentes, Bononiensi præcedente, reliquis Gallico, Veneto ac Sabaudico subsequentibus. Successit Ferrariensis Episcopus cum clero, & Pontificius cæremoniarum magister cum Crucigero, & duobus Clericis sacelli Pontificii, qui binis argenteis laternis inclusa lumina in honorem sanctissimi Sacramenti dorso manni Roma Ferrariam usque portati in equis prætulerunt. Post Venerabile Sacrista Pontificius; tandem ipse in equo vehens Pontifex comparuit, Montealto & Sfortia ab utroque latere stipatus Cardinalibus, quos reliqui Cardinales solemnibus vestibus induti, vehentesque in equis excepêre, subsequente magno Prælatorum numero, ac pene infinita hominum multitudine. Hoc ordine processit ad urbem Pontifex, qui ab obviis in medio S. Georgii ponte Iudice ac Magistratu sapientum civitatis claves oblatas tetigit, benedixitque. quo facto, triginta ex equestri ordine adolescentes Ferrarienses candida veste eaque pretiosa ornati, suspensisque è collo catenis aureis Summo Pontifici catervam ad S. Georgii portam usque præbuerunt; quam sequens decorabat inscriptio:

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.
FERRARIAM
BELLO PETRI ALDOBRANDINI CARD. IMPERIO
FELICITER GESTO,
ATQVE INCRVENTA PRORSVS VICTORIA RECVPERATAM
INGREDIENTI EXVLTANS
SE EVM IN TERRIS ESSE NACTVM DOMINVM,
QVO CÆLVM APERITVR,
PORTAM HANC PRIMVM APERVIT,
ALDOBRANDINÆQVE GLORIÆ ÆTERNVM DICAVIT
POPVLVS FERRARIEN.
ANNO DOMINI M. D. IIC.

Vt accessit ad portam Pontifex, primum ornamentis sub erecto in hunc finem tabernaculo Papalibus indutus, coronatusque mythra, quam Regnum adpellant, sede ab octonis circumpedibus sublatus, præeuntibus dictis triginta juvenibus, sub umbrella ex serico rubro, cum fimbriis aureis, ab octo Senatoribus Ferrariensibus portata, subsequente Cardinalium, Præla-

latorum, & Nobilium ingenti numero ad summam ædem processit. Arcus Triumphales Pontifici Vrbem ingredienti hinc inde in via erecti. In quorum primo Puella forma egregia dextram Seni juncis coronato, urnæque aquis destitutæ incumbenti porrigere visa est. Hac inscriptione addita:

Arcuum triumphalium inscriptiones.

I.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX. FERRARIA RECVPERATA.

EXANIMVM CLEMENS FLVVIORVM RESPICE REGEM,
QVO SINE SPES VITÆ, ME QVOQVE NVLLA FOVET.
HIC ME ALVIT, GENVITQVE. ILLI DA FVNDERE LYMPHAS,
VIVERE DA NATÆ POSSE PARENTIS OPE.
SIC ARMIS QVIA VICTA TVIS REDIVIVA VIGEBO,
ALDOBRANDINO MVNERE TVTA PADO.

Cæteri trophæis, insignibusque gentilitiis Pontificis decorati, sequentes præferebant inscriptiones:

II.

CLEMENTIS VIII. PONT. MAX.
GLORIOSISS. AC PROPE DIVINÆ
DE FERRARIEN. BELLO VICTORIÆ,
EX QVA
SINE SANGVINE, SINE DOLO PARTA
INTER VICTOREM ET VICTOS
SPECIOSVM REDINTEGRAT CERTAMEN.
HINC SYNCERI OBSEQVII,
INDE PATERNÆ BENEFICENTIÆ.

III.

FOELIX BELLVM,
EX CVIVS SE MIRE DESTRVENTIS ROGO
PAX AVREA IN FERRARIEN. POP. EVOLANS
SVO OCCVRRIT AVCTORI,
CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

IV.

CLEMENT. VIII. P. M.
CLEMENTIA NON INTER NOCENTES CESSANTI,
SED FIDE AC VIRTVTE LACESSITÆ
ITA OMNIBVS SVCCVRRENTI,
VT ILLE OMNIBVS VENIT.

Quod,

Columnæ in honorem Pontificis erecta.

Quod ſequitur elogium ſubſcriptum erat Columnæ prægrandi, in honorem Pontificis erectæ, in cujus apice Virgo olivis pacificis coronata Coronas binas dextra, Gloriæ ſimulacrum ſiniſtra ſuſtinebat. Baſis ſtatuis SS. Petri & Pauli Apoſtolorum inſignita:

Inſcriptio columnæ.

CLEMENTIS VIII. PONT. MAX.
FIRMISSIMO MONIMENTO
NON TITVLORVM SAXIS INCISORVM,
SED
SOLIDISSIMÆ INTERNIS ANIMORVM IVDICIIS
INFIXÆ GLORIÆ.

Pontifex ſummam Ædem ingreditur,

Ante veſtibulum ſummæ Ædis demiſſus à circumpedibus in terram Pontifex, accepto è manibus Ferrarienſis Epiſcopi aſpergillo frontem primum ſuam aqua luſtrali, tum circumſtantes irrorans ad ſummum altare perrexit; adorataque venerabili Euchariſtia hoc loco repoſita, ad circumſtantem innumera multitudine populum ſeſe convertens eundem benedictione impertiit, conceſſa remiſſione peccatorum plenaria. Finitis his cæremoniis ab altari ad chorum abiit, exutuſque Pontificalibus indumentis dein templum egreſſus, candidiſſimum mannum inſcendit, atque in arcem modico à ſumma æde disjunctam intervallo proceſſit; oblataſque à præfecto ad portam Arcis claves ſubridens accepit. Angelus Rocca iis temporibus Sacriſta Pontificius notat, fuiſſe neceſſarium Pontificis Ferrariam adventum non ſolum, ut Papalis Majeſtas, qua nihil eſt in terra ſublimius, Ferrarienſibus innoteſceret; verum etiam, ut novis legibus, novaque gubernandi ratione animi eorundem in officio continerentur. Quamobrem Pontifex diplomate ſuo, quod Centumvirale placuit adpellare, duodenarium Sapientum numerum ad novenarium reduxit; judiciſque autoritatem certis limitibus concluſit, ex viginti ſeptem familiis primum Equeſtrem Ordinem conſtituendo. Eodem diplomate cuncta Ferrarienſium ſtatuta, quibus aut honeſtatis ratio, aut Sacri Canones, aut Concilii Tridentini capitula non adverſarentur, in ampliſſima, ut ajunt, forma confirmavit, extendendo Ducatus Ferrarienſis ditionem ad opida *Cento*, &, *della Pieve* dicta & Romanulæ caſtella.

Novum regimen inſtituit.

Igitur poſt ſemeſtrem Ferrariæ commorationem, cum ea, propter quæ venerat, expediviſſet, 26 menſis Novembris die in Summæ ædis ſacello Euchariſtico ſequentem orationem publice recitavit: *Deus miſericordiarum, qui nihil odiſti eorum, quæ feciſti, ſed omnium miſereris, qui in toto corde ſuo ad te convertuntur, reſpice propitius ſuper populum tuum, & ſuper Civitatem iſtam noſtram dilectam, & quod paternæ charitatis affectu pro illius, & totius Ducatus Ferrarienſis ſalute à noſtra humilitate geritur, Tu Cæleſti benedictione confirma. Nos enim auctoritate tua, & Beatorum Apoſtolorum tuorum Petri, & Pauli, & noſtra, quam nobis immeritis tradidiſti, abſolvimus iterum atque iterum, omnem populum Civitatis, & Ducatus Ferrariæ, ab omni vinculo excommunicationis, anathematiſmi, ſuſpenſionis, & interdicti, omnibuſque Eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis olim à nobis, aut aliis Summis Pontificibus, prædeceſſoribus noſtris, quovis modo illatis, & ab eis incurſis, & tuam Clementiam deprecamur; ut ab eis peſtilentiam, ſterilitatem, & famem, & noxios ſpiritus procellarum tempeſtatis & aquarum, ac fluminum inundationes, & omnia iracundiæ tuæ flagella avertas, doneſque eis aëris ſalubritatem, & fertilitatem frugum terræ, & abundantiam divinæ gratiæ tuæ, ut in omni pace, concordia, & pietate Tibi, & Eccleſiæ tuæ Sanctæ ſerviant, ſintque à te perpetuo benedicti. Quemadmodum nos eos benedicimus ✠ in nomine Tuo, & in nomine unigeniti Filii tui, & Spiritus ſancti, Amen.*

Oratio Sum. Pontificis pro Ferrarienſibus.

Dicta hac oratione, Ferraria primum Bononiam; deinde Romam iter ingreſſus

Pontifex Romam revertitur.

sus Pontifex Clemens VIII, biduo ante festum Natalis Domini ad Vrbem accessit.

Ferraria Ecclesiæ Rom. subjecta. Ex hoc tempore reducta ad Sedem Romanam Ferraria cæteris Pontificibus successoribus constanter paruit; atque etiam nunc Alexandro VII, auspicatissimo Pontifici dicto audiens est. Ferrariæ autem ejus nomine, cum hæc scribo Legatus præest Eminentissimus Laurentius Imperialis, Ianuensis, S.R.E. Cardinalis, vir humanissimus, omnique laudis genere celebrandus.

Atque hæc de Principibus sive Rectoribus Ducatus ac Civitatis Ferrariensis ex Caspari Sardi & Faustini historia Ferrariensi, aliisque ordine temporis deprompta hoc loco sufficiant. Reliquum est, ut antequam ad Vrbis ædificia enarranda accedamus, concludamusque, primum Familiæ equestri dignitate insignes, tum viri rerum gestarum gloria clari à nobis recenseantur.

Familiarum antiquiorum Ferrariensium in numero habentur:

Familiæ insignes. *Adelardi, Aldighieri, Avogari, Boccimpane, Contrarii, Costabili, Fontani, Forni, Gigliuoli, Giustinelli, Giuocoli, Lenti, Manardi, Menabuoi, Pagani, Ruberti, Signorelli, Soperbi, Torelli, Trotti, Turchi, Visdomini.*

Calcagnini, Fiaschi, Mosti, Tassoni, ab Atestinis Ducibus suæ nobilitatis acceperunt insignia.

Ferrariensem in urbem ex aliis Italiæ urbibus translatæ sequentes Familiæ, *Ariosti, Alvarotti, Bentivogli, Bevilacqua, Buonacosa, Castelli, Condolmieri, Contughi, Fanti, Forni, Macri, Manfredi, Marocelli, Montecuculi, Muzzarelli, Obizzi, Perondoli, Piatesi, Prisciani, Roncagalli, Roverelli, Ruberti, Sacrati, Salimbeni, Strozzi, Tolomei, Varani.*

Illustres viri Ferrarienses. Ex illustrium virorum Ferrariensium numero sunt, Antonius Beccanius Scordræus, Episcopus, ordinis Prædicatorum monachus, vir apprime eruditus, ut relicta ab eo literarum monimenta testantur. Obiit Anconæ anno Domini 1543. Felinus quoque Sandæus Episcopus, atque Apostolici Palatii auditor, qui multa de jure Pontificio eruditissime scripsit: itemque Hieronymus Savonarola ex ordine Prædicatorum, eximia vir doctrina, nec minori vitæ sanctitate suo Ferrariam ortu nobilitarunt. At Franciscus Sylvester Ferrariensis, summus Antistes Sodalitatis Prædicatorum, fuit aspectu inprimis præclaro, sapientia, prudentia, affabilitate, humanitateque mirabili, ingenio item ad omnes disciplinas versatili, & cum Latinis, tum etiam Græcis literis eruditus; ut omnem conatum adhibuisse natura videatur, plane ut cunctis dotibus tam animi, quam corporis, quæ homini contingere possunt, eum cumulate exornaret. Excessit in Britannis, urbe Rhedonensi, ætatis suæ anno 54, à Christo nato 1528. Ioannem Mariam Riminaldum summum Iureconsultum, & Peregrinum Priscianum, rerum Ferrariensium scriptorem eximium, Ferrariensi ex urbe prodiisse quis vel mediocriter literarum peritus ignorat? Omnium Ferrariensium laudem supergressus Ludovicus Ariostus, admirabilem sui ingenii facultatem in opere suo poëtico, quod *Orlando furioso* nomine insignitum est, demonstravit; plurimorum excellentium Poëtarum inventis, præcipueque Virgilii tam commode ac luculenter ad institutum adhibitis; ut non fabulæ confictæ, sed veræ rerum narrationes sive historiæ videantur. Coronavit eum solemni ritu Mantuæ Carolus V. Imperator corona laurea anno Domini 1532. Obiit vero post tantam dignitatem adeptam anno proxime sequente, sexta mensis Iulii die. Extat ad D. Benedicti Ferrariæ monimentum ejus marmoreum cum Epitaphio à Baptista Guarino Equite composito:

Notus, & Hesperiis jacet hic Areostus, & Indis,
Cui Musa æternum nomen Hetrusca dedit.
Seu Satyram in vitia exacuit; seu Comica lusit;
Seu cecinit grandi bella ducesque tuba.
Ter summus vates, cui docti in vertice Pindi
Tergemina licuit cingere fronde comas.

Cælius Calcagninus Ferrariensis, in patria Canonicus, Orator juxta ac Poëta elegantissimus ex diuturno studio hoc inprimis didicit, *Mortalia contemnere, & suam ignorantiam non ignorare.* Obiit 1540: sepultus ad caput Bibliothecæ D. Dominici Ferrariæ, cui loco tam *Oratores, & Poëtæ.* Græ-

Græcos quam Latinos suos omnes codices legavit. Lilium Gregorium Giraldum assiduum scriptorem, & Græcæ linguæ interpretem, item Ludovicum Bigum Latino Poëmate celebrem, atque Alexandrum Guarinum elegantissimis orationibus editis clarum, cum Casparo Sardo & Faustino rerum à Principibus Ateſtinis, & Clemente VIII. Pontifice Ferrariam recuperante gestarum scriptoribus silere non debeo. Militiæ Duces inclytos Ferraria quoque dedit, inter quos Thadæus, & Bertholdus Ateſtini. quorum prior circa annum 1447 floruit; alter circa 1463: ambo copiarum Venetarum præfecti fuere, ut Blondus, Sabellicus, & Corius testantur. Bertholdus peregre in Peloponneso peninsula Achajæ, quæ Morea hodie dicitur, cum Turcis depugnans occubuit. Taceo cæteros ex Ateſtina gente, atque equestri Ferrariensium ordine belli gloria præstantes.

Belli Duces.

Mechanicis artibus excellentes.

Transeo ad Mechanicos, quos inter Galassus excellens pictor, qui apud Bononienses eximia opera permulta fecit, inprimisque stupendi Virginis Matris in cœlos ascensus imaginem in æde D. Mariæ Montanæ visendam, ubi veræ expressæque Bessarionis Cardinalis Græci, itemque Perotti imagines cernuntur. Insuper summo artificio prospicuos in sacello D. Stephani ædis Dominicanæ parietes. Eadem arte excelluit Laurentius Costa, quam opera ejus in Fano Angelorum Ferrariæ, & multis in locis Bononiæ edita commonstrant. Extitere præterea è Ferrariensibus variarum artium præstantia insignes, quorum commemoratione brevitatis caussa supersedendum est nobis ad finem properantibus. Itaque ad ipsam Ferrariam tandem revertimur, de cujus nomine & conditoribus cum pluribus verbis initio descriptionis nostræ egerimus; pauca adhuc de situ, firmitudine, viis, ac sacris, profanisque ædificiis ejusdem restant agenda.

Situs.

Ferraria loco plano, circumcincta paludibus est, & cum arte, tum loci natura munitissima; quippe ab Oriente & Meridie Padus flumen latum atque altum urbem præfluit, tutaturque eam arx munitissima, seu fortalitium ad similitudinem Antverpiensis sub Pontificatu Pauli V. P. M. anno 1608 magnifice extructum Architecto Pompejo Targoni, quinisque propugnaculis validissimis munitum, cui Gubernator à Pontifice præficitur. Reliquæ urbis partes validissimis muris, turribus, propugnaculis fossisque septæ valent ad arcendos magnarum etiam copiarum insultus. Padi præterlabentis transitus binis prælongis pontibus ligneis conjungitur. Haud procul Ferraria in Padi fluminis insula ab Hercule ejus nominis II, & IV. Ferrariensium Duce vivarium muris circumdatum longitudine 500 passuum, latitudine breviore, exoticis quadrupedibus & volatilibus servandis exstructum, atque omni deliciarum genere refertum, magnificentissimo iis temporibus palatio resplenduit. de quo vide Faustinum in continuatione historiæ Ferrariensis lib. 1. Cœlo Ferraria utitur crassiore ob situm, ut diximus, palustrem; abundans tamen est ager Ferrariensis earum rerum copia, quæ ad vitam sustentandam sunt necessariæ; quippe triticum profert mira ubertate, itemque vinum, leve tamen; & hordeum, & zeam aliaque frumenti fructuumque genera. Præterea Padus amnis Ferrariam præfluens piscosissimus est; anguillæ vero tanta hîc copia, quanta nusquam alibi capiuntur. Intra ipsa urbis mœnia inclusi, lætissimi ac crebris arboribus vestiti colles nemus in urbe, an potius in nemore urbem constituunt: cæterum Ferraria sub illustri Ateſtinorum gente mirifice cum opibus, tum ædificiis crevit, ut inter primas Italiæ urbes merito referri queat. Inter sacra ædificia Cathedralis eminet Basilica in longitudinem insignem porrecta, ac præcelsa turri insignis. Conspicua in ea sunt non pauca antiquitatis monimenta: pavimentum habet marmoreum, & frontem exteriorem marmore incrustatam columellæ marmoreæ complures exornant. In reliquis urbis templis non columnæ, signa, marmora, quorum alibi affatim reperias licet; monumenta sunt, quales viri, quibus erecta sunt, talia ipsa, id est erudita. Ad D. Dominici Nicolaus Leonicus quie-

Arx. *Pontes.* *Vivarium.* *Aër.* *Soli feracitas.* *Sacra ædificia.* *Monumenta.*

lanensis Ducis filiam; inde Lucretiam Alexandri VI. Pont. Max. ex qua liberos mares quatuor sustulit, Herculem Secundum, Hippolytum, qui postea Cardinalis, Franciscum & Alexandrum, quorum postremus anno à Christo nato 1519 è vita discessit. Tertiam deinde Lucretia mortua uxorem (ut dicitur) duxit Lauram Eustochiam Ferrariensem, mediocris quidem originis, sed acerrimi ingenii summæque prudentiæ fœminam, ex qua duos Alphonsum, & Alphonsinum procreavit.

Ferrariam Alphonsus egregiis operibus ita munivit ornavitque, ut nulla propemodum vi, si defensores idonei, cæteraque ad tutelam urbis necessaria adsint, expugnari posse videatur. In modica Padi juxta urbem insula palatium splendidissimum ædificavit Belvedere à pulchra & magnifica structura nominatum; totamque insulam in longum fere quingentis passibus, in latum sagittæ emissione muro firmissimo cinxit, importatis avium exoticarum, quæ Italia prius non viderat variis generibus. Demum audita Clementis Septimi Pont. morte, cum jam ante affecta esset valetudine, paucos intra dies pridie Cal. Novemb. 1534 animam efflavit, universæ ditionis avitæ itemque Carporum, quam ipse acquisiverat Hercule filio natu majore hærede relicto. Sepultus incredibili pompa in Virginum Corporis Christi sacra Æde.

Hercules II. Ferrar. Dux IV. Sic Hercules Secundus cum Renata conjuge, Ludovici XII, Francorum regis filia, mortuo patri Alphonso 1534 festa Omnium SS. die, cum ætatis vigesimum sextum ageret annum, in Ferrariensem Principatum successit. Anno proxime sequente Romam profectus investituram Ferrariensis Ducatus à Summo Pontifice obtinuit; indeque Neapolim ad Cæsarem Carolum V. concessit. Quo loco cum mensem fere commoratus fuisset; Ferrariam rediit natæ sibi Lucretiæ filiæ nuncio accepto. Ex Renata conjuge duos præterea filios sustulit, Alphonsum Secundum, & Aloysium. Cæterum natus est Hercules II anno 1508, quarta mensis Aprilis die. Adolescens humanioribus disciplinis ad elegantiam imbutus, ad bellandi artem sese deinceps convertit; in qua paucorum annorum tempore adeo profecit, ut plerosque sua ætate superaret. Magnificentiæ præterea, liberalitatis clementiæque laudem maximam adeptus, in humanis agere desiit anno 1558 postquam Ferrariensem civitatem præclaris ornasset operibus.

Renata vidua Alphonsum filium in Galliis tum forte commorantem de repentino patris obitu certiorem reddidit. *Alphonsus II. Ferrar. Dux V.* Ille haud cunctandum ratus, celeriter afflictæ in Italia matri adfuit; magnificentissimeque à Ferrariensibus exceptus, successor patris unanimi omnium voce est declaratus. Anno 1559 Alphonsus Secundus amari potius, quam timeri cupiens à suis, vectigalium debitorumque partem remittens, Ferrariensibus annonæ difficultate laborantibus de frumento cumulate providit. Interea Franciscus Atestinus jussu Alphonsi secundi Florentiam abiit, Lucretiam Cosmi Medicæi filiam Alphonso jungendam Ferrariam deductum. Accessit ea ad urbem decima septima mensis Februarii die anno 1560, præequitante equestri ordine Ferrariensi, & pone sequente fratre Principe Florentiæ. Verum anno proxime sequente, 21 mensis Aprilis Lucretia 1561. Dux ex hac mortalitate ad meliorem vitam emigrans, Alphonsum maritum mœstissimum præmature deseruit. Ille funus conjugi defunctæ magnificentissimum faciendum curavit; quippe ex marmorato statuam vivotenus expressam sarcophago veste Attalica ornato impositam universus clerus ad templum Corporis Christi est prosecutus. Alphonsus Dux cum in viduitate annis quatuor mansisset, ad secundas nuptias animum adjecit, quo commodius in filios, quibus hucusque carebat, principatum derivaret. Itaque Barbaram Maximiliani Secundi Imperatoris filiam matrimonio sibi junxit; quæ tamen nullos ei liberos reliquit, moriens 18 mensis Septembris die. Cadaver sar- 1572. cophago plumbeo conclusum, in templo Patrum Societatis Iesu repositum fuit; donec ab Alphonso marito monumentum marmoreum excitaretur, quod hodie-

hodieque ibidem sub organo conspicitur. Barbaræ Ducis mortem Hippolyti Cardinalis ex hac vita discessus non longo tempore interjecto excepit. Hic ad Aloysium jam tum Cardinalem nepotem suum, fratremque Alphonsi Ecclesiastica bona quæ possidebat voluit pervenire; patrimonialium vero partem alteram Alphonso, alteram Aloysio nepotibus legavit. Mortua Barbara Austriaca sine liberis, ad tertia Alphonsus vota transivit, Margaretam Gonzagam Guilielmi Mantuæ Ducis filiam in
1578. matrimonium accipiens. Annis aliquot
1585. interjectis venere Ferrariam terni adolescentes Indi ex nepotibus Regis Bongi, ut ferebatur, à PP. Societatis Iesu ex India triennali itinere in Italiam deducti; quos Indico more vestitos Alphonsus Dux lætabundus spectavit, affectosque muneribus dimisit. Per idem ferme tempus inter Cæsarem Atestinum, & Virginiam Medicæam conclusum matrimonium in capite anni sequentis Ferrariæ fuit summa magnificentia celebratum. Finitis nuptialibus festis jussit Alphonsus Cæsarem Atestinum Romam ad osculandum pedes Pontificis recens creati profectionem adornare; quamobrem 12 mensis Maji Mutinensi comitatus Episcopo, & Francisco Tertiano Legato Ferraria discessit. Vt Romam venit, ab Aloysio Cardinale honorificentissime exceptus; deinde ad Pontificem deductus incredibilem est ejusdem humanitatem expertus. Igitur re ex sententia peracta, binisque ab Aloysio Cardinale præstantissimis equis donatus Ferrariam re-
1587. diit. Verum cum non multo post Aloysium Card. Romæ ex hac vita abiisse nunciaretur; Alexander Atestinus Cæsaris frater Ecclesiasticam vitam deinceps amplexus est; dataque fuit ei præpositura Pompuosæ, atque Abbatia Bondeni. Alphonsus Dux jam ætate provectus, non procul se abesse à morte sentiens, cum filiis hæredibus careret, Cæsarem Atestinum suæ scripsit ditionis hæredem; & antequam exspiraret, vocari ad se eundem jussit, monuitque præsentem sedulo, paterno ut subditos amore gubernaret. Quo facto
1597. 27 mensis Octobris die, senis Patribus Capucinis præsentibus, pie Christianeque obdormivit. Altero die festo SS. Apostolorum Simonis & Iudæ cadaver Ducis stragula ex holoserico nigro obtectum à quibusvis spectari potuit, at sequenti die Ducalibus ornamentis indutum impositumque sarcophago ad sacellum aulicum fuit deportatum.

Extitit Alphonsus S. R.E.& vassallus, & defensor acerrimus: singulari religiosos omnes benevolentia prosecutus, legata à majoribus concessa liberalissime adauxit: providit orphanis: amavit litteratos, præcipueque Torquatum Tassum liberatæ Hierosolymæ authorem eximium. Cæterum staturæ fuit proceræ, & bona corporis habitudine: oculos habuit cæsios, frontem latam, nasumque aquilinum: denique toto vultu prodidit majestatem illam, quæ terrendo allicit,& alliciendo deterret, genti Atestinæ propriam. Præfuit Ferrariæ annis triginta septem, mensibus undecim, die unico.

Alphonso II istius nominis, & quinto Ferrariensium Duci successit Cæsar Atestinus ex descendentibus Alphonsi Primi, atque universalis hæres testatoris Alphonsi Secundi. Solemnia inaugurationis hac fere ratione peracta fuere. Vigesimo octavo die mensis Octobris, anno 1597, Sapientum judex, ut vocant, cum ipso Concilio, populoque Ferrariensi in Arcem processit, & genuflectens Cæsarem universorum nomine rogavit, Ducem suum se eligi pateretur, oblato sceptro, atque ense evaginato. Cæsar oblationem accipiens, ab universo populo Ferrariensi Dux est salutatus, 29 ejusdem mensis die Sapientum judex novo Duci summa in æde inter Missæ solemnia sacra præbuit Euangelia tangenda: qui se bonum principem justumque subditis fore juramento confirmavit. At Clemens VIII. Pontifex, ut Alphonsum mortuum sine prole cognovit, Cæsarem Atestinum ab occupando Ferrariensi Ducatu jussit abstinere. Hic Legatum Romam ad Pontificem mittens, qui facti sui rationem redderet; responsum tulit, Ferrariam cum annexo Ducatu tanquam feudum S.R.E. Alphonso sine liberis mortuo ad eandem rediisse; esseque supervacaneum rem certam in dubium vocare;

Cæsar Atestinus,

Dux à Ferrar. populo salutatur;

Pontifex eum à Ducatu abstinere jubet.

nitori ædificiorum amœnitatem adjungit. Magna pollet nunc temporis Nobilium familiarum, quas supra plerasque recensuimus, & civium locupletum frequentia ob Padi præfluentis commoditatem; nec non celebris est Gymnasio literario disciplinarum omnium à Friderico II. Imp. odio Bononiensium instituto. Quamvis igitur non fumosis Trojanorum aut Græcorum superbiat imaginibus (nondum enim mille anni sunt, quod cingi muro cœpta) tanta tamen sensim suorum Regulorum cura suscepit incrementa, tantisque ornamentis decorata est; ut inter primas Italiæ civitates locum jure sibi vendicet.

Gymnasium.

FO-

FORVM SEMPRONII,

vulgo

FOSSOMBRONE.

FORVM SEMPRONII, ut Straboni placet, Vmbriæ oppidum; & ab hujus ævi Cosmographis in Piceno locatum, Via Flaminia, Fanum,& Callium interjacet, distatque ab ora Adriatici Maris quindecim millibus passuum. *Nomen.* Versus meridiem à Metauro amne alluitur; quamobrem id Plinius opidum Metaurense adpellavit; Blondus vero opidum pervetus. *Conditores.* A Gabinio Læto Romano lib.2. Cosmogr. Forum Pelasgium dicitur; quod à Pelasgis undecim annis à Trojano excidio asserat ædificatum; ampliatumque deinde à Sempronio, Forum Sempronii Latini nominarint. Alii existimant, P. Sempronium Sophum Consulem cum Appio Claudio è Picentibus triumphantem, anno ab Vrbe condita 483 opidum cognomine uno milliari propius ad mare, quam modernum sit, excitasse. *Excidium.* Fuit olim municipium Romanorum, à Luitprando Longobardorum rege deinceps ob acceptam à Romanis Vmbrisque cladem, prælio Fanum inter & hoc opidum commisso, funditus eversum. *Antiquitas.* Antiquitatem & priscum Fori Sempronii splendorem cum multa arguant; tum vero præcipue adinventi lapides marmorei, numismata, auri laminæ, quæ hic quotidie effodiuntur, tessellata quæ hic apparent pavimenta, viæ silice stratæ, canaliculi plumbei, columnæ, inscripti lapides literis majoribus antiquitate ferme obliteratis, ac id genus alia, veteris Fori Sempronii magnificentiam testantur.

Restauratio. A superstitibus opidanis restauratum fuit deinceps Forum Sempronii, non iisdem tamen fundamentis, sed in colle *Citadella* vulgo adpellato ab arce quadam insigni atque olim invictissima; unde Blondo Forum Sempronii munitissimum opidum dicitur. Porro ob commoditatem viæ Flaminiæ, & Metauri fluminis magni, pulchri & pisculenti opificum, & mercatorum bono præcipue, fuit tandem hoc opidum ex edito situ ad dexteram usque Metauri ripam loco plano traductum. *Situs.* Ludovici Pii, Henrici, & aliorum dono Imperatorum Forum Sempronii Romani Pontifices tenuere, à quibus concessum fuit ejus dominium primum Atestinis; deinde Malatestis, qui postremi illud Friderico à Monte Feltrio Vrbini Principi vendidere; indeque ad Roboreæ gentis ditionem pervenit. *Domini Fori Sempronii.* Iam à multis sæculis Episcopali dignitate inclytum fuit opidum; Fori Sempronienses Innocentium ac Felicissimum Episcopos quippe Concilio à Symmacho Papa anno 490 celebrato interfuisse, gestarum rerum monumentis docemur. *Divi.* Præterea D. Aldebrandi & Beati Richardi ex ordine Tertianorum suorum Episcoporum, item S. Maurenti Cathedralis Ecclesiæ præpositi, Adjuti, Vrbani, Martiniani & Vincentii sociorum; nec non Aquilini, Gemini, Gelasii; Magni & Donati gloriosissimorum Martyrum eximia singulorum sanctitate illustratur. *Docti, & Bellatores.* Viros etiam doctrinæ ac militiæ gloria præstantes, inprimisque Iureconsultos magno numero & rara scientia progenuit, ut relicta ab iisdem scripta testantur. Et, ut alios silentio prætereeam, quis nescit Benedictum Vadium, & Hieronymum Gigantem à Sansovino celebris Iureconsulti nomine decoratum utrumque editis libris de re forensi præclare meritum esse? Natus est Fori Sempronii Maurus Saracenus è Franciscanorum familia, magni nominis Theologus, qui

FORVM SEMPRONII
vulgo
FOSSOMBRONE.

qui Vilnæ Lithuaniæ metropoli existimatione sanctitatis diem obiit, ubi hodieque memoria ejus cum sepulchro religiose colitur. In Tabulario Foro-Semproniensi plena eruditionis monumenta à dicto Mauro composita diligentissime custodiuntur, & spes est, ut bono publico lucem aliquando aspiciant. At Vincentius Castellanus vir humanioribus literis apprime eruditus, quo fuerit ingenio conscriptus ab eo de officio Regis liber abunde demonstrat. Ex hoc eodem opido traxit originem Episcopus, Paulus à Middelburgo tot evulgatis libris percelebris, & ab Iulio Cæsare Scaligero suo ævo Princeps Mathematicorum appellatus. Interiore ambitu muris circumsepto Forum Sempronii terna circiter milliaria complectitur, cerniturque quodam intramurano loco ingens damarum multitudo, animalium magnitudine, non specie à capreis agrestibus differentium; quam ob rem & propter aëris ambientis clementiam, & com-*Agri feracitas.* moditatem situs, vinum suave, nobilesque fructus tam collinos quam campestres à plerisque Regulis suis fuit habitatum. Singuli dies Lunæ mercatorii seu emporetici sunt, celebres & mercatorum numero, & mercium abundantia.

Pons lapideus. Præterea lapideo ponte quinis arcubus supra Metaurum flumen suspenso insigne est; habuit olim typographiam; habetque etiamnunc officinam monetariam; typorum vero sive notarum musicalium inventio Octaviano Petrucio Foro-Semproniensi adscribenda, qui hic eas primus impressit. PP. Capucinorum venerabilis Ordo Ludovicum, ac Raphaëlem Foro-Sempronienses institutores agnoscit; quippe in Grammatophylacio hic privilegiorum à Clemente VII annis 1526, & 1528 ei concessorum exemplaria, præclara dicti ordinis fundamina servantur, cui Ludovicus Tenaglia primus Generalis extitit, teste Tossignani historia Seraphica.

Direptiones variæ. Forum Sempronii multorum diversis temporibus patuit direptioni; unde innumera vetustatis splendorisque sui perdidit monumenta. Longitudinis gradus 34 cum 50 minutis; latitudinis vero 43 gradus cum 30 minutis habet. Plurimæ hic etiam habitant, more aliarum Italiæ civitatum, nobiles illustresque familiæ.

FRAS-

FRASCATA.

Antiquitas. FRASCATA, olim Tusculum, municipium Romanorum antiquissimum, Ciceroni pro M. Fontejo, *Clarissimum municipium*: & in Orat. pro Cn. Plancio, dictum *municipium, ex quo multæ familiæ sunt Consulares* ab ejusdem M. T. Ciceronis in agro Tusculano compositis Tusculanis quæstionibus famigeratum est opidum. Multis præterea fuit nominibus villisque insigne. *Villæ Romanorum.* Nam & Marianam in ejus agro villam fuisse, & Lucullianam, & Liciniam, Porciamque, item Murenianam, cæterasque virorum principum veteris Reip. Romanæ, apud Strabonem, Plinium, Senecam, Plutarchum & alios legimus: ipsum etiam opidum splendore ædificiorum ac magnificentia fuit inprimis censendum, vinetis circumcirca cultissimis, qua parte ager ejus Romam spectabat, præcipue ornatum. *Fundatores.* Porro à Tuscis exædificatum fuisse Annius scribit, indeque pariter etymologiam nominis esse. *Nomen antiquum.* Nicolaus Perottus dictum quasi τὸ σκύλλον autumat, quod in monte satis edito situm molestiam ascendentibus exhiberet: est enim σκύλλειν, vexare.

Mentionem hujus opidi Dionysius persæpe facit, ac nominatim æmulationis ejus cum exoriente Roma: *Tusculum Romæ antiquæ æmulum.* de qua Livius quoque meminit, una cum Halicarnasseo, Tarquinium Superbum narrans, qui regnum non antiquis legibus & jure, sed armis ac vi tenerent, iis non minus præsidio militum, quam vicinarum gentium amicitia conjunctioneque opus esse, cogitans, modis omnibus Latinorum fœdera ambivisse, proindeque filiam Octavio Mamilio Tusculano Latinorum regulo ex antiqua Thelegonis nato prosapia despondisse. Idem Livius Tarquinium constituta Porsennam inter ac Romanos pace, uti rebus à se desperatis ad Mamilium generum confugisse alio loco scribit. Ideoque bellum à Latinis in Romanos denuo susceptum, quo juxta lacum Regillum prœlium commissum fuit, Romanis victoriam deportantibus. Qua vero ratione Tusculum à Populo Rom. subactum sit, Diodorus Siculus commemorat. Plinius certe ancipitis animi, fortunæque exemplum de L. Furio Tusculano scribit, qui suæ dum esset Consul civitatis, eadem adversus populum Romanum arma parante, Romam transfugit, ibique Consul designatus, uno eodemque anno Romæ ac Tusculi magistratum adeptus est, & de Tusculanis etiam triumphavit. Inclinata vero deinde Romana re, Tusculanorum cœpit in immensum crescere potentia, ut non lacessere tantum bello Romanos auderent, sed & vincere: pluribusque potiti victoriis, insignem tum adepti sunt, quando Raynone Tyranno Duce Friderici Ænobarbi copiis fortiores, non minore Romanos strage, quam olim Cannensi prœlio Hannibal, affecere. Quem belli successum tamen, eventus deinde tristior, exitusque lacrymabilis excepit. Nam Henrico IV. Imp. Aug. Ænobarbi Imp. filio Tusculum Romanis dedente, cum ab Cœlestino Papa anno 1191, cum uxore Imperii corona donaretur; Romani pristinæ non immemores injuriæ, Tusculanos, à quibus se non semel bello superatos, vexatosque dolebant, partim nece, partim exilio affecerunt, opidumque diruerunt, *Excidium.* quemadmodum narrat Dionysius Petavius in Rationario temporum lib. 8. cap. 20. & in hanc usque diem priscæ testes magnificentiæ, frequentes vastissimæque spectantur ruinæ.

Restauratio. Hodie restauratum opidum FRASCATA nominatur, quod statim ab excisione sua ruinis deforme, vestitumque dumis, & vepribus receptacula pauperioribus tribuerit hominibus. Hac tempestate quidem in opidi formam resurrexit, nam & mœnibus cingitur, & Papalis in eo arx est antiqui operis: & domus ferme quingentæ: sed est amplitudine multis partibus prisco minus, atque ædificiorum stru-

1 *Chiesa di S. Romualdo, fatta da PP.* PAVLO V.
Vna Capella in detta Chiesa, fatta dalla Signora Ortensia Borghese.
Vn altra, fatta dal Marchese Pinelli.
Vn altra, con il Campanile, fatta dal Sig. Gioan. Angelo Frumenti.
2 *Foresteria, fatta dal Card. Montalto.*
3 *Infirmaria, fatta dal Card. Aldobrandino.*
4 *Fontana, fatta dal Card. Gonzaga.*
5 *Cella del Forestario, fatta dal Card. Gioiosa.*
6 *Cella del Portinaro, fatta dalla Duchessa Sforza.*
7 *Refettorio, Dispensa, Cucina, fatta dal Sig. Nicolo Wolski, gran Mar. di Polonia.*
8 *Cella di S. Francesco, fatta dal Sign. Horatio Griffi.*
9 *Cella del B. Pietro Damiano, fatta dal Card. Francesco Barberino.*
10 *Capelletta, che vi è l'istessa Indulgenza che è in visitare le sette Chiese di Roma.*
11 *Cella della passione di N. S. fatta dal Sig. Francesco Amadori.*
12 *Cella da farsi.*
13 *Cella di S.* *fatta dal Sig. Hipolito Merenda.*
14 *Cella di S. Stefano, fatta dal Card. Pignatelli.*
15 *Cella di S. Aniceto, fatta dal Duca Altemps.*
16 *Cella di S. Raimondo, fatta dal Prencipe Peretti.*
17 *Cella della S. Trinità, fatta dalla Duchessa di Sora.*
18 *Cella di S. Mauritio, fatta dal Card. di Savoia.*
19 *Cella da farsi.*
20 *Cella da farsi.*
21 *Cella di S. Marco, fatta dal Card. Cornaro.*
22 *Cella di S. Romualdo, fatta dal Card. del Monte.*
23 *Cella della Nonciata, fatta dal Sig. Stefano Borone.*
24 *Cella di S. Gioseffo, fatta dalla Signora Olimpia Aldobrandina.*
25 *Cella di S. Domenico, fatta dal Card. Spinola.*
26 *Cella di S. Geronimo, fatta dal Card. Vidone.*
27 *Cella di S. Benedetto, fatta dal Card. Giustiniano.*
28 *Cella di S. Elisabetta, fatta dalla Sig. Elisabetta Bonadies.*
29 *Cella di S. Carlo, fatta dal Prencipe Borghese.*
30 *Cella di S. Lorenzo, fatta dal Card. Bianchetti.*
31 *Cella della Resurrettione, fatta da Monsig. Vechiarelli.*
32 *Cella di S. Giouan. Battista, fatta dal Signore Giouan. Battista. Confallonieri.*
33 *Cella di S. Andrea, fatta dal Duca di Cesi.*
34 *Cella di S. Maria Maddalena, fatta dal Sig. Alfonso Putignani.*
35 *Cella di S. Antonio di Padoua, fatta da Monsignore Marco Cornaro Vescovo di Padoua.*
36 *Cella di S. Venantio, fatta dal Card. di Camerino.*
37 *Croce, dove le Doñe non possono passar più avanti sotto pena di Scomunica.*

structura longe inferius. Distat ab Vrbe milliariis duodecim; unde usque huc non semper rectum ad lineam iter est; montium, colliumque iniquitas nonnullius est ambitus causa. Si Roma Frascatam concedere volupe est, Cœlimontana porta egressus Sixti V. impendio restauratum Claudii aquæductum equo, curruve prætervehere; tum villas amœnitate sua laudatas, cœnobiumque quoddam Canonicorum regularium peramœno item loco situm; observabis tamen eminus Mediterranei maris oram, cujus aspectus sub occasum solis præsertim, mirum qua jucunditate viantes perfundat. Tandem duodecimo, ut dixi, ab Vrbe milliari in lætissimam regionem venies, nec olim magis, quam hodie æstiva Romanorum procerum commoratione celebratam. Hic surgentes molliter colles, scatentesque limpidissimis aquis, & virentibus perpetuo inumbrati nemoribus purissimo te cœlo excipient; quod quam optabile sit, Romani aëris intemperiem, causasque ex quibus illa oritur, expertus judicabit. Profecto carent numero deliciæ, queis affluit ager Tusculanus; eum nemo melius explicet, quam si Itala Tempe dixerit, aut Veris, & Autumni Regiam, aut nidum Gratiarum, naturæque pompam, aut deliciarum paradisum, & fortunatum pulchritudinis terræ compendium. Hic & Pomona, & Ceres, & Bacchus, & Flora inexhaustum Cornucopiæ certatim exonerant.

Regionis amœnitas, *Deliciæ.* *Vbertas.*

Hujus regionis medium occupat prædictum opidum Frascata (nam Tusculi nomen in ruinis jacet) quod circumjacentes villæ Aldobrandina, Montis Draconis, Burghesiorum; Cardinalium, Sforzæ, Aquavivæ, Caponis; Ducum, Sorani, Aqua-spartensis, & aliorum: Item bina monasteria Capucinorum, ac Camaldulensium monachorum clarum per totam Italiam reddidere.

Ædificia.

Paulus III. Pontifex eleganter multa Frascatensi in opido ædificavit, eoque solebat ex Vrbe, curarumque fluctibus, animi causa frequenter commigrare. Cujus exemplo Summi Pontifices successores, æstuoso tempore, quale Iulio mense esse per Caniculam solet, vicinia loci, salubritate aëris, & fontium illecti refrigerio Frascatensibus deliciis persæpe tenentur.

Ædes Sacræ.

Cæterum Frascata Cathedrali Ecclesia, quæ inter sex suffraganeas numeratur, quibus primi ordinis præsunt Cardinales, inclytum est opidum. Structura harum ædium sacrarum haud magnifica erat, coarctataque loci angustia, ut capere huc confluentem magno numero populum nequiret. Quamobrem nova ædes, vastiorque excitata, Canonicorum insignis collegio, atque Episcopali dignitate. Præter hanc notabis aliam adsiduis sacerdotum ministeriis celebratam; ac Patrum è Societate Iesu domum structura, & laxitate mediocri. Idem opidum ut olim Catonis Portii, gentisque Portiæ, aliorumque Heroum mater extitit; sic multis sæculis post Romanæ Ecclesiæ Summos Pontifices imposuit. Nam Benedictum IX, cum Octavo, & Ioannem IIXX progenuit, ut Platina & Petrarcha tradiderunt: quanquam Blondus VI & VII Benedictos cum Ioanne XIX. Frascatanos fuisse arbitretur; quorum postremum tamen Romanæ prosapiæ addicunt citati supra Platina, ac Petrarcha auctores.

Insignes viri Frascatenses.

Hæc de Tusculo antiquo & moderno; & plura fortassis quam in aliorum scriptis invenias. Restat suburbana ejusdem amœnitas per partes, & sigillatim describenda; religiosam autem amœnitatem mundana sequatur.

Cœnobium monachorum Camaldulensium.

Haud procul Frascata ad horæ spatium circiter, si pedetentim ambules, edito in monte, locoque superiore, remotioreque, quam Montis Draconis Villa, eremum, sive monasterium Camaldulensium monachorum, qui S. Romualdum Abbatem sectantur, visitabis; nec deerunt ex Patribus hujusce loci, qui te columbina simplicitate, atque innocenti candore per cellulas fere omnes deducant, quibus veluti domunculis dispersi Cœnobitæ inter virentes, rectasque cupressos, nostræ symbola mortalitatis, erecta in Deum mente, vitam Anachoreticam degunt, vereque angelicam. Sane isthæc solitaria vivendi ratio voluptuosa quadam

reli-

religione percellet tuum hospitis animum, instillabitque, nisi forte obdurato es corde, vitæ cogitationem melioris. Hic tibi cœlum quoddam metaphoricum imaginare, in quo specie Andromedes grata superis micat veritas, Cancri loco providentia est, Piscis subit vicem silentium, pro Cygno canora oratio est, pro Virgine votiva castitas, pro Scorpione peccatis major pœnitentia. Cepheum religio exhibet, Orionem constantia, Booten custodia, Sirii ardorem ferventior imitatur affectus. In hoc cœlo Dracones vigilantiæ suspicies, humilitatis Arietes, justitiæ Libras, & Geminos duplicis dilectionis. Hinc si visum fuerit, in Portium montem opidumque nominis ejusdem conscende, quo loco Catonis Portii villam fuisse multa sunt argumento. Opidum duplicata amœnitate commendatur, & molli vinearum acclivitate, & prospectu ad stuporem jucundo. Hic collegium Anglicanæ nationis, quod Romæ est, vineam possidet cultissimam, quam P. Gosuinus Nickel, Iuliacensis, Societatis Iesu nunc Præpositus Generalis structo Germanica forma ædificio secessum sibi optavit. In reditu scholas Ciceronis observabis, & locum priscæ cujusdam naumachiæ jam vadosum; spectabisque eminus Albanum montem antiquitatibus plurimis famosum.

Monte Portio.

Estoutavillana gens nobilissima è Galliis orta, cujus columen extitit Cardinalis Rothomagensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini protector, olim possedit locum, quem condendo monasterio PP. Capucini opportunum sibi postea delegerunt. Itaque cœnobium altissimo loco conditum, & Frascatæ opido obversum in omnes circumjacentes villas prospectum tribuit, ex quo voluptas animo nascitur pæne incredibilis. Cœnobio addita Ecclesia est, modica laxitate, at structura elegante, quam interior ornatus, piorum hominum religiosa magnificentia comparatus adauget, qui Capucinæ paupertatis se limitibus coërceri noluerunt. Item hortus, quem Zephyri nidum, & montium Tusculanorum oculum non male appellaveris. Hic Ver cuncta coloribus opplet, & viridantes herbas floribus miscet; Autumnus vero calcatis uvis sordidus generosa vina propinat.

Cœnobium PP. Capucinorum.

Tusculanorum collium villis ob locorum salubritatem, cœli temperiem, aprica collium, opaca nemorum, fontium ubertatem, adsiduam novarum frugum gratiam, nihil toto Orbe Terrarum commemores, quod his conferri, nedum præferri queat. In iis nova à fundamentis inchoata, magnoque sumptu absoluta palatia, tantæ pleraque capacitatis sunt, ut multorum habitationi sufficiant Dominorum. De splendore vero & magnificentia regia duæ inprimis villæ concertant, Aldobrandina nimirum, & quæ Montis draconis nominatur. In hac immensitatem molis, atque admirabilium varietatem rerum, lucentesque undique claritate marmorum parietes, & aurata laquearia mirabere, & pavimenta aularum, cubiculorumque marmoreis solidis glebis polita; in illa incomparabilis structuræ miraculum, & conciliatam interiore ornatu speciem ac majestatem. Quin pigeat, quæ dignitate posterior nonnullis videri posset, eam primo à me loco dici.

De Villis collium Tusculanorum.

Petrus Cardinalis Aldobrandinus Clementis VIII. Pontificis Max. nepos Tusculanis in collibus villam omnium pæne villarum orbis (ut Casalii verbis utar) reginam, ad allevandam opportuno secessu urbanarum curarum molem extruxit, & magnificis operibus cæteroque accuratissimo cultu decoravit. Locum Belvedere per antonomasiam, nec supra verum vulgus, indigetat. Nam sive amplissimum consideres atrium Palatii laureis frondibus velut ad regulam attonsis amœnissime cinctum; sive fontium ubertatem arte naturam superante; sive xystorum directos in longum ordines, sive arborum varii generis deliciosam atque accuratissimam seriem; sive jucundissimum è palatio prospectum in machinam illam hydraulicam incomparabilem; sive denique ipsius palatii situm ordinatissimum; non dubitem, quin hæc omnia simul collecta terrestris cujusdam paradisi speciem sint ob oculos tibi positura. Hic aquæ à septimo milliari per aquæductus sub altissimis montibus extructos devolutæ in

Villa Aldobrandina, vulgo Belvedere.

La Cascata. in morem fluminis prolabuntur: tum in mille quasi vias anfractu multiplici divisæ, illic velut è montis turbatæ fastigio per gradus ad numerum salientes sonantesque subnascentibus sibi invicem fontibus & cataractæ speciem exhibent; & musicam murmurant harmoniam. Alibi in sublime eructantes figura variata divitias interlucente sole immensas gemmato fulgore mentiuntur. Nonnullo in loco, aut rore curiosos aspergere; aut imbre incautos perfundere solent fraudulentæ: perennes etiam per lauretum quoddam serpere, & ex arbore quadam citria alibi prosilire insolita animi voluptate spectabis. Musas cum Apolline cernes in conclavi (miraculum artis humanæ) ventis aurisque symphoniam suavissime modulantes; nec non Organum hydraulicum aquatilium machinarum opus supremum, pluribus undique fontibus corrivatum, hic ventorum mediis ex aquis per fistulas prosilientium beneficio, nullo alio artificio adhibito, & lituis, & buccinis, & citharis Musas concinentes mirabere.

Fontes villæ Aldobr. Extra conclave inter cætera Atlantis fontem, Herculisque, atque utriusque statuam contemplare: ille cœlum humeris sustinet; hic gravatum tanta mole suffulcit: additus fons novus Salmonius, seu turbo potius, qui strepitu horribili in sublime consurgens cœli tonitrua imitatur. Ad dextram Cyclopis cum fonte statua est, qui harmonica vi ventorum concinit pluribus cicutis compacta. Ad sinistram Centauri fons est, & statua vi venti ex aquis progeniti tubam inflans maximam, sono tam elato, ut absentibus quarto milliario exaudiatur. Nihil jam dicam de sylvarum umbra gratissima, sub qua licebit altissima quiete frui, pacem ac securitatem consusurrantibus diversi generis arboribus. Omittam deambulationes amœnissimas tonsilibus plantis arcuatas, vireta expatiantia, dumeta lauri, pomaria vastissima; hanc enim laudem non solam possidet villa Aldobrandina, sed cum aliis habet communem. Hoc unum indicabo, quod admirationis modum excedit, *Palatium.* Petrum Aldobrandinum Cardinalem, in medio hortorum, palatium tanto splendore & impensa, tam præclaris artificum operibus, ad remittendas interdum ex Vrbe curas, excitasse; tam variegatis lapidum crustis, tot simulacris è pario marmore circumornasse, ut cum priscis Cæsarum molibus sit conferendum. Inde omnes exterarum nationum Romam adventantes huc potissimum adveniunt. Hasce delicias Excellentissima Domina Olympia Aldobrandina Princeps Rossani, uxor Excellentissimi Camilli Pamphilii hodieque possidet.

Villæ Montis draconis palatium ingenti mole Cardinalis Altempsius inchoavit, Scipio Cardinalis Burghesius, additis ingentibus aulis, cubiculis multiplicibus, ambulationibus longissimis, amplissimo theatro, prisca solario forma mirum in modum non amplificavit modo, sed hanc laxitatem etiam atque insignem structuram columnis marmoreis, pilis Tiburtinis, Marmoreis incrustationibus, inauratis laquearibus, pictis cameris, aulæis opere Belgico, Damascenoque peristromatis, ac reliqua argenti aurique supellectile quolibet rege digna ad exquisitiorem cultum splendidissime instruxit. Hortos vero amœniores nusquam videris ob admirabilium varietatem rerum. Nam pergulam primo ingressus longissimam ferme ad 500 passus extensam, frondibus superne in arcum recurvatis undique reclusam & umbrosam, non sine ingenti animi gustu perspectiva tam in longum porrecta traheris: tum eosdem hortos abundantia aquarum irriguos mirabere; fontes varios notabis, unumque cæteris admirabiliorem, qui tonitruali quodam mugitu erumpens in summam altitudinem aquas nunc imbris in morem, nunc pluviæ minutim cadentis instar, aliisque figuris ejaculatur. In iisdem hortis continuo vernant tempora, virent omnia, semina erumpunt in germina, adolescunt in flores, & salubres subito maturescunt in fructus. Quodam in loco sylvam non natura productam, sed artificiosa manu consitam notabis ea serie nunc linea recta, nunc transversa, ut nihil ordinatius construi posse fatendum sit tibi. Alio loco terram videbis infinita florum varietate depictam. Vis de rosarum purpura loquar, quæ media hic hyeme vel minimum

Montis draconis, vulgo Mondragone.

Fontes villæ Montis Draconis.

mum flaccessit? rosæ alibi Veris tantum sunt filiæ; hic omnium mensium nativa soboles. Hic Persica mala nucum saporem mutuata utrumque communicant; Granatensia vero medio inter acrem dulcemque sapore palatum mire afficiunt. Taceo alia industriæ humanæ artisque admiranda effecta, atque inventa, quæ singula longum nimis foret perstringere.

Villa Burghesia. Tertia Tusculanarum villarum Burghesia peculiari nomine appellatur. Hanc idem Scipio Cardinalis Burghesius aliquanto inferiorem situ, quam sit villa Montis draconis, colorato & elaborato marmore, atque exquisitis picturis mirifice ornavit. Nam ante sola tantum compage murorum pilarumque lateritia firmitate constabat ædificium, & columnis quibusdam nitebatur ex Albano lapide, vel Tiburtino; neque erat laxitate sua aut cultu interiore conspicuum; ut in quo porticus breves essent, & sine marmore ullo, aut insigni pavimento conclavia. Hæc villa persæpe hospitium præbuit Paulo V. Burghesio, Pont. Max. Item Purpuratis Patribus, Legatis Regiis, & Prælatis insignioribus, quos amœnitas loci huc ex Vrbe elicuit. Id tibi haud facile persuaserim, si cum præteritis conferas præsentia. Nam præter situs amœnitatem, ordinatissimam cubiculorum seriem, commoditates innumeras quibusvis humanis usibus, hortorum delitias, & fontium miracula, tabulas pictas, statuasque, domesticam supellectilem, cum necessitati comparatam, tum ornamento; incredibili quadam atque alibi insolita humanitate idem Scipio Cardinalis Burghesius Principes nobilesque exterarum nationum lautissime excipere in more positum habebat. Reliquæ circumjacentes villæ Romanam quoque magnificentiam, & Tusculanam amœnitatem loquuntur; sed harum trium primarum splendore vicino obscurantur.

IMOLA,

veteribus

FORVM CORNELII.

Nominis origo.

IMola Romanulæ opidum, ab immolando dictum, quod primum omnium hujus regionis opidorum ad veri Numinis cultum sacrificando sese converterit, fuit olim Forum Cornelii adpellatum à conditore suo Lucio Cornelio Sylla. Positum est loco amœnissimo ad Vaterni olim, nunc Santerni fluminis ripam; agrum habet frumento, vino aliisque frugibus fœcundum; Episcopatum insignem octonorum millium scutorum redditu annuo, & perampla diœcesi quinquaginta circiter milliaria, ingentem hominum multitudinem, castella pagosque quam plurimos continente.

Situs. *Soli fœcunditas.* *Diœcesis.*

Ecclesia Cathedralis.

Cathedralis ejus Ecclesia structuræ est elegantis, in qua quinorum Divorum Sacri cineres SS. Cassiani Episcopi & Martyris, D. Petri Chrysologi S. R. E. Doctoris, atque Episcopi Ravennensis vigesimi secundi, civisque Foro-Corneliensis ab aureo flumine dicendi adpellati, SS. Maurelii & Prorecti, & Donati Confessoris Foro-Corneliensium, & primorum duorum hujus loci Episcoporum pie religioseque servantur. At S. Sigismundi Burgundiæ Regis ac Martyris ossa in fano S. Mariæ in Regula dictæ cum particula fasciæ sive linteoli Deiparæ Virginis coluntur. Fanum hoc Abbatiæ titulo censetur ternorum millium scutorum fructum annuatim reddentis.

In templo S. Bartholomæi sanctæ Fidei Virginis & Martyris corpus visitur. Pæne oblitus eram, spectari in summa Æde Christi Domini simulachrum tanto expressum artificio, ut nihil elegantius universa habeat Italia.

Litteris & armis clari.

Præter S. Petrum Chrysologum, infra scripti è Foro-Corneliensibus partim literis, partim armis clari extitere. Domi, Alexander Tartanius Iureconsultus Pater Veritatis cognominatus, Ioannes Imola dictus, Philippus Portius, Ioannes Baptista Ladercius aliique Legum peritissimi quam plurimi. Militiæ, Thadæus à Vulpe, cui Senatus Venetus ob amplissima ejus in hanc Rempublicam merita equestrem in fano S. Mariæ Venetæ statuam ponendam decrevit; Iacobus Vainius, Ioannes Sassatellius, Guido Vainius. His accedunt è multis variæ institutionis doctoribus, Benvenutus insignis Grammaticus, qui in Dantem eruditum scripsit commentarium, Marcus Antonius & Ioannes Antonius fratres, Poëtæ atque Oratores celeberrimi.

Familiæ illustres.

Inter primarias Foro-Corneliensium familias censentur hodie Sassatella, (ex qua Gentilis Comes Sassatellus S. R. E. vexillifer in quadam classe fuit designatus) Vainia, Pantaleonia, Vulpina, Bordellica, & Marchirella.

IMOLA.

LAVRETVM.

Nomen. LAVRETANA VRBS à laurea hic olim Sylva Laureti nomine indigetata, atque inter Adriaticum mare, & Recinetum, Piceno in agro posita, modicæ est amplitudinis, & pleraque à cauponariam exercentibus, & conficientibus coronas precatorias habitatur. Eam à Turcicis prædonibus è vicino mari expilatam Leo Decimus, & patrum memoria Sixtus Quintus, Picenus, Pont. Max. firmissimo muro, turritisque propugnaculis, fossis atque aggeribus amplexus est, donatamque jure civitatis, Episcopali sede decoravit. Firmitudinem machinæ bellicæ, aliaque ad arcendam vim collocata instrumenta, & locus à natura modice fastigiatus adjuvant. Imminet ab Austro *Situs.* excelsior mons, atque urbem ita integit, ut qui ea regione advenerint, non nisi è proximo conspicere possint. Templum quidem testudine tenus extans ex Recineti monte, tribus millibus passuum dissito, primum spectatur. Ab Oriente & versus oram Adriatici sinus, quæ quinis passuum millibus hinc abest, amplam habet planiciem, frugiferos in colles, queis crebra sunt imposita castella, versus occasum solis paulatim exsurgentem irriguamque permeantis Mussonis (sive is Aspia fluvius est in vetere Itineraria tabula descriptus) quantumvis tenuibus aquis. Cæterum Lauretana urbs non in ipsa planitie, nec in summo montium vertice, sed medio ferme in clivo sita; cujus fronti, quæ Adriaticum sinum spectat, templum imposi- *Templum.* tum è quadrato saxo, excelsis fornicibus, & tholo laminis plumbeis contecto, ac duodenis columnis grandioribus augustum.

Ædes Virginis. Medio in templo sacratissimæ Virginis Mariæ sanctum domicilium visitur, in quo nata, nutrita, ab Angelo Gabriële salutata, & Spiritu Sancto fuit obumbrata. De quo Baptistam Mantuanum insignem Theologum audi: *Cum nuper*, inquit, *ad Deiparæ Lauretanæ cubiculum venissem, vidissemque qualia & quanta Deus ostendit in eo loco miracula, & suæ virtutis atque clementiæ signa manifestissima; me subito horror invasit, & visus sum audire vocem Domini loquentis ad Moysen: Non appropinques huc, solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Inclytum religione Fanum DIVÆ MARIÆ DEIPARÆ VIRGINIS, ex omni Europa votorum causa huc confluentium frequentia celebratur. *Peregrinorum frequentia.* Etenim nullum omnino tempus anni, nullus mensis, dies nullus abit, quin Sanctissimæ Virginis CELLA à plurimis advenis celebretur. Nec Picentium, Italorumque propria hæc laus pietatis; sed communis est Transalpinis Transmarinisque, maxime vero Illyricis, Francis, ac Belgis. Nec desiderantur Hispani, Lusitani, Poloni atque Germani. Duo tamen sunt anni tempora, populorum gentiumque omnium frequentia ac celebritate præcipua, Ver, & *Celebriora cultus tempora.* Autumnus, quorum alteri dies concepto inibi Deo sacer; alteri natalis Deip. Virginis initium facit celebritatis. Vtraque autem celebritas trimestris est, quo temporis spatio maximis populorum concursibus Ædes Lauretana celebratur pæne quotidie. Namque agri Piceni nulla urbs, opidum, pagus, vicus est, quin catervatim populatimque quotannis Lauretanam Virginem intervisat. *Finitimorum concursus.* Quorum exemplum Samnitium, Vmbriæ, Flaminiæ, Æmyliæ, cæteræque Italiæ populos ad similem religionis cultum invitat. Veniendi ferme ratio talis.

Ordo Processionis peregrinorum ad S. Ædiculam. Præeunt Sodalitates suis quæque insignibus vexillisque distinctæ, plerique enim, præter Christi crucifixi effigiem, Deiparæ, aliorumque Divorum imagines pulcherrime pictas præferunt: agmina claudunt Sodalitatum moderatores, sacerdotesque cum sua cujusque agminis symphonia. Sequuntur dona, argenteæ coronæ, calices, cerei nummis obsiti, pretiosæ

LORETO.
Verso Ancona
Porta marina
PIANTA DELLA CITTA FELICE,
fatta di ordine della S.ª di SIXTO QUINTO,
dal Cap.º Pompeo Horiani da Macerata
con il sito della Città Vecchia. &c.
✝. Segno di tutto il giro della Città.
A. Strada Rom.ª per mezzo il monte.
B. Porta Romana vecchia.
C. Chiesa di S. Casa.
D. Parte fatta del palazzo Apostolico.
E. Parte da farsi.
F. Dove è il Convento di Zoccolanti.
G. Strada, che deve venire dal Ponte di Musione, e girare monte Ciotto, & entrare per la nuova Porta frá li due Baluardi nella strada Romana.

vestes, urbium, opidorumque simulachra argentea, tabulæ votivæ, divinorum beneficiorum B. Maria deprecante partorum indices. Interponuntur sæpe sacrorum Vatum, Sibyllarumque de B. Virgine vaticinantium spectacula. In itinere carmina Deo, Deiparæ, Divisque per intervalla invicem canunt. Obvias urbes cum transeunt, eas ad Lauretanæ Virginis religionem cultumque exemplis pietatis accendunt. Simul ac vero Ædes Lauretana in conspectum se dedit (ea, quia in edito colle sita est, procul conspicitur) extemplo universi prosternunt corpora, & plerumque obortis præ gaudio lacrymis, Deiparam consalutant. Inde in ordines abeunt, instructisque agminibus procedentes canunt Litanias Hymnosque. *Mortificationes.* Nec desunt, qui exutis propere vestibus, paratos ad id saccos induant, comitesque sequantur nudata terga flagellis cædentes. Ad Laureti portam peregrinis sodalitatibus Lauretani sacerdotes linteati procedunt obviam, easque in templum deducunt, campanarum ac tubarum sonitu festivitatem augente. Vbi ad Ædis vestibulum ventum est, advenæ denuo prostratis corporibus impense salutant Virginem, tanto utique animi ardore sensuque, ut cæteri qui adsunt, vocibus illorum emolliti, collacrymare cogantur. Posteaquam ad collucentem facibus lychnisque Deiparæ Cellam perventum est, Divæque effigiem intueri contemplarique cœperunt, *Devotionis excessus.* incredibile dictu est, quæ voces, qui gemitus, quæ lacrymæ, quæ suspiria passim exaudiantur. Deum præsentem adesse facile sentias. Plerique porro divino simul horrore, gaudioque perfusi, adeo sacris illis parietibus adhærescunt, ut inde avelli abstrahique vix queant. Dumque aram Apostolorum, sacrum armariolum, obstructam januam, ipsumque caminum venerabundi contemplantur; dum meditantium animis B. Virgo in iis locis aliquid agens occurrit, nullum intuendi finem, nullum osculandi modum facerent, nisi plurimorum idem petentium ardor obstaret. Finitimorum populorum ferme hæc est ratio. *Exterarum gentium cultus.* At exterarum gentium peregrini alii aut pedibus, equis alii, aut vehiculis gregatim confluunt, plerique peregrinorum habitu ac notis insignes. Verum in dispari habitu advenarum eminet Ædis Lauretanæ cultus idem. Omnibus ferme commune est, ut delictis expiati (nam jussu Pontificis Iulii III. Societatis Iesu Presbyteri Lauretum acciti, ut Domum pietate, audiendisque variarum linguarum nationumque confessionibus augerent.) *Confessio peccatorum, & Communio.* Cælesti deinde mensa reficiantur; plerique autem jactata pecunia, & pretiosis donariis Beatissimæ Virginis aram locupletent. Quanquam dona insigniora Sacelli custodibus tradi solent, ut in codicem referantur, quo eorum, & simul donantium memoria posteritati commendetur.

Hæc de finitimarum atque exterarum gentium Lauretum versus supplicandi ratione. Porro de admirabili translatione Lauretanæ ædiculæ, ejusque situ, structura, priscis novisque ornamentis agendum.

Translatio S. Æ- diculæ miraculosa. E Galilæa migrans in Dalmatiam, indeque in Picenum in sylvam; hinc in collem duorum invicem dissidentium fratrum, in illis locis sedem sibi Deipara Virgo elegerat, ad diversandum magis, quam ad habitandum, minime scilicet diuturnam. Quippe cum eo demum loco, ubi nunc est, ab initio sedem animo destinasset stabilem, & (nisi incolarum accolarumve aliquod delictum obstet) ut speramus æternam. Neque enim ambigi fas est, quin Dei Mater, & Dalmatarum in Illyrico indiligentiam, & immanitatem latronum in sylva & in communi duorum fratrum colle fraterna odia, ut providere à principio, sic vitare potuerit. Nimirum illa istarum rerum satis gnara, ex quo primum tempore Nazaretho Domus excessit, relicto natali solo hunc sibi locum delegit, ubi stabilem ac perennem figeret sedem. Verum enimvero opus fuit ad fidem tam insolito inauditoque antea miraculo affirmandam, ejusdem miraculi frequentatio, ut rem per se incredibilem crebra intra paucos annos mutatio credibilem faceret. Qui enim ambigerent deinde mortales, an Domus illa ex Galilæa esset advecta, cum eandem illi ipsi audissent suo ævo, ex Illyrico in Picenum migrasse, qui vidissent in ipso Piceno intra spatium vix

ICHNOGRAPHIA ECCLESIÆ B. MARIÆ VIRGINIS LAURETANÆ.



Dimidium Palmi Romani.

10 20 30 40 50 60 70 80 90 100

Hac mensura, quæ est palmorum Romanorum centum, hunc Ecclesiæ Supradictæ typum mensurare licebit.

ICHNOGRAPHIA SS. CAPELLÆ, & ædificii circumjacentis.



* *Planum postremos hujus Ædificii gradus exhibens.*

A *Quaternæ facies hancce sanctissimam domum circumstantes.*

B *Spatium SS. Domui ac novæ fabricæ interjacens.*

C *Antiqui ejusdem Domus augustæ muri.*

D *Caminus supra quem Beatissimæ Virginis Imago.*

E *Sanctuarium.*

F *Porta communis Sanctuarii & Aræ.*

G *Ara ex solido lapide, translata simul cum ipsa domo.*

H *Aræ suppedaneum.*

I *Gradus Communicantium.*

K *Armarium, in quo nonnulla SS. Domus utensilia continentur.*

L *Trabs in tabulati sustentaculum priusquam fieret illius concameratio.*

M *Fenestra vulgo dicta* Angeli.

N *Annunciationis altare sub eadem fenestra, in parte exteriori.*

O *Suppedaneum altaris, suis gradibus munitum.*

P *Ianuæ pro ingressu, & egressu ex eadem SS. Capella.*

R *Porta Sanctuarii.*

S *Porta ducens per Scalam Q. supra SS. Capellam, ad appendenda vexilla & lampades in Festis solemnioribus.*

PARIES SACRÆ DOMVS BEATÆ MARIÆ LAVRETANÆ AD MERIDIEM.

[library stamp]

PARIES SACRÆ DOMVS BEATÆ MARIÆ LAVRETANÆ AD SEPTENTRIONEM.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DI GENOVA

POSTICA PARS SACRÆ DOMUS BEATÆ MARIÆ LAURETANÆ AD ORIENTEM.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

PARIES SACRÆ DOMUS BEATÆ MARIÆ LAURETANÆ AD OCCIDENTEM.



A *Fenestra, vulgo dicta Angeli.*
B *Altare Annunciationis.*
C *Suppedaneum Altaris.*
D *Gradus Altaris.*

vix mille passuum, anno nondum circumacto, ter mutasse sedem locumque? Incidit quippe tertia hæc & postrema migratio in annum à Christo nato MCCXCV. qui adventum Sacræ Domus in Italiam est consecutus. Operæ autem pretium est de admirabili ejus situ cognoscere: Situs enim ipse sacrosanctam illam sedem non humana, sed divina prorsus arte manuque locatam facile declarat. Sita igitur est, si qua usquam, ad quatuor cœli mundique regiones, ex Mathematicorum disciplina: neque id solum, sed ex veteri etiam SS. Patrum instituto, qui aras Sacrarum ædium ad solis spectare ortum jubebant. Namque anterior paries, ubi fenestra visitur binos lata pedes, & totidem alta, Angeli ingressu (ut ferunt) nobilis, ad occidentem Solem vergit; posterior, ubi ara est ante B. Mariæ simulacrum posita, vernum fere Orientem spectat, adeo quidem directe, ut per utrumque æquinoctium decem circiter dierum spatio, sol oriens posteriorem, occidens anteriorem aspiciat partem. Itaque per eam sub occasum sol, quam dixi fenestram ingressus ad B. Virginem vespertinus salutator accedit, quando matutinus esse nequit, objectu parietis exclusus. Id adeo etiam post Sacram Domum Templo inclusam observatum ferunt, priusquam adversa Templo facies Pontificiæ domus objiceretur ab occasu. Sinister porro Sanctissimi Sacelli paries ad Septentriones vergit, dexter ad Meridiem. Ac proinde Pontificalium tectorum porticus sane magnifica ad Meridiem versa (B. enim Virgo suæ cellæ seu situm Pontificiarum ædium velut præscripsit architecto) quotidie, cum adversum recta excipit solem, meridiem haud dubium indicat. Hunc autem tam admirabilem sanctissimi Sacelli situm non casu occupatum, sed divino quæsitum consilio vel illud argumento est, quod in ipsa quoque sylva eundem plane situm à B. Virgine optatum (ut Tursellinus à se curiose observatum commemorat) vestigia ostendant. Idem fortasse in colle fratrum accidit; nam ex obscuris vestigiis judicari non potest. Fortassis idem quoque in Dalmatica sede usu venit;

Ædiculæ situs mirabilis.

nihil enim comperti habemus. Sane res ipsa consentanea est: Sacrosanctam quippe domum duo præcipua mysteria, ortus B. Virginis, & æterni Verbi conceptus insignem fecere; quorum ille fere in Autumnale, hic in vernum incidit Æquinoctium.

Ædiculæ structura.

De translatione Ædis Lauretanæ ejusque situ sat diffuse jam diximus; reliquum est, ut Sanctissimæ Ædis structuram, amplitudinem, antiqua & recentia ejusdem ornamenta quam brevissime inspiciamus. Ad structuræ rationem quod attinet, est ea è coctili latere extructa, interiusque sacelli in modum concamerata; at humilis atque angusta. Nulli adeo subterraneo fundamento, sed plano, medioque superbissimi Templi loco insistit: marmoreis quidem parietibus pulcherrime cælatis forinsecus vestitur, sed ii non tam sustentandæ Ædis, quam ornatus gratia circumjecti sunt. Quamobrem ut rei miraculum credere facilius possent homines, sacrum hoc ædificium nullo humano opere, sed Numinis duntaxat omnipotentia à tot sæculis integerrimum consistere, disjuncti aliquantulum marmorei parietes à lateritiis fuere, relictumque patens inter utrosque intervallum.

Lignea materia incorruptibilis.

Lignea hujus ædificii materia non videtur esse corruptioni obnoxia, quam abjegnam licet trabs primaria sacræ ædiculæ pavimento inserta ferroque obducta incorruptibilem indicat; quæ obducto ferro jam consumpto, excavatoque diuturnitate temporis, & terentium multitudine pavimento marmoreo, nec tineas, nec cariem sentit, recenti simillima. Bina parietum latera longiora Corinthiis columnis senis, breviora quaternis adornantur. Imam partem fascia pedalis è marmore Lucullæo, vice stereobatæ, circumplectitur; excipiunt deinde stylobatæ distinguendis spatiis appositi. In spatiis & stylobatis Leonis X. Pont. Max. insignia, virtutumque emblemata sigillis pedalibus atque etiam grandioribus scitissime expressa spectantur: Supra stylobatas columnæ sitæ ad singulos angulos binæ, item interpositæ januis, quæ in longioribus lateribus patentes æreis valvis conspicuæ quadru-

plicem in Sacram cellam aditum præbent. Intercolumnia à loculamentis explentur: loculamenta à statuis divinorum Vatum & Sibyllarum, quas Dei, Deiparæque prænunciati ortus claras fecerunt. eadem porphyreticis crustis vestita, haud facile dictu est, quantum pulchritudinis operi huic universo concilient. Quæ vero inter columnarum scapos spatia patent, ornata signis D. Mariæ vitam ob oculos ponentibus, spectatores religionis voluptatisque quodam sensu juxta perfundunt. Epistylia seu capita columnarum Corinthium in modum exsculpta, coronataque multiplici serto visuntur; subtus apposita leonum rostra & aquilæ encarpos restesque pomorum & similium fructuum mordicus tenent. Vltimus ac summus columellarum ordo, eminentium Angelorum figuris concinne venusteque variatus, pro coronide est, & præbet undique perviam ambulationem ad suspendenda vexilla aliaque id genus anathemata, quæ rei votorum ex diversis regionibus afferunt. Opus hoc ad formam à Sansovino nobilissimo & architecto, & statuario descriptum Leo X. Pontifex cœpit: Clemens VII, prope ad fastigium usque perduxit: Paulus Tertius absolvit. Stetit autem, ut è rationum libris compertum est, aureorum nummûm millibus pæne quatuor & quadraginta.

Iam ædes sacra, cujus gratia tantum opus tantis sumptibus exstructum, & à nobis accuratius fuit descriptum, obtegitur circum undique, & licet parietibus marmoreis non cohæreat, disjuncta, ut dixi, nonnihil: extrinsecus tamen aspectui non patet, intrinsecus spectatur, tangiturque liberrime. Itaque crebro attritu lævigati, & lucentium lampadum repercussibus illustrati muri clarùm splendent; & quanquam nigricent à tanti temporis vetustate, incutiantque tacitum quendam cum religione horrorem, integri tamen solidique adeo sunt, ut æterni videantur futuri: cæteroquin ut in paupere casa, rudes atque informes, neque ad perpendiculum, neque ad regulam exacti; loricati tamen opere tectorio, & veteri pictura obducti, quæ superne multis locis manet; inferne temporis vetustate, attrituque hominum cum tectorio defluxit. Crassi sunt cubitum non amplius, è coctis lateribus saxisque ineleganter constructi.

Ædiculæ graphis.

Tecti lignei commutatio.

Tectum ligneum quondam: sed in æde nihil pulchrius spectabatur; quippe cæruleo pigmento oblita lacunaria, auratisque interjectis stellis assimilabantur cœlo: verum arida materies atque incendio opportuna, tot subter ardentibus lucernis, parentum memoria deposita, & vice laquearium opere testudineato substitutus fornix qui nunc est; nitidus tunc, jam à fumo ater.

Longitudo, latitudo, & altitudo Ædiculæ.

Cæterum licet cubiculum Virginis Lauretanum ædis, ædiculæ, domicilii aliisque nominibus & à nobis, & ab aliis communiter insigniatur; nemo tamen existimet domum esse in cameras plures, contignationesve divisam. unica cella est, longa pedes circiter XL, lata XX, altitudine paululum latitudinem superante, ut Ioan. Henricus à Pflaumern in Mercurio suo; at vero ut Villamontius in Itinerario, longa est pedes triginta tantum, & lata duodenos & medium. In sinistro pariete armarium extat, precatoriis libellis aliisque fictilibus asservandis, ut reor, quondam comparatum; ibidemque ternæ scutellæ, è quibus Iesus puerulus cibum cepit, asservantur. In illo, qui templi fores spectat, fenestra lata pedes binos, & totidem alta visitur, per quam Archangelus Gabriël partus Virginei nuncius humana specie assumpta ingressus perhibetur. Supra fenestram Crucifixus à S.Luca Euangelista in cruce lignea expictus cernitur, qui sæpius ex hac cella ablatus transportatusve pristinum singulari miraculo locum semper repetiit. Fenestræ caminus neque amplus, neque ornatus obversus est; quippe latus pedes duos tantum & medium. Hic cineres (si Villamontio prætereuntibus id cæteris silentio, credimus) etiamnunc servantur, quos tollere de loco nefas est. Proxime ante caminum altare consistit, quod construxisse Apostoli, & juxta atque ædiculam ipsam consecrasse memorantur.

Post altare, quod nunc lapide pretioso

Imago Virginis Lauretanæ.

tioſo contectum eſt, ſupra caminum ſeu ſub ipſa proxime teſtudine Virginis filium ſiniſtra manu amplexantis, dextra ſuſtinentis ſtatua colitur; Nazaretho ipſa quoque cum altari in Dalmatiam, ac porro in hunc locum Angelorum manibus advecta. Cedrina eſt, & fere bicubitalis, ſpecie prorſus peregrina, namque facies velut inargentata nitet: obſcurius tamen, quia luminum circumcirca appenſorum fumo identidem afflatur. Crines paſſi diſcriminatique Nazarenorum ritu, per nuda colli & humeros fluunt; vertex gemmata corona redimitus; cætera corporis ſtola aurata latiore zona adſtricta, atque ad pedes promiſſa velat; cui ſuperinductum cærulei coloris amiculum ex humero pendet. Puer dextræ Matris impoſitus, & Nazareno habitu amictus: talari ſcilicet tunica, zona & diſcriminato capillo, læva auratum geſtat globum; dexteræ manus digitos binos benedicentis in modum tollit. Atque hæc, ut fama eſt, S. Lucæ Euangeliſtæ manu è cedro ſculpta, oblitaque coloribus omnia, ut ab Angelis allata fuerunt, ita manent: ſuperadditis tamen ſericis, argenteis, aureis, gemmeis ornamentis, quibus plerumque ſimulachra qua matris, qua filii ita operta ſunt, ut ligni parum admodum appareat.

Votivæ tabellæ.

Circumcirca ſuſpenſæ votivæ tabellæ, argento atque auro cælatæ, murum penitus obtegunt. dependent è laquearibus magno numero argenteæ lampades, & ſacratam Cellulam illuſtrant. Illud inſuper modum admirationis excedit, nec tantillum quidem è ſacri ſacelli parietibus à quoquam alio poſſe etiam religionis ergo portari ſine inſigni Numinis irati pœna; quippe lapis hic oſtenditur pio cujuſdam magni nominis Prælati, ſed furto temerario in remotiores partes exportatus, reſtitutuſque deinde loco hominem Deo perſequente.

Opulentiſſima donaria.

Iam ad ſacras opes quod attinet; eæ numero & pretio immenſæ Divæ Lauretanæ honori ob creberrima miracula dicatæ alio tutiore in loco ſervantur. Viſa ibi Regum ac Principum opulentiſſima donaria, plurima auro argentoque ſolida, multa inaurata, multa inargentata, quædam gemmis diſtincta atque ornata. Viſa humanorum corporum, membrorumque ſimulachra, aurea alia, alia argentea ex voto donata. Viſæ materiæ ejuſdem, ponderis ac pretii ingentis ſtatuæ Divorum, atque inter eas duodena Apoſtolorum ex argento ſimulachra ſeſquicubitalia, ſingula pondo circiter LX.

Divini miniſterii apparatus.

Viſus divini miniſterii apparatus: calices, patinæ, phialæ, pelves, gutti, thuribula, & id genus complura vaſa ſacris faciundis deſtinata. Viſa ſacerdotalium veſtimentorum multiplex ſyntheſis, artificio, materiæ nobilitate, pretio ac varietate concinna, quo ſacra obeuntium habitus pro Feſtorum ratione mutari ſubinde poſſet. Viſa pallia, chlænæ, dalmaticæ, brachialia ex aureo, argenteo & holoſerico panno, textilibus aureis figuris gravia, gemmis item & unionibus intertextis rigentia. Quid memorem aulæa Mileſia, cortinas, vela altarium, mappas, mantilia, pulvinaria textilibus picturis ornate diſtincta? Quid indumenta D. Virginis ſimulachro veſtiendo comparata? opere juxta atque materiæ præſtantia, ſericis, argenteis, aureis filis contexta, picta acu, nitentia frequentibus margaritis, fulgentia pretioſiſſimis lapidibus; quorum, ut ſileam alia, quod è Belgio ante plures annos tranſmiſſum, adamantum tribus, unionum viginti millibus obſitum, aureorum nummûm quadraginta millium æſtimatur.

Reliqua pariter exculta quis æſtimet? quis enumeret? ſat ſcio obrui ſolere ſpectatores multitudine rerum illuſtrium, cumque ad poſteriora devenerint, non meminiſſe priorum.

Templum Lauretanum.

Nunc Lauretani Templi, perluſtrata accurate ædicula media, graphidem dabimus. Alas ejus ſacella obtinent, venuſtiſſimis pictorum plaſtarumque operibus exornata. Ad ſiniſtras fores Baptiſterium æreum eſt, ita eleganter cælatum, ut ſpectantium oculos quadam voluptate perfundat.

Statua Sixti V.

Nec vulgaris eſt artificii coloſſæa Sixti Quinti Pontificis ſtatua, quam Picentes populari bene merito ante Templum poſuere. Ianua quæ ſubtus ampliſſima pan-

panditur, columnis marmoreis ſtriatis eſt inſignita: binæ ad latera utrimque poſitæ januæ paraſtatis & ſtylobatis ornatæ ſunt.

Cætera templi facies aut Hiſtrico eſt marmore incruſtata, aut vitreis diſcriminata feneſtris. Ante templum patet area ſpatioſa, quam Romani Pontifices geminata porticu incredibili loci ornamento inſtruxere. Alia Laureti conſpicua ædificia pauca ſunt; exiguum enim opidum eſt, à cauponibus, ut principio dixi, & religioſarum rerum propolis potiſſime habitatum.

MACERATA.

Maceratâ Piceni seu Marchiæ Anconitanæ metropolis, situ non dissimilis est Etruscis Senis, in altissimi montis fastigio perbelle extenta, incinctaque frugiferis collibus circumcirca leniter assurgentibus. Condita est eo quo Recinetum tempore, atque ex iisdem vetustæ urbis Helviæ Ricinæ reliquiis: cujus urbis ab Helvio Pertinace Aug. perampliter olim restitutæ amphitheatrum ingens in ripa fluminis Potentiæ, aliaque ædificiorum magnorum vestigia in itinere per agros monstrantur. Extat quoque Maceratæ eximium marmor his literis inscriptum:

Situs.

Inscriptio.

IMP. CÆSARI L. VERI AVG. FILIO.
DIVI PII NEPOTI. D. HADRIANI PRONEP.
D. TRAIANI PARTH. ABNEP. D. NERVÆ ATNEP.
L. SEPTIMIO SEVERO PERTINACI, AVG.
PARTHICO, MAXIMO, ARABICO ET ADIABENICO
PONT. MAX. TRIB. POT. XIII.
IMP. XI. COS. III. PP.
COLONIA HELVIA RICINA CONDITORI SVO.

Fundator.

Quanquam autem hoc elogium Helvium Pertinacem Aug. conditorem Helviæ appellet; non tamen is Helviam primus fundavit, sed eam restauravit solum: fuit quippe in usu Veteribus, ut alibi quoque diximus, conditoris nomen pro instauratore sumere. Et instauratam tantum à Pertinace Helviam è Plinio discimus, qui Helviam Ricinam in quinta regione ponit: scripsit autem sub Imperatore Tito multis ante Pertinacem ætatibus. Itaque ex Helvia Ricina campestri urbe, & ab Helvio Pertinace Aug. restauratore cognominata, pulsi à Gothis cives, alii in citeriores fertilissimos, pulcherrimosque montes transtulere sedes; conditumque opidum, ut patriæ urbis memoria conservaretur, paucis adjectis Recinetum appellarunt; quod è Laureti colle statim adspicitur conspicuo in loco situm, dorsoque montis longe excurrentis ita impositum, ut amplissimæ urbis speciem referat; & est longitudine quidem insigni, latitudine haud quaquam pari, situ prorsus amœnissimo. Alii ulteriores non minus opimos montes insederunt, inque eorum fastigio Maceratam, de qua sermo est, exstruxerunt. Quæ urbs diuturnitate temporis in tantam amplitudinem excrevit, ut Piceni dignissima habeatur; collegium Iurisconsultorum, quod Rotam vocant, cum Legato Pontificio præside totius provinciæ habeat; ibi popularium de gravissimis rebus judicia celebrentur; ibi Picena juventus congregata litterarum studiis operam navet. Agrum habet Macerata perbonum ac nitidum totumque ad aliquod spatium collinum, vitibus, oleis, aliisque fructiferis arboribus refertum. Inde Tollentinum versus jucundissimi campi, viridantibus hinc atque hinc tumulis tecti, ad fauces Cimmaræ vallis porriguntur.

Rota.

Agri bonitas.

Medio ferme spatio eminens in colle Tollentinum ultimum Piceni opidum Laureto Romam euntibus transeundum,

Tollentinum.


MACERATA.

dum, quod Colonia olim fuit, itemque municipium Romanorum: patria etiam extitit Nicolai cognomento Tollentinatis, monachi Augustiniani, insigni vitæ sanctitate promeriti, ut Divorum Catalogo adscriberetur. Venerantur hoc loco pii hospites sepulchrum ejus creberrimis miraculis insigne, una cum brachio, à Germano quodam pie, sed temere ablato, atque ob miraculosam abitum meditantis repulsam, Ecclesiæ & loco suo restituto. A Tollentino crebriores jam colles, obsiti frequentibus castellis, paulatim arctari: tum altissimi montes excipere; intra quos Cimmara vallis jacet, protenditurque longe. Videbis & Centium tortuosum amnem, ideoque crebris pontibus constratum, ex angustiis obviam procurrere, aucto jam alveo liberius spatium in Tollentinatibus agris quærentem.

Sepulchrum B. Nicolai Tollentinatis.

MONS

MONTE FIASCONE.

TRans Martham flumen itinere quod Bolsena Viterbum ducit, saltus occurrit Montis Fiasconis, quem Vulsiniensium lucum prisci dixere. Hic ille est, in quo veteres tanta solemnitate religioneque Iunonis operabantur sacris; unde Ovidius:

Stat vetus & densa præ nubibus arbore lucus,
Aspice, concedes Numinis esse locum.
Aspicit ara preces, votivaque thura piorum,
Ara per antiquas facta sine arte manus.

Emenso hoc luco Mons Phiasconus opidum, Catoni Mons Fisum dictum, præcelso in colle se oculis tuis ingerit: antiquitate id maxima gaudet, & loci *Antiquitas.* situ optimo; quamobrem à Camillo expugnari non potuit: at nunc est non *Situs.* magni momenti; arcem tamen habet *Arx.* munitam. Teutonibus celeberrimum, ut Leander inquit, gratissimumque propter vini Apiani, cum albi, tum vermiculi suavitatem ac dulcedinem. *Vinum Apianum.* Et jam multis annis abhinc, ut ab Henrico Pflaumerio in Mercurio Italiæ refertur, quidam Italus forte hujus Apiani vini cultor, cum illac transiret, ut transibat sæpissime, famulum solitus erat præmittere, qui omnes opidi vinarias cellas perlustraret, inquireretque optimum vinum; quo reperto inscriberet foribus beatæ illius cauponæ: EST, EST; ibi sitibundus herus divertebat, colebatque impense suum Bacchum.

Discite ab unius exemplo vos, qui ejusdem dei numini devoti estis; quod ille præmium tulit, vos quoque manet. opplevit autem corpus ita vino, ut animam ejiceret. Exanimi ergo illachrymatus famulus ridiculum hoc epitaphium composuit, & saxo insculpi curavit:

Propter EST EST *dominus meus mortuus est.*

Quam tamen historiolam lepide confictam arbitror; cum ejus nulla invenerim vestigia in templo, in quo hoc epitaphium ajunt extare. De reliquo antequam Montem Phiasconum attingas, qui Bolsena septem millibus distat, sinistros montes, superque iis prædictum Vulsiniensium lucum transeas oportebit: celebrem olim ludis & sacrorum diversis generibus, quæ ab Haleso edocti Falisci in Iunonis honorem concelebrarunt; atque ab hoc deæ peculiari cultu inditum opido Phaliscæ Iunoniæ cognomen. Ita Frontinus, *Colonia Iunonia*, inquit, *quæ appellatur Phalisca*, *à* III. *viris est assignata.* Hi Phalisci Haleso Argivo Duce è Græcia in Italiam profecti, si credimus Solino, & aliis, condidere in edito monte Phaliscam; quam illi arcem Iti appellant, alii Montem Phisconem, proxime ad hodiernum nomen. Montem enim Fiasconem Itali nominant.

Conditores. Atqui si Phaliscam illam à Solino memoratam & Haleso Duce à Phaliscis conditam Phaliscorum gentis caput constituamus, oportet ei quoque Falerium vel Falerios nomen fuisse; Livius enim aliique rerum Romanarum scriptores, qui maximi Camilli res gestas & domitorum ab eo Phaliscorum historiam literis consignarunt, unam *Nomen.* principem ejus populi urbem Falerios sive Falerium nominant; quæ ipsa Phalisci & Phaliscum vocata, sitaque in arduo monte non minus, atque opidum istud, quod Montem Phyasconem vulgo, & Phaliscorum montem nuncupant. Vnde vereor, ne aut situs, aut nominis similitudo illos deceperit, qui Phaliscum gentis caput non aliud prodiderunt, quam hunc Phyasconis Montem. Caput enim Phaliscorum Falerium vel Falerii in via Flaminia inter Ocriculum & Romam siti, teste Strabone; unde Geographi nostri Civitatem Castellanam ea regione excelso pariter monti impositam Falerios veteres esse autumant, quæ Phaliscorum princeps, à Camillo oppugnata, & in deditionem accepta, atque à Phalerio Argivo, ut tradit citatus Solinus, condita fuerit: Phaliscam autem aliam à Faleriis diversam atque ab altero Argivo Haleso (ut idem Solinus memorat) extructam, quam hodie Montem Phyasconis dicimus, esse Trossulum illud à Plinio nominatum locatumque in Tuscis citra *Trossulum.* Volsinios passuum VII. M. non quidem in Flaminia, sed Cassia via; Cassii enim forum haud ita procul absuit seu in Cimino monte situm, seu in agro opidi Vetrallæ, ubi templo S. Mariæ cognomentum *Forcassi* à Foro Cassii, ut putant. Trossulum illud, seu Halesi Phalisca fuit, equitum Romanorum virtus nobilitavit, qui cum sub Romulo Regibusque Celeres appellati essent; posteaquam Trossulum sine ullo adjumento peditum cepissent, Trossuli cognominari cœpere, ut Plinius & Pompejus Festus observant, quod facinus arbitror eo magis admirabile & memoria dignum visum fuisse, cum esset opidum propter loci situm ascensu expugnatuque difficile. Sed enim quam id olim virtus Romanorum equitum, tam hodie bibulorum præconia ob dulcissimi vini præstantiam copiamque commendant. Porro ultra Phaliscos montes lata atque amœna planities panditur ad Ciminum usque montem, Romanis scriptoribus *Loci amænitas.* cum cognomine sylva & lacu non incognitum, imminentem Viterbio, octavo à Monte Physcone milliari.

NE-

NEPTVNIVM.

Situs. NEPTVNIVM utcunque elegans supra abruptum Tyrrheni maris littus agri Romani opidum, cum arce sat valida ditionis est illustrissimæ Columnarum familiæ. *Arx.* Blondo dignum observatu videtur, quod Neptunii incolæ quanquam fertilem agrum habeant, & vino frumentoque abundantem, ut plurimum tamen piscationi atque aucupio vacent, propter loci ad hæc studia commoditatem; *Incolarum exercitia.* piscium enim affatim propinquum mare glareosum habet, & vicinæ sylvæ apros, capreolos leporesque copiose suppeditant; volucrum, & inprimis coturnicum, ac palumbium innumerabilem multitudinem sub Veris atque Autumni initia transmarinæ regiones mittunt, quas volucres longo volatu fessas dispositis per littora cassibus Neptunii cives excipiunt. Sed ut hujus opidi originem accuratius intelligamus, paulo altius antiquitatis repetenda memoria est. *Origo.*

Proxime Neptunio abest Antii promontorium, vulgo *Capo d'Anzo*, pulsaturque adeo ab impetuoso mari; ut haud ferme sine periculo navigia applicentur. *Capo d'Anso.* Portum Antiatem hic fuisse, quem Claudius Nero Antii natus restaurârit ornâritque insanis operibus, ex Suetonio scimus; cujus existimo illa rudera esse, quæ passim mersa profundo exstantiaque alicubi creduntur, quod con-

consuetum maris fluxum impediant, & ad tantum furorem undas excitent. Itaque Antium hoc loco, qui binis Neptunio milliaribus distat, extitisse manifestum est. Fuit Antium Volscorum quondam caput, sic dictum ab Antio, uno ex Vlyssis & Circes filiis, opidum Fortunæ templo celebratissimum, & re maritima potens. Templi cum Tacitus lib. 3 Annalium meminit, tum Horatius lib. 1. odarum Fortunam sic alloquens:

Antium.

O Diva gratum quæ regis ANTIVM,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

Fuisse mari potens opidum Dionysius perhibet, qui Antiates tam insolentes atque audaces fuisse memorat, ut Legatos è Sicilia cum frumento Romam missos interciperent. Idem alio in loco refert à T. Quinctio Cos. captum deditione Antium, partemque agri ejus attributam populo Romano. Cæterum instauravit Antium Nero Imperator impositis colonis, & portu, de quo supra, operis sumptuosissimi facto, qui non in alia re damnosior quam in ædificando, ait Suetonius, cum in hoc opere, tum in aliis diversis totius Imperii censum & thesauros absumpsit; adeo ut exhaustis, repentina spe cujusdam indicio pollicentis immensas & reconditas opes Didonis in Africa specubus abditas, illudi quoque sibi pateretur. Tacitus eidem Antii filiam ex Poppæa conjuge natam, Augustamque dictam scribit. Livius Antium cum Ostia, unde CCLX. stadiis abest, ut Strabo notat, immune factum narrat, quo tempore cum Romanis in Italia bellum gerebat Annibal, ut illo beneficio devinctæ civitates in fide pop. Romani constantiores, atque in auxilio ferendo promptiores essent. Paucissima nunc Antii supersunt vestigia: Blondus autem juxta littus ædificiorum ruinas apparere scribit, è quibus facile urbis amplitudo æstimari queat. At nihil ejus extare censet Volaterranus; sed propter desolationem Antii Neptunium hic in littore conditum, aut verius ex Antii ruinis instauratum. Idem vetustate deformatum illustrissima Columnarum gens recentioribus temporibus in modernorum opidorum formam erexit. Agrum Neptuniensem quondam Mauri incoluere; unde etiam nunc Neptunienses in victu cultuque Maurorum fere morem adumbrant. Plura de Neptunio Franciscus Guicciardinus atque Alexander Andreas in suis historiis meminere.

Nero instaurat.

Neptunii instauratio.

Mores.

NVR-

N V R S I A.

AB Arcadiæ regibus genus ducens Enotrius Sabinorum Rex fuit. Ab hoc Thuſcorum Rex Vrſus deſcendit, à quo, ut quidam autumant, condita Nurſia, Vrſa primum fuit nominata, tum Nurſa, denique Nurſia. Verum aliis diverſum opinantibus à Norſino rege Enotrii nepote principium traxit & nomen, vel potius à Norſa Fortunæ Dea præſide, à Thuſcis adorata. Norſinus fratrem habuit Imbronem, qui Samniticum regnum magnamque Apuliæ partem tenuit eo tempore, quo Peleus magni Achillis genitor ad iſta loca pervenit. Sabo etiam, quem cum Norſino nonnulli confundunt, ibidem regnavit, à quo hæc Vmbriæ pars Sabina regio dicta fuit; quibuſdam Sabellicis, deinde Samnitibus dictis; quos tamen Nurſinos fuiſſe Silio Italico perſuaſum, ab eo in Scipionis armiluſtrio contra Carthaginenſes numeratos; Sabum regem ſuum magnificis tum laudibus extollentes.

Nomina. *Conditor.*

Ab his caſtellum quoddam Nurſia tribus tantum milliaribus diſſitum fuit ædificatum, Sabellum olim, hodiedum vero Savellum dictum, à Sabi nepotibus habitatum continue, atque poſſeſſum. Veſpaſus deinde hujus regionis potitus, ſex à Nurſia milliaribus Caſtellum Veſpaſia, barbare Veſpia in monte Veſpaſio adhuc dicto à poſteris ejus Veſpaſianis habitatum condidit. Poſtea Plotus quaſi Plutus, qui ab Arcadibus opum largitor putabatur, & alii reges, ut credibile eſt, in Sabina regnaverunt, ſublata tanta longinquitate temporum omni hiſtoria. Ab his etiam palatium eorum regium civitate circumdatum fuit, quam ideo Palatinam dixere, montemque in quo poſitum fuit palatium, Palatinum, tum Paltinum, nunc Patinum dictum. Aliam civitatem Rodoflanum nominarunt, quaſi Rodoflaon, quod nomen Arcadibus victricem roſam & cuncta proterentem ſignificat, & corrupte *Roſlano*. Alia Tholentia iis dicta Arcadum lingua turbatrix, alia Grappa, aliæque in eadem omnes planicie ac regione poſitæ, quæ Nurſiæ regio cœpta tum fuit appellari. Arcem quoque magni nominis fabricarunt, quam à nominibus ſuis montem Coritum dixerunt, hodie Montem Corvum, ſed corrupte, ut Albertinus ſcribit, antiquiſſimi quippe reges Coriti vocabantur. Inſignia Nurſiæ civitatis Regumque Nurſinorum ab Æneæ in Italiam adventu iſtis fuerunt temporibus roſa una, pluresve; deſcendentes etenim (ut à veteribus diſco) ab Aceſte cognato Æneæ, hoc inſigni ſuo propinquitatem & conjunctionem ſe inter & potentem ac victorioſam Æneæ domum, (ut quibuſdam viſum) demonſtrare voluerunt, quam vana ductum ſuperſtitione tres roſas Punicas, inſigne ſibi ſumpſiſſe, ut Venere Dea genitus putaretur, ſic natalium ſuorum ignominiam tegendo, conſtat. Ante Æneæ tempora credibile eſt hos reges tres cataractas rubras in campo argenteo cum aliquot plectis habuiſſe, ad denotandum iſtis Iuſtitiæ ſe vindices eſſe; his à Græcis ſe oriundos, quos Homerus in Iliade paſſim comatos vocat. Quare regia eorum eximia turri decorata à purpureis floribus roſiſque Roſeæ floridæ, Turris floridæ, vel Roſeæ etiam Comatæ argenteæ nomina accepit; veluti in quadam ſectione Chronici Nurſini Vallicellana in bibliotheca Romæ aſſervati his omnibus modis appellatur. Ab Arce florida, quemadmodum conditores & habitatores civitatis Roſinæ, deinde Caſtelli Roſeni (donec tandem ex hoc in Alvianorum ditionem perveniſſet) unde S. Florentius reliquique Florentii dicti; ſic à Regiis Satrapis ex optimatibus ejus geniti inclyti heroës fundatores caſtelli Roſeni aut Roſani. Vnde haud dubie Regia Virgo S. Roſina aut Roſana cum matre ſua nominis ejuſdem priſco more ab hoc ſuo dominio appellatæ fuerunt. Sed ut unde diſceſſum eſt, redeamus, militem ſuum Nurſia (ut alludit

Savellum. *Veſpaſia.* *Mons Palatinus.* *Roſlano.* *Tholentia.* *Monte Corvo.* *Inſignia Nurſienſia.* *Turris florida.*

NORSIA.

1. S. Benedetto de' Celestini.
2. Piazza Maggiore.
3. Castellina del Governatore.
4. Palazzo de' Sig.ri Consoli.
5. S. Francesco de Conventuali.
6. S. Angelo, Oratorio et Hosp.e
7. Piazza di fonte secca.
8. Oratorio della Misericordia.
9. S. Maria Madalena, Hospedale.
10. S. Lucia, Monache.
11. Piazza delle Piaggie.
12. Porta delle Piaggie.
13. S. Gironimo, oratorio.
14. Porta S. Leonardo.
15. S. Leonardo, Scole Pie.
16. S. Giouanni, Collegiata
17. Porta S. Giouanni.
18. Piazza S. Giouanni.
19. Monache della Pace.
20. Monache di S. Antonio.
21. S. Spirito, Priorato.
22. Porta di Patino.
23. Oratorio di S. Agostino.
24. La Madonna de gli Angioli, oratorio.
25. S. Chiara, Monache.
26. S. Caterina, Monache.
27. S. Agostino, Agostiniani.
28. Piazza di S. Agostino.
29. S. Giacomo, Comenda di Malta.
30. Piazza di S. Iacomo.
31. Porta de' Massari.
32. S. Benedetto, Oratorio.
33. Il. Sagramento, Oratorio.
34. Piazza S. Lorenzo.
35. S. Lorenzo, Oratorio.
36. La Trinità, Monache.
37. S. Maria, Collegiata.
38. Porta del Colle.
39. S. Vincenzo, Domenicani.
40. La Nuntiata, Osservanti Reformati.
41. Li Capuccini.
42. S. Scolastica Benedettini.
43. S. Bernardino, oratorio.
44. Piazza
45. Porta
46. La Madona delle gratie.
47. Madona di Loreto.

Magnanimitas. Tiraquellus in tractatu de nobilitate) contra Trojanos Arcadibus avis junctum misit, quem Homerus in armilustrio recensitum non mediocri laude prosequitur. Venientibus in Italiam Trojanis nulla propinquitatis habita ratione primi illos aggressi sunt Turno bina agmina militum submittentes, ut pulcherrime canit Virgilius septimo libro Æneidos:

—— *Quos frigida misit*
Nursia, & Hortinæ classes populique Latini.

Indoles. Frigida, hoc est temperatior purgatiorque ad bonos mores generosasque actiones plurimum conferens, & paulo post alius agminis meminit, non ex Nursinis sed populis subditis Æquicolis nominatis conflati, aliquot dierum itinere Nursia distantibus, sub Nursinarum civitatum ductore Turno; unde cecinit Poëta:

Te quoque montosæ misère in prælia Nursæ,
Vfens insignem fama, & felicibus armis.
Horrida præcipue cui gens, assuëtaque multo
Venatu nemorum, duris Æquicola glebis, &c.

Nursini Sabinis annumerati. Inde, quod Nursini peculiariter Sabinorum numero censerentur, ut Livius ait, Plutarchus, Plinius, aliique classici antiqui, nascentem Romam destructum profecti ad vindicandum raptum uxorum filiarumque suarum, quæ genitrices postmodum dominatorum orbis terrarum fuerunt, certa lege in Capitolii Augustissimi partem admissi sunt *Nursia Municipium Romanum.* ex Nursia quasi eadem cum Romana urbe munia capiens creata Almum Municipium Romanorum, quod nomen adhuc apud Bembum in quadam Leonis X Epistola Latine edita, & alios retinet: dignata quoque fuit, secundum Sigonium *Præfectura Rom.* in libro de antiquo jure Italiæ, Præfecturæ dignitate, inter quatuor numerata, quæ erant Nursina præfectura, Reatina, Curetensis & Nomentana. Nursia etiam quotiescunque contra Pœnos aliosve Romani nominis hostes numerosiore milite itum est, prima virorum suorum adjunxit, ut Titus Livius & alii histo- *Nursini Heroës.* rici loquuntur. Inter cæteros Nursinos Heroës primam laudem meruit Sertorius, vir nobilis, qui bellica fortitudine præstans, Hispaniæ se Regem imposuit, atque Alexandro, Hannibali, Scipioni, Cæsari, supremæque Romanorum potentiæ par extitit; quemadmodum Plutarchus & Livius testantur, aliique primæ notæ auctores. Ex hac gente Sertoria multi heroës prodierunt, quorum antiquas inscriptiones ipse Gruterus allegat. Lucius Plotius, quem splendidissimum Equitem Cicero & Suetonius appellarunt, etiam Nursinus fuit (& hic Nursiæ à multis est inscriptionibus ex monumentis notissimus) qui è Ploti regis fuit (non autem Plauti Comici) generosissima prosapia inter primas patritias & consulares habita, ut cum Reusnero & Augustini numismata designant. Lutius Plotius igitur Consul fuit, Romanorum Dux victoriosus, Plotius Vennus ejus filius, P. Æmilius & alii multi Consules Romæ fuerunt, qui ab eodem Reusnero de hac gente crediti in catalogum Romanorum relati sunt. Sed Nursia à *Septem Nursini suæ Gentis gloria.* septem suis Nursinis plus, quam à cæteris omnibus gloriæ est adepta, hi enim in Mutinensi prælio Romanis jam ad fugam inclinantibus quasi septem Sertorii magnitudine animi sui animum reddiderunt: sed cum pertinaciter pugnando tandem occubuissent, monumentum iis erectum fuit, virtutem eorum prædicans inscriptione adhuc hoc modo loquente:

Eorum Encomium.

HI SVNT SEPTEM NVRSINI,
SEV SEPTEM NVRSINORVM FACIES,
QVI STRENVE
PRO LIBERTATE CERTANTES
OCCVBVERE.

Singulare profecto encomium Martialium horum virorum, quasi unusquisque eorum nil aliud in bello fuisset, quam quædam facies invicta atque immota audacia. Quam inscriptionem, ut Raphaël Volaterranus lib. 6. & alii primæ classis scriptores inquiunt, quasi sibi in exprobrationem factam Augustus tulit iniquius. Inde Nursini de septem faciebus, hoc est de septem heroibus Mutinensibus se esse derivatos jactitarunt.

Non minorem gloriam Nursiæ Nobilissima gens Vespasiana attribuit, quæ olim in dicto eorum castello floruit cum millenis Heroibus usque ad Pollionem

Vespasiorum posteritas inclyta. lionem Vespasium terna vice militum Tribunum, bellique præfectum, ac fratrem ejus Præfectum Prætorio. A Pollione, ut Suetonius Tranquillus observat, nata est Nursiæ in patria sua inclyta Polla Vespasia, Berecynthia Imperatorum, ex qua progenitus Vespasianus Cæsar, ab eo Titus & Domitianus nati; ab his Claudius & Quintilius Imperatores, à quibus descendit Constantius Clorus, Constantinus Magnus, Crispus, secundus Constantinus, Constans, & Constantius, & damnatæ memoriæ Iulianus, omnes Nursino de sanguine Imperatores; ut narrat peculiariter de Constantino Cardinalis Baronius, cum Trebellio, Annalium suorum tomo 3. & ulterius ex nummis Obeliscis atque arcubus triumphalibus colligitur, in quibus Constantinus cum reliquis suis Flavii prænomine à Vespasianis Nursinis hæreditario accepto præsignitur. De Vespasiis si plura libet audire, ab iis processit Familia Angela Flavia, quæ per sæculum Græci Imperii habenas moderata est; ab iisdem Flavii, Annii, & Flavii Annicii cum Claudiis venere, (veluti ex ligno vitæ Arnoldi, apud Gruterum & alios ex multis inscriptionibus elicitur.) à quibus, ut quamplurimi autores perhibent, Habspurgenses Comites procedunt atque Augustissima & Invictissima Domus Austriaca. Castello Rufino aut Rosano, postea barbare Vrsino & Orsano dicto, quo nomine adhuc in confinibus Nursiæ indigetatur, inde ejus domini Vrsini etiam fuere denominati (consentiente in hoc Castaldo Metallino, qui Bonifacii VIII tempore scripsit, cum Tarcagnotta & aliis probatis autoribus;) qui hac de caussa æternas Arcis floridæ rosas, cataractas tres rubras in campo argenteo, & plectam transversam insignia retinuerunt, unde ab antiquis habiti sunt (majori sane fundamento quam Zazzera & Sansovinus, cæterum non improbati autores, penetraverint) pro descendentibus ab Arcadiæ regibus, & Lycaone, & ex materna linea ab Aceste, hac de causa, inscripti fuerunt descendentes ex Vmbria, propinqui supradictorum Cæsarum & modernorum Augustissimorum Imperatorum, cognati item S. Benedicti, ut Simonetta de Christianorum persecutione, Platina de antiqua editione, & alii multi historiographi scribunt; accedit quod in Ecclesia S. Pauli, extra Romæ mœnia antiqua, quædam imago adhuc exhibeatur S. Benedictum repræsentans, cum duobus Vrsinorum insignibus; hæc ratio est cur tam multa in Archivis & antiquæ Nursiæ monumentis hac de gente inveniantur, præcipue vero de filiis Zebaldi Vrsini & de Gentili, dicto de filiis Vrsi. Inde Spoleti dominium obtinuerunt, & alludendo Castello suo Orsino, Orsano, etiam Orsajæ dicto, & non amplius Rosino vel Rosano, Vrsi sibi nomen dederunt, hac forte occasione monimentum ex animalibus affectantes, secundum sententiam Castaldi Metallini. Dum Annii aut Claudii, quæ combinata fuere nomina hanc Nursiæ regionem cum reliquo Narinæ Vmbriæ incolerent, descendit ab eis Claudius Millæus, qui prope mœnia civitatis Nursiæ Arcem Saxariam immensi operis molem inhabitavit; & juncta sibi in matrimonium Diana Patronontis filia, Tursii sorore, quæ in Arce florida residens supradictæ Palatinæ civitati dominata fuit; ab eo tempore Saxaria arx, fuit arx Diana nominata, ut Chronicon Nursiæ antiquissimum enarrat. Ex Millæo & Diana Nursiæ comitibus, ut in dicto Chronico scribitur, nata fuit Abundantia comes, virgo non minus animi quam corporis pulchritudine pollens, cujus amore captus fuit Eutropius Cæsarianus, (non Anicius neque Austriacus, ut moderni quidam volunt paternam cum materna linea permiscentes, sed Iustiniani Imperatoris filius, & Iustini nepos, quem infima conditione natum nulla majorum laus commendavit: veluti Nursinum chronicon cum antiqua quadam in Martini Crusii (in Eccl. Rom. damnati scriptoris) historia Germanica inventa inscriptione collatum manifeste indicat.) Hic Eutropius cum eversione Tholentiæ civitatis, ac morte Tursii Fuscique & aliis casibus intervenientibus pacata esset Nursia, ad Abundantiam egregia forma atque ætate integra virginem animum adjecit, & cum eadem matrimonium contraxit, Nursia in dotem & residentiam accepta. His paren-

Marginal notes: *Familia Angela Flavia.* — *Fl. Annicia.* — *Claudia.* — *Domus Austriaca.* — *Vrsina.* — *Spoleti Domini.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

parentibus nati S. Benedictus magnus ille sol Ecclesiæ Catholicæ, & S. Scholastica soror vera sanctissimæ puritatis luna; hinc, ut quibusdam visum, ex parte Millæi comitis hi Sancti Anicii sunt & Austriaci; ex parte Dianæ, Arcis floridæ seu Turris roseæ Comitis, Vrsini sunt. Non obstat tamen, quin iidem ex magni nominis principum Savellorum sint genere, qui, ut constat, à castello suo Savelli originem ducentes & nomen, teste, præter alios gravissimos autores, Raphaële Volaterrano lib. 32. à principibus & regibus Nursiæ quoque descendunt, ut supra insinuavimus de posteris Sabi, perpetuis castelli Savelli habitatoribus; phrenoschema regium, rosam scilicet Arcis floridæ, rubras cataractas in campo argenteo, plectam transversam, additis Pier-leonum leonibus & Columbariorum columba adhuc præ se ferentes.

Familiæ Nobiles. Nursiæ etiam suos inter Claudios Clodius floruit nobilissimus eo tempore sculptor, quo cælandi ars pingendique à solis fuit nobilibus exercita. Hic dum Iovi statuam sculpendo excitare rogaretur, Christianus esse deprehensus, morte affectus martyrii coronam meruit, ossibus ejus in templo Nursiæ vicino reconditis, ibidem insignium miraculorum patrator existit. Tandem ex iisdem Claudiis progenitus Demetrius comes in Nursiæ successit comitatum, eoque moriente soror ejus Domitilla; quæ Attoni cuidam patrueli suo atque Anastasii nepoti matrimonio conjuncta Attones Comites Attone arcem, dictam *Vall' Attone & Vall' Accone*, & in montis jugo positam incolentes progenuit. (Conti Attoni.) Eidem Anastasio nepos ex primogenito fuit Petrus comes, qui Romanam comitem à Carolis Galliæ regibus oriundam, ideoque Gallicam reginam à vicinis Nursiæ Fregellanis appellatam in matrimonio habuit, ab his haud procul à Castello eorum, *Mevale* dicto, in hac Nursina provincia nati sunt comites, Benedictus filius, Livius nepos, Offredus pronepos, qui in Vmbria arcem condiderunt, cujus Chronicon antiquum R. P. Ioannis Baptistæ Bracceschi, ordinis Prædicatorum, laudati à Baronio in martyrol. de S. Ezech. tomo 1. de nobilitate Italiæ mentionem facit; Romanæ vero meminit genealogia Liviana abs Luca Alberto Petti Canonico & Doctore composita, & historia à Livio comite compilata, quam Romæ Vallicellana custodit bibliotheca, qua in re Petti consonat cum aliis collatus scriptoribus. Ab eodem Livio idem castellum Livianum fuit nominatum, & ab eo derivata prosapia Liviana, fortissimorum jugiter heroum fœcunda mater. (Liviani.) Ex hac *Bonconte* comes venit, recuperata feliciter terra Sancta vice turris antiquæ Phrenoschema meruit crucem sub Romanæ Liliis depictam. Ex eadem gente profectus Offredutiolus dux bellicosi populi Perusini, Conradus item, Pandolphus aliique insignes. Inclytus dux Bartholomæus Alvianus sive Livianus magnus bellator & Venetæ militiæ supremus præfectus eundem ortum agnoscit, qui bellica scientia, solum priscam inter atque hodiernam bellandi artem differentia habita, ipsi Sertorio non fuit inferior, veluti à melioris notæ scriptoribus gestarum rerum illius & hujus temporis edocemur. Ab his nobilissimis comitibus Attonibus, sæpe & Attis cognominatis, Domini de Attis cum Livianis, Leonibus & Pinis existunt, qui ab Attila sibi nomen imponunt. (Leoni. Pino.) Ab iisdem venit Ranierus *Bonconte*; à quo sunt Ranieri comites *Belvedere*; & à cognatis Livii *da Rocc' Albrici* Alexius processit, hinc posteri id nominis habuere. A Riguardato deinde, qui è nobilissima S. Benedicti fuit cognatione Riguardatus extitit (nomen à verbo *riguardare*,) à quo Riguardati Nursina in regione florere cœperunt. (Riguardati.) At multo ante Fusconii ad Lampridium ortus sui initium, qui senili consilio periclitanti ad fauces Nili contra Ierosolymitanos exercitui Titi salutem attulit. (Fosconi.) Exinde S. Abundantiæ temporibus, Passimius magnus Gigas Grappæ dominatus est, fraterque ejus Armensius Rodoflanio, à quibus Passarini Nursini originem trahunt & nomen. (Passarini.)

Nursia (licet hodie à se ipsa multum discesserit, peculiariter situs ratione & statutorum diversitate; ex antiquitate in modernarum urbium transfusa novitatem, positaque nunc à latere planitiei

tiei late patentis montibus circundatæ) ex quo reipublicæ formam subiit, quod imperante Friderico contigit, semper sui arbitrii extitit; donec tandem multis civilibus bellis fatigata Romanorum se Pontificum felicissimo submisit imperio. Aurcam quoque & argenteam monetam cudit, ex argentea adhuc nummi supersunt cum nota leonis, qui civitatis fuit insigne. Populosa fuit omni tempore, & hodiedum intra Nursiæ mœnia sunt mille foci cum trecentis; triginta sex castellis dominatur, natura loci munitis, fertili solo atque aëre salubriore gaudentibus; pagis octodecim, qui cum castellis combinati terna millia focorum & amplius comprehendunt.

Nursia Rom. Pontif. subjecta.

Populosa.

In septem est divisa Nursia regiones seu partes, quarum unaquæque peculiari porta, platea, ac limpidissimarum aquarum fonte decoratur, quæ ad particularia incolarum domicilia quoque trahuntur. Territorium Nursinum explicat se usque ad Camerini, Spoleti, Fulginei regnique Neapolitani confinia, quaquaversum spatium duodecim milliarium percurrens. Nursiam Turbido flumen liquidissimum juxta atque mirabile loco plano præterlabitur, quod diversis è rivulis in medio campi cujusdam scaturientibus corrivatum alterno septennio fluminis nomen arenti alveo deserit & alterno quandoque etiam citius resumit alveum viridioribus jam ripis amœnum; deinde defert se cum rivulis cæteris in Narem flumen vicinum, claritate aquarum, atque truttarum, sapidissimarum copia insigne; neque ullorum præterea piscium ferax, quod Tyberino postea amni miscetur. Dicti fluminis Turbidonis diversi Poëtæ meminerunt, & temporibus nostris R. Pater Ludovicus Verruccius Capucinus, auctor Sacri Heroici poëmatis; Antonius Eremita, & Ioannes Baptista Lalli Doctor uterque Nursinus, quorum poësis & jocosa & Heroica satis percrebuit. Nursino etiam in territorio est mons, Victor dictus, altitudine omnia Appennini juga exuperans, à cujus latere loco ob altitudinem inaccessibilis lacus est vulgo crypta Sibyllæ dictus; & ad radices ejus planities amœna vicinis eam montibus in amphitheatri formam spatiumque cogentibus. De hac Sibylla curiosa quædam, seu fabulosa potius, miscet Lalli in Poëmate suo Heroico, cui Titus sive Ierosolyma desolata nomen est, sicut etiam in sua Moscheide ejusdem recordatur.

In septem regiones divisa.

Il Torbidone *fluvius.*

Monte Vittore.

Nursia antiquitus sibi ipsi gubernatores imposuit merum & mixtum imperium habentes, donec, ut diximus, Ecclesiæ sponte sua subjiceretur. Et hodiedum jus retinet appellationis Iudicem eligendi, quem Capitaneum appellant, qui civilibus controversiis, & turbationis appellationis & à sententia gubernatoris provocationis causis dijudicandis constitutum, qui hodiedum retinet præeminentiam præfecturæ, qua gaudebat Nursia, ut diximus, Romanorum temporibus, & à Summis Pontificibus ad gubernationem mittitur de more non infimæ notæ Prælatus, qui titulo Præfecti Nursiæ & Montium residet in arce Castellina dicta, & huic præfecturæ subjacent regiones Vissi, Montis Leonis, Cerreti & Arquatæ, & in judicio secundæ instantiæ Cascia. Magistratus civitatis Consules vocantur, bimestris tantum est, residetque in splendidissimo tapetibus & supellectili argentea instructo palatio palatina eaque purpurea chlamyde indutus, famulitio suæ dignitati necessario stipatus. Ipse magistratus in causis damni dati aliisque extraordinariis jus dicit, præcipue sollicitus annona ut suppetat, in quam impendunt quotannis ne decrementa patiatur, duodecim scutorum millia, & hoc in genere omnibus vicinis populis in exemplum esse potest.

Regimen.

Prefetto di Norsia e Montagna.

Consoli.

Hic Doctorum etiam collegium est, qui trigesimum, nonnunquam quadragesimum numerum excedunt, ex quibus alii se officiis & regimini applicant, alii causarum patrocinia suscipiunt, aut Romæ aut in propria patria.

Collegium Doctorum.

Hic antiquissimum S. Iacobi templum est, Equitum Melitensium Commenda insigne, possessa pridem à Commendatore Fratre Claudio Attoni, & nuper adhuc quadraginta annis & amplius à commendatore Fratre Ioanne Pietro Zitelli, qui diem suum obiit anno 1600 utroque indigena.

Templum S. Iacobi.

Hic quoque sed extra Nursiæ mœnia Com-

La Comenda di S. Lazaro. Commenda S. Lazari spectatur, à diversis oppidanis obtenta,& nuper à Stephano Berardelli Equite, deinde Mutio Muti nobilissimo Romano præter alios hujus ordinis & S. Stephani Equites possessa. l'Abbatia di S. Eutitio. Hic & Abbatia S. Eutitii est ejusdem & aliorum Sanctorum clara cineribus, cui diversi Cardinales præfuerunt, & nuper Abbas Crescentius, Cardinalis ejusdem cognominis frater, præfuit singulari zelo, in sibi subjectos spiritualem juxta ac temporalem promovens jurisdictionem.

Ædificia Sacra. In ipsa Nursia binas spectabis collegiatas Ecclesias, unam S. Matri Virgini, S. Maria. in qua Plebanus cum Canonicis aliisque clericis residet; & alteram S. Gio-uanni. S. Ioanni patrono dicatam, ubi Prior cum Canonicis residet,& aliis minorum gentium clericis. Monasterium cum S. Benedetto. Ecclesia S. Benedicti & hic videbis eleganti structura magnificum, habitatum numeroso Monachorum Cælestinorum agmine, abbatiæ & parochiæ titulo decoratur. In hac Ecclesia subterranea capella est, quam cubiculum fuisse ajunt, in quo idem S. Benedictus hanc lucem primum aspexit. Alia præterea parochialis Ecclesia S. Augustinum patronum S. Agostino. colens, cernitur, ubi patres Augustiniani resident; & tertia parochialis itidem S. Francesco. S. Francisco Sacra Conventualium Franciscanorum eorumque Guardiani habitatione ornatior est. Et exstructa non ita pridem Ecclesia cum Monaste- Le Scuole pie. rio pro Scholarum piarum patribus haud silentio prætermittenda est,in quibus adolescentuli cum liberalibus artibus tum bonis Christianisque moribus imbuuntur, & extra Nursiam Dominicanorum, Fratrum strictioris observan- *Monasteria.* tiæ & Capucinorum sunt Monasteria. Sex Monialium sunt intra Nursiam cœnobia; scilicet S. Mariæ pacis, & S. Claræ, Patrum strictioris observantiæ inspectioni subjectum, S. Catharinæ, S. Antonii, S. Luciæ & SS. Trinitatis, quod Illustrissimo Episcopo ejusque ministris dicto audiens est.

Confraternitates. Nursia etiam novem confraternitatibus & oratoriis Laicorum singulariter honestatur, nimirum S. Mariæ Angelorum, S. Bernardini, Sanctissimi Sacramenti, quæ ceram suppeditat pro quavis ægrotorum occurrente necessitate; Misericordiæ, quæ mortuis sepeliendis intenta est, S. Hieronymi, S. Augustini, Gonfalonis, S. Benedicti, Sanctissimi nominis Iesu, quæ omnes ad unum Christianæ charitatis opera continue exercent, processionibus intervenientes instituentesque in Ecclesiis suis per vices orationem quadraginta horarum, & pauperibus, incarceratis aliisque privatim egenis singulis septimanis panem subministrantes. At præcipue Fratres misericordiæ sumptibus suis publicum hospitale sustinent, quo peregrinos excipiunt, mendicis prospiciunt & infirmis curationem adhibent; præter alia minora hospitalia quibus viri & mulieres separatim excipiuntur magno affectu Christiano.

Nursia omni tempore & armis & literis & sanctitatis gloria claros progenuit; *Viri illustres.* & modernis tacite præteritis, Benedictus Riguardati Nursinus Francisco Sforzæ Duci à Consiliis vir literatissimus floruit eo tempore, ut testantur Coirus & Blondus ejus coætaneus, doctissimum de tuenda Sanitate librum posteritati relinquens. Franciscum etiam Tebaldeschi Nursia vidit anno 1363, de quo adhuc legitur in domo ejus elogium: *Franciscus Tebaldiscus Presbyter Cardinalis S. Sabinæ creatus ab Vrbano Papa Quinto die* XXII *mensis Septembris, anno Domini* 1363. Ex eadem familia prodiit Robertus Tibaldiscus, Episcopus Civitatensis creatus ab Iulio II 20 Februarii anno 1511; & Aurelius Tibaldiscus, Episcopus Ferentinus creatus à Iulio III anno 1550. Benedictus Attonius Episcopus Assisinus anno 1417. Adrianus Fusconius Episcopus Aquinatum, creatus ab eodem Iulio III. Ioannes Comes Desiderii Parmensi in civitate primum Serenissimorum Ducum Alexandri & Ranucii Farnesiorum viginti annorum spatio consiliarius, postmodum Reatensis Episcopus à Clemente Octavo creatus anno 1603. Prædicti Poetæ Ioannis Baptistæ Lalli avunculus Antonius Seneca, Episcopus Anagninus, sanctitate vitæ præclarus, Carolo Boromæo familiarissimus, cujus domesticus quatuordecim annis fuit, Decanus primum Cathedralis Ecclesiæ Mediolanensis, Reformator & Visitator Apostolicus, creatus à Paulo V. Episcopus, & plu-

pluribus annis S. Petri Vicarii munere functus.

Longum foret recensere eorum nomina, qui omnibus sæculis, militarem Sertoriorum, Plotiorum & Vespasiorum gloriam hæreditario acceptam ad posteros ipsi inviolatam transmiserunt, è quorum numero fuit sedente Sixto IV Andreas à Nursia, dicti Pontificis custodum corporis Præfectus, qui, ut in libris Chronicis Fratrum Minorum à Lisbona Episcopo Portuensi compilatis legitur lib. 5, cap. 54, cum eodem Pontifice tanquam è familiarissimis unus Assisium subiit Seraphici Patris Francisci corpus spectatum. Taceo brevitatis causa reliquos Prælatos, celeberrimos Advocatos, Medicos Summorum Pontificum, inter quos Franciscus Fusconius Pauli III Medicus fuit, Secretarios, literis claros, qualis fuit Hieronymus Catena Sixti V. tempore, S. Consultationis Secretarius, qui diversorum operum auctor extitit. Laërtius Cherubinus Advocatus Romæ primarius, qui Bullarum compilatione majus nomen adeptus, & plures qui Romanæ fuerunt urbis Senatores, inter quos Ioannes Ranierius Senator, anno 1419 Martino V Pontifice; Ioannes Fusconius Senator idem Romanus tempore Vrbani VI. Petrus Tibaldescus Senator anno 1467, Paulo II Pontificatum tenente; & Iacobus Sylvestrinus etiam Senator Romanus anno 1457, sub Papa Calixto III.

Viri famosi.

Senatores Romani.

At sanctimonia vitæ insignes fuerunt, Magnus Patriarcha S. Benedictus, nobilissima stirpe, ut sæpe diximus, oriundus, Gregorio Magno etiam attestante, sub quo viginti quinque Summi Pontifices producti, Cardinales 330, Episcopi sedecim mille, Archiepiscopi & Patriarchæ septem mille & ultra, Sancti & Beati amplius quinquaginta quinque mille. Religiones claustrales celebriores duodecim, militares sex, Cæsares XXI, Imperatrices XXV, Reges XLVI, Reginæ LI, alii Principes & titulis insignes ducenti & quinquaginta, veluti diversis è Chronicis verissime colligitur: hinc Nursia multis partibus gloriosior existit quam quævis urbs alia major; & præter S. Scholasticam sororem S. Benedicti, S. Clementem Consulem & gloriosum martyrem, habuit S. Plautillam, & S. Domitillam regiam virginem & martyrem, ut ex Gallonio, cum Suetonio collato, in vita ejus colligimus: S. Meliorem, S. Speum, S. Constantium, S. Florentium Floridorum à Turre rosea descendentium, S. Santolum, S. Vrsinum excellentissimæ Vrsinorum familiæ filium, secundum Bzovium post vitam S. Adalberti & alios; S. Eutitium, de quo, & pluribus aliis supra nominatis, S. Gregorius in dialogis suis; quæ omnia & singula hujus patriæ splendorem mirifice adaugent.

Vitæ Sanctitate insignes.

Benedictini celebres.

Nursia cognomento Vetusta, quanquam hoc tempore Episcopum non habeat, Civitatis nihilominus nomine insignitur, non modo communi fama ac prisca auctoritate, quod sufficit ut civitatis nomine appelletur, ut Iureconsultis & peculiariter Canonistis placet (in cap. 1. de privilegiis;) sed etiam quia olim Episcopatus fuit titulo & residentia insignis, ut patet è primo Conciliorum tomo, quod in secunda Synodo Romæ celebrata Symmaci Papæ temporibus, post Paulini viri clarissimi consulatum & Ioannis Scitæ anno salutis humanæ 449, in qua de removendo ambitu Sede vacante tractationi institutæ Stephanus Episcopus Nursinus intervenit, & his verbis subscripsit, *Stephanus Episcopus Nursinus.* Et alibi legitur (sexta Synodo Constantinopolitana Act. 4, tom. 2. Concil. fol. 36. col. 2. circa med.) de alio quodam Nursiensi Episcopo Ioanne prænominato, qui Constantinopolitano Concilio tempore Agathonis Papæ interfuit, eoque sub Leone II, Pontifice finito hunc se in modum subscripsit, *Ioannes exiguus Episcopus S. Nursinæ Ecclesiæ, in qua*, &c. *similiter subscripsi.* Et quamvis status mutationem in pejus passa sit Nursia (credibile est id & terræ motus & civilia & cum vicinis gesta bella causasse) attamen prior titulus & majestas secundum eosdem Iurisperitos nullo ei pacto adimi aut imminui debet. Quemadmodum (in cap. Sedes Apostolica, de Rescriptis) cum Baldo affirmat Innocentius & alii communiter.

Nursia civitatis nomine insignita.

Olim Episcopatus.

Quod autem ad eorum autoritatem attinet, qui Nursiam civitatem appellaverunt, hi numero sunt infiniti, quos inter Plutarchus in Vita Q. Sertorii eam Vrbis nomine insignit. Biondus in Vmbriæ descriptione Nursiam Vrbem vetu-

Auctores qui Nursiam civitatem appellarunt;

vetustam nominat. Civitatis eam nomine appellat Taragnota (par. 2. lib. 16.) Frater Leander Albertus antiquam Nursiæ civitatem dicit; Ptolomæo dicta est *Nursia antiqua civitas inter montes.* Ripa sic scribit; *Est flumen, quod fluit per territorium civitatis Nursiæ.* Eandem Civitatis titulo dignantur Sangrinus, Maffæus, Ribadeneira in vita S. Benedicti, Boterus in relationibus Europæ censet eam Civitatum Vmbriæ numero. Florentini Domini respondentes cuidam epistolæ à Consulibus Nursiæ ad se datæ 18 Iunii anno 1444, quæ in Nursino Archivo asservatur, in qua Respublica ista (ob initi fœderis atque amicitiæ rationem) sibi Diomedem Comitem Sassinum ex clarissimo Adimariorum gente prognatum mitti Nursiæ gubernacula susceptum postulat, veluti jam sæpius è Florentinis nobilibus ad Nursiæ regimen plures missi fuerunt, in hunc modum scripserunt: *Communi & populo Civitatis Nursiæ.*

Magni Etruriæ Duces;

Quo affectu Serenissimi Magni Duces Etruriæ se Nursinos indesinenter prosequi hoc ipso declararunt, cum non solum Nursiæ subditos administrationi principaliorum officiorum ditionis suæ adhibuerunt, ut argumento nobis esse possunt Darius Ranierius Doctor Florentinæ Rotæ auditor annis 1556, 1557, & 1558, postea Senis criminalibus causis decidendis judex datus; & nostra memoria in Senensi & Florentina Rota Thomas Tibaldescus Doctor non infimo numero fuit; nuperque adhuc, anno scilicet 1620, Franciscus Berardelli munere supremi carcerum præfecti functus, Cataphractorum militum cohortem Capitaneus adeptus est in Valdichiana; verum etiam particularibus epistolis, Consules Civitatis Nursiæ dignati sunt, quarum una præcipue Italice scripta 14 Iulii 1610 Latine reddita sic audit: *Admodum Magnificis Dominis Nursiæ Consulibus*, intus:

Spectabiles Domini,

Animum, quo vobis addictus fuit Ferdinandus G. M. accessione voluntatis meæ erga vos adaugeo, & cum magno sit apud me loco nomen vestrum, certiores vos reddere volui, natum mihi esse modo filium incolumem Serenissima Archiduce Magna Duce conjuge mea quoque incolumi, quod scirem hoc nuncio lætitia vos affectum iri, quos divinæ bonitati commendans affectu, quo soleo, semper fovebo imposterum. Datum Florentiæ 14 *Iulii* 1610, *hora* 24.

& Summi Pontifices.

Ipsi quoque Summi Pontifices Civitatis appellatione Nursiam honoraverunt, veluti Eugenius IV in Brevi suo Bononiæ dato die 24 Iunii 1437, hîs verbis: *Dilectis Filiis Prioribus Civitatis nostræ Nursiæ.* Simili plane modo Clemens VII, *Dilectis Filiis Consulibus Civitatis nostræ Nursiæ. Datum in Civitate Vrbevetana sub annulo Piscatoris die* 20 *Ianuarii* 1528, *Pont. nostri anno* 5. Paulus item IV, anno Domini 1556, Pont. anno 1, die 4 Febr. iisdem fere verbis, *Dilectis Filiis Ægidio Delphino Gubernatori, & Sebastiano Gentili Vicario Civitatis nostræ Nursiæ, & eorum alteri*, &c.

Quæ Pontificales literæ autoritate sua omnem de Civitatis titulo dubitandi causam auferunt, nam illa jure Civitas dicitur, ad quam ut civitatem scribit Papa vel Imperator, quemadmodum cum Bartolo Ioannes Platea & alii indubitanter affirmant in l. Vnic. libro Codicis undecimo, ad titulum de Metropoli Beryto.



DELINEATIO SACRÆ CAMALDVLENSIVM EREMI MONTIS CORONÆ IN PERVSINA DIOCESI.

PERVSIA AVGVSTA.

PERVSIA non minus ingeniorum, quam vini ferax miraculum semper extitit generis humani. Ejus vetus nomen & gloriam, quam aut è ruderibus colligis, aut in historiis relegis, excitatum in ea Academiæ Gymnasium omnem absorbet. Latius certe pervasit scriptorum pennis, quam cineribus suis. fuit Perusia ab infelicitate sua felicior.

Academia.

Primordium ejus in diversum auctores trahunt. Quidam è Perusio Trojano conditam ajunt. Nonnulli, ut Trogus, ab Achæis duce Vibio exstructam dixere. quod etiam inscriptio marmoris adhuc apud portam Martiam extans probat: VIBIA COLONIA. Diverse alii, Tyrrhenos ejus auctores memorant. Sed Marius Podianus in oratione, quam coram Paulo III. Pont. Max. cum huc venisset anno 1535. habuit, aliter ex Catone, Beroso, Myrsiloque Lesbio, ac aliis auctoribus initia hujus urbis commemorat. Noë, ait, quem antiquitas Ianum vocavit, in Italiam post universale diluvium profectus, & in lævam Tiberis egressus, coloniis XII. seu pagis eo loco, qui Vmbria vocatur, conditis, vicum dein his in collibus ex tuguriis ædificavit, uti illorum temporum ferebat ratio, nomine indito Turrenæ Augustalis seu principalis. Statutoque ut ad certum novilunii diem huc ad se, tanquam ad caput & regem honorandum, singularum coloniarum Lucumones, seu præsides accederent. Is est locus quem nunc Burneam corrupte pro Turnea seu Turrena Perusini nominant. Vallis subjecta quæ inter hunc collem & vallem propinquum, in quo dein alia pars civitatis condita, ut dicemus, intererat, Vallis Iani dicta fuit, & nunc corrupte Vallianum adpellatur.

Conditores.

Vallis Iani.

Hæc tantæ urbis initia fuere CCLXI post universale diluvium anno. Dein centum unoque & viginti annis exactis magno incremento loci altero in colle qui contra erat, qui nunc Mons Solis dicitur, ædificia quoque construxere Armenii Ianigeni Gryphonii cum filiis & nepotibus huc ex Armenia profecti, comiterque ab Armenio Ianigena recepti, à quo collem hunc incolendum sumpsere; quem domiciliis exædificatum Perusiam dixere seu Gryphoniam; idem enim lingua Scythica significat, ipsamque gentem Perusinos seu Gryphonios, ab insigni Gryphi, quod ejus gentis Ianigenarum erat, & Perusini ad hanc usque diem conservarunt.

Perusinæ urbis primordia.

Exin crescentibus diuturnitate temporis ædificiis, post Gryphoniorum adventum anno 450, qui ab universali diluvio octingentesimus & sexagesimus fuit, ambo hi colles cum interposita valle muris à Tarconte cincti, jussuque Tyrrheni Mæonii in Tetrapolim redacti, ut Appianus Alexandrinus tradidit. Eam urbem inde plurimum auxere Pelasgi qui Crotonem ceperant, ut Dionysius Halicarnassæus scribit. Trogum cum his auctoribus ita conciliari posse puto, ut cum Perusiam ab Achæis conditam ait, refectam auctamve dicere censeamus: frequenter enim condendi verbum scriptores pro instaurando vel ampliando solent usurpare. Relata fuit antiquitus inter XII. Principes Etruriæ civitates, & celebratur ab omnis ævi scriptoribus cum vetustatis nomine; tum potentiæ & rerum præclare gestarum. Tempore autem quo accenso à Triumvirorum ambitione bello tota flagrabat Italia, ipsa quoque exusta fuit ab unius domus incendio diffusis repente flammis per urbem universam. Non longo post hanc cladem tempore interjecto urbem muris portisque, quæ etiamnunc extant, Augustus Cæsar instauravit com-

Incrementa.

Exitium.

Instauratio.

PERUSIA AUGUSTA.

PORTA S. ANGELO PRIMA PARTE.
1. S. Lorenzo chiesa Cathedral.
2. S. Augustino
3. S. Maria Novella.
4. Seminario.
5. S. Matteo.
6. S. Francesco del monte
A. Collegio oradino.

Parocchie.
7. S. Donato.
8. S. Martino.
9. S. Fortunato
10. S. Elisabetta
11. S. Cristoforo
12. S. Angelo.

Monasteri di Mc.
13. S. Franc.° delle donne.
14. S. Antonio da Padoa.
15. S. Lucia.
16. S. Agnese.
17. La Carita.
18 Sperain dio.

Ospitali.
19. De S. Augustino
20. De S. Elisabetta
21. De La Mercantia.
22. Del Collegio de i Notari.

Confraternita.
23. De S. Augustino.
24. S. Sebastiano.
25. M.ª de Pastene.
26. M.ª de la Consolatione.
27. Compag. de S. Martino
28. Porta de la citta vecchia.

PORTA S. SUSANNA II. PARTE.
29. S. Francesco.
30. S. Maria de la Luce.
31. M. Morcino.

Parocchie.
32. S. Nicolo.
33. S. Andrea.
34. S. Stefano.
35. S. Valentino.
36. S. Maria Francolina.
37. S. Gregorio.
38. S. Maria de gli arati.
39. S. Gioanni ritondo.
40. S. Croce.
41. S. Antonino.
42. S. Severo di Piazza.

Monasteri di Monc.
43. S. Paulo.
44. Cappuccine.

Ospitali.
45. De S. Francesco.

Confraternite.
47. De S. Francesco.
48. De S. Berardino.
49. Oratorio de la morte.
50. Pala.° del Ill.° Legato.
51. Pala.° del Magistrato.
52. Vescouato.

PORTA TURNEA III. PARTE.
54. S. Spirito.

Parocchie.
55. S. Stefano.
57. S. Bartolomeo.
58. S. Iacomo.
59. S. Nicolo de pariōne.
60. S. Savino.
121. S. Maria della ualle.

Monasteri de Mc
61. Le Povere.
62. Convertite.
63. S. Giuliana.

Ospitali.
64. De gli incurabili.

Confraternite.
65. La Nunciata.
66. S. Giorgio.
67. Sapientia Nova.
68. Sapientia vecchia.
69. Sapientia Bartolina.

PORTA S. PIETRO IIII. PARTE.
70. S. Costanzo.
71. S. Pietro.
72. M.ª de Braccio.
73. S. Girolamo.
74. S. M.ª de gli angeli.
75. S. Ercolano.
76. S. Lucia del clero.

Parocchie.
78. S. Domenico.
79. S. M. del colle.
80. S. Croce.
81. S. M. del popolo.
82. S. Isidoro.
B. Innocenti.

Monasteri di Monac.
83. S. Colomba.
84. S. M. Madalena.
85. Derelitte.

Ospitali.
86. Del Cambio.
87. Di S. Domenico.
88. S. Claudio.
89. Del macello.
90. Della Misericordia

Confraternita.
91. S. Domenico in S. Do.°
92. S. Pietro Martire.
93. Monte della pieta.
94. Monte Consolino.
95. Studio.

PORTA del SOLE V. PARTE.
96. Iesuiti.
97. S. Ang.° accad.ª del dis.°

Parocchie.
98. S. Severo.
99. S. Lucia.
100. S. M.ª nuova.
101. S. Fiorenzo.
102. S. Gio del Sosso.
103. S. Simone.
104. S. Antonio.
105. S. Andrea.

Monasteri di Monache.
106. S. Tomaso.
107. S. Margarita.
108. S. Monte Luce.

Ospitali.
109. Di S. Crispino.
110. De S. Giuliano.
111. De S. Benedetto.
112. De S. Antonio.

Confraternita.
113. S. Benedetto.
114. S. Antonio.
115. Crocefisso.
116. Chiesa et oratorio.
117. Novo de la mor.
118. S. Giorgio e S. Simone.
119. Pal. del Podesta.

Luoghi fuor de le mura, che non se son' potute mettere in disegno: de i quali i nomi sono qui sotto, S. Caterina monasterio di Monache. Cappucini del monte.

Ospidale di S. Cosmo. e Damiano, Cappuccini. S Benedetto Monache.

communivitque, ac Perusiam de suo cognomine Augustam adpellari jussit, ut literæ cubitales incisæ portis ostendunt, aliæque hujusmodi: AVGVSTO SACRO PERVSIA RESTITVTA. Posterioribus sæculis in fide atque obsequio

Dominatus varii. Romanorum Imperatorum constanter permansit, usque ad Totilæ Gothorum Regis tempora, qui Perusiam septennali pressam obsidione tandem in potestatem suam redegit, magna opidanorum strage, crudeliter etiam necato D. Herculano loci Episcopo, qui Germanus erat, ut Divus Gregorius in Dialogis auctor est. Ita tum in ditione Gothorum hæsit Perusia; donec à Narsete Iustiniani Imperatoris duce, Melidio præsidii Gothici præfecto dedente, recuperaretur. Post obitum Narsetis Longobardi in Italiam profecti eam occupavere: mansitque deinde sub imperio Longobardorum usque ad Desiderium ejus gentis regem postremum, quem Carolus M. Imp. devicit. quo tempore Perusini Imperio Romano restituti. Deinde cum Ludovicus Pius Caroli filius Etruriam

Pontificiæ ditioni subjecta. divisit, Pontifici Romano Perusia cum aliquot præterea Thusciæ opidis donata in Pontificia ditione perstitit. Quanquam vero nonnunquam externa vi separata, uti à Ioanne Galeatio Vicecomite, primo Mediolanensium Duce; tamen ad pristinum Apostolicæ Sedis dominium semper rediit.

Clades ex civilibus dissidiis. Civilibus etiam dissidiis Raspantium Gibellinorum, & Nobilium Guelphorum non semel discerpta ingentes sibimet calamitates ipsa peperit. Nobiles à Raspantibus ejecti: illos nobilitas fovebat, eaque propter Nobiles appellabantur: ab his plebs stabat. quorum dux Biordus Micheletus armorum usu exercitus. Nobiles in exilio mansere annis XXIIII, quamdiu Biordus superfuit; qui cum eo insolentiæ studiis popularibus processisset, ut ferri nequaquam posset, à Guidelotiis cum tota domo inita conjuratione deletus est. Superfuerat forte Cecolinus frater, qui suorum inspecta strage, mox arrepto equo, contractisque clientelis Biordum incolumem vivere, nec extinctum, clamitans, pertracta etiam his vocibus ingenti in auxilium multitudine, quæ Biordum adhuc spirare credebat, repente ad Guidelotiorum ædes advolans, omnibus trucidatis tyrannidem ipse usurpavit. Eam tamen haud diu tenere potuit, quoniam Bracio Montonio fortissimo belli duce consurgente, primum ab eo exactus, dein & in pugna captus occisusque fuit. Ita tum Perusini unanimi consensu Bracium ob summam virtutem ac singularem fortitudinem civitatis Principem designarunt, qui ut erat prudentia singulari, illico nobilitatem plebi reconciliavit. In principatu civitatis successere deinceps, Nicolaus Picininus, Nicolaus Stella Bracii nepos, Franciscus, & Iacobus Picinini, Iacobi filii.

His extinctis dilacerata in partes Odonium & Balioniorum Perusia, utrisque de principatu dimicantibus, Balionos expulsis Odonibus, retinuit. Dux Odonium Fabricius Simonis nothus, qui Protonotarius erat, urbem cum armata turma ingressus, magnisque vocibus factionis Socios contra Balionios inclamitans, nemine in auxilium intempesta nocte se commovente, à Balioniis circumventus inopinatum vitæ exitum invenit. Primus ex Ballionis Odo fuit rerum potitus, vir sapiens prudensque. Filios ille genuit Nellum & Malatestam, è quibus in principatum successit patri Nellus, summaque moderatione præfuit, & maximam apud finitimos auctoritatem sibi peperit. Eo natus Rudolphus. Ex Malatesta Iacobaque ejus conjuge Bracii Montonii nepte, Bracius Carolus, Sfortia, Guido, Rudolphusque geniti. Bracius horum primus Bracii Montonii nomen magis quam virtutem imitans, nefario parricidio Rudolphi Nelli filium patruelem suum in foro cum filio ejus Francisco trucidavit: cæterum haud diu scelere lætatus: etenim intra paucos dies unicum & ipse filium Gryphum, quo uno felicem se beatumque reputabat, amisit. Secutus est Ioannes Paulus Rudolphi filius. Is Carolum Odone natum primi Caroli filio, urbe pepulit, quem Cæsar Dux Valentinus, Alexandri VI. Pont. filius restituit, Ioanne Paulo ejecto.

Mortuo Alexandro Pont. Ioannes Paulus Perusiam extemplo rediit. Caroloque fugiente, principatum urbis usque ad Iulii II. Pont. Max. tempora te-

tenuit. qui invito se urbem eum ingredi vetuit, stipendio tamen honesto militiæ constituto. Post Iulii è vita discessum revertens, magno populi applausu Princeps est salutatus. Tandem cum à Leone X. Pont. Romam vocaretur, acceptaque fide multorum Cardinalium & Romanorum Procerum ad Vrbem accessisset, jussu Pontificis securi percussus est. Vrbem diu rexit, & quoniam armorum usu pollebat, militum præfecturam à Iulio II. Pont. ac item Venetis habuit, maximi animi, summæque virtutis laudem adeptus. Filios reliquit Malatestam atque Horatium.

Eo vita defuncto Carolus cum Gentile Balionio rediit. Gentilis Rempub. gerens in valle Assisia nefarie à Friderico Bozulo cæsus est, cum per id tempus Clementem VII. Pontificem Romæ in Hadriana mole Caroli V. Imp. legiones obsiderent, & Fridericus una cum Francisco Maria Roboreo Vrbinatium Regulo præfectus Veneti esset exercitus, anno à Christo nato 1529. Sic tum in urbem reversi Malatesta & Horatius Ioannis Pauli filii, biennio rerum potiti sunt. Hi, Philiberto Auriaco Principe, qui Caroli V. Imp. copias ducebat, Clementis VII. nomine Perusiam obsidente, conditionibus quibusdam cum illo depacti, urbe excesserunt; Philibertus Bracium Balionium introduxit. Bracio dein ejecto, Malatestæ, qui diem suum obierat, filius Alphonsus rediit, principatumque tenuit usque ad annum 1535, quo Paulus III. Pont. Max. Perusiam venit, & maximis honoribus affectus est; uti Marius Podianus opusculo hac de re edito, pereleganter descripsit, apparatum universum atque ordinem enarrans. Exinde Perusia Apostolicæ Sedi dicto audiens fuit usque ad annum 1539, quo ob impositum vectigal salarium Pontificium jugum excussit. Hinc utrimque gravibus belli motibus excitatis, externa plane auxilia desperans, ingenti cum damno in potestatem Pontificis rediit. Ab eo tum Bernardinus Casalensis præfectus designatus ad hostium civiumque terrorem imminentem utrique foro arcem extruxit.

Sedi Apostolicæ Perusia paret.

Hoc metu victa Martia pectora quievere, & quiescunt semper antea pro ferocibus & bellicosis habiti Perusini.

Urb. St. Eccl.

Cæterum Perusia à Thrasymeno lacu, qui & Perusinus à vicina hac urbe celebri dicitur, amplius octo M. P. distans, stat supra dorsum montis stellari forma explicata, prona in subjectas mollibus clivis valles; nec tuta situ magis est, quam propugnaculis præsidiisque artis: valida præsertim atque ampla arce jussu Pauli III. Pontificis, ut diximus, extructa; cui emoliendæ opera per cives est communicata, nemine à calce lapidibusque portandis immuni; sacris item ac profanis ædificiis ex omni parte disjectis, in utrumque ut forum pateret. Perusia ambitu suo quina milliaria cum medio complectitur: territorium ejus ad centum & triginta octo milliaria extenditur, habetque castella muris circumdata 234. Cæterum ager Perusinus, quo nihil cultius lætiusque se vidisse Ioannes Campanus affirmat, majore sui parte frugiferis atque amœnis assurgit collibus, vini Apiani, olei, ficuum, pomorum, aliorumque fructuum abundantia inprimis censendus. Subter urbem, Assisium & Tuder versus, juxta Tiberim, campestris ager est, tritico, cæteroque frumento mire copiosus. Ædificia urbis splendida sunt & magnifica, frequentesque in ea turres; quarum paucissimæ aspectui integre patent; quod illi cum Vrbino commune est. Templa quæ ferme religionem sanctitatemque civitatum testantur, hic multa, & pro ratione urbis ornata: at longe cæteris præstat D. Petri ædes, marmoreis columnis suffulta; elegantissimis picturis interiores parietes tegentibus. Primaria quidem urbis ædes D. Laurentio Sacra Cathedrali dignitate est inclyta; sed injucunda ob tenebras; digna tamen, quæ spectetur. In ejus sacrario nuptialem D. Virginis Mariæ annulum, & S. Lucæ Euangelium aureis in cortice literis descriptum servari ferunt. Ad ejusdem vestibulum Pauli III. Pontificis statua ænea posita est, artificiosissimam opificis manum luculenter commendans. In hac ipsa Cathedrali Ecclesia D. Herculani Martyris & Episcopi, cujus hic ossa custodiri perhibent, item Benedicti XI. Pont. Max. Beatæque Columbæ sepulchralia monumenta visuntur.

Situs Perusiæ. *Arx.* *Ambitus.* *Territorium.* *Ejus fertilitas.* *Ædificia urbis.* *Ædes Sacræ.* *S. Petri.* *S. Laurentii.* *Pauli III Pontificis statua ænea.*

In D. Francisci Templo niveum præstantis operis tymbum, cum simula-

S. Francisci.

Bartholi sepulchrum. cro BARTHOLI dormientis habitu, & libris incubantis spectabis, quibus vivens indefesso studio invigilarat. Hic quidem Perusii non natus, sed Saxoferrati, quod agri Piceni opidum est, in Perusino Gymnasio maximo ejus ornamento, suoque æterno honore pluribus annis jura professus, Iuris Lucerna apud Iureconsultos audit, ejusque nomine omnes omnium regionum scholæ curiæque perpetuo resonant. Excessit ætatis anno 50, post Christum natum 1355.

Baldi sepulchrum. Ad Servos Mariæ tumulus est BALDI civis Perusini, quem patri suo pientissimi filii faciendum curarunt. Vixit annos 66, menses 10, dies 6, Obiit anno à C. N. 1490, die 22 Sept. Epitaphium illi scriptum fuit:

Epitaphium.
Interpres utriusque Iuris ingens,
Orbis gloria, patriæ decusque,
Hic Baldus ille jacet Bartholinus.
Hui! Baldum haud tegit hoc, sed ossa Baldi
Marmor; fama nitens volat superstes:
Cœlum spiritus innocens recurrit.
Hic Lector vale, & hinc recede felix.

Extitit ille Bartholi auditor, præceptorque Gregorii XI. Pont. qui anno 1400 Ticini diem obiens explanationes juris multas reliquit. Baldus hic in Perusino Gymnasio Ius civile tanta nominis sui gloria enodavit; ut summus Iuris interpres, ac divina quadam ingenii vi præditus putaretur. Et ut id Gymnasium non docendo solum; sed & privilegiis redderet celeberrimum, suscepta à Perusinis Legatione ad Carolum V. Imperatorem profectus ingentia ab eodem Imp. Perusinæ Academiæ privilegia impetravit.

Templum S. Augustini. Succedit templum D. Augustini, extra quod area est, porticu clausa, in qua circumcirca depictæ luculenter icones, resque gestæ illius Divi, & præcipuorum disciplinæ ejus sectatorum, ex utroque sexu spectantur. Similiter Dominicani Patres sui templi porticum imaginibus hominum è sua societate illustrium pictam exhibent, Bibliothecam quoque optimis codicibus refertam. Apud S. Iulianum, inquit Schraderus, moniales cc. & addit Vulcani ædem ab Appiano lib. 5. memoratam, dejectis Pauli III. Pontificis jussu circa forum ædificiis, erutam fuisse; quanquam censeant alii stetisse eo loco, quo D. Angeli fanum positum est, sub cujus altari majore saxum antiquis literis Romanis incisum visitur. De Perusinis templis aliud quod recenseam, non habeo. Extra muros cœnobia PP. *Cœnobia extra muros.* S. Francisci strictioris observantiæ, S. Claræ, vulgo Mons Lucis dictum, S. Catherinæ, & cui Spera in Deo, nomen est, aliaque modico à se invicem spatio separata conspiciuntur. Habet Perusia seu potius territorium ejus equitum S. Ioannis, Commendarias, ut vocant, decem; S. Stephani, duas; & S. Lazari unam. *Commendariæ.* Hospitalis hic etiam domus est structuræ magnificentia, atque annuorum multitudine redituum inprimis censenda. Fontem in umbilico urbis videas marmoreum perennibus aquis copiose scatentem, eique contiguam Curiam Dominorum palatium vocitatam, ædificatamque in foro Rotundo; bina enim hic fora sunt; quorum alterum Rimenum adpellatur. *Fons.* *Curia.* *Fora.* Pontificii Legati palatium Laurentianæ Basilicæ adsitum est. Hic urbem regit, post sæpe usurpatam libertatem, denique sub Summi Pontificis Imperium revolutam. *Regimen.* adjunguntur ei duodeni è civium numero quadam libertatis specie, itidem ad D. Laurentii habitantes.

Academia Gymnasium. An Academiæ Gymnasium in frequentissima urbe cum loco, tum structura, & Pontificis ænea statua conspicuum silleam? Florere id cœpit circa annum Christi MCCXC iisdem decoratum privilegiis, quæ Constantinopolitanæ Academiæ in L. *unica* C. *de Professoribus* attribuuntur, ut ad hanc legem Bartholus probat, ubi & alia celeberrimi hujus Gymnasii privilegia recenset. Petrus Anchoranus unam ex Italiæ urbibus Perusiam Iurisprudentiæ gloria præcipue semper floruisse testatur; quippe hac in urbe Iuris Doctores septuaginta sunt, è quibus viceni & quini jus adsidue docent; una vero eademque hora quatuor, diversi tamen, quos ordinarios vocant, matutinis & pomeridianis temporibus eandem tractant juris materiam, finitisque prælectionibus de apicibus juris disceptant mira discentium utilitate. Ad hæc autem exercitia studiorum fovenda fuere discendi cupidæ juventutis emolumento terna excitata collegia; quibus fit, ut urbs non maxima & militarium ingeniorum ferax, Musarum tamen cultu,

tu, ausim dicere, quantum ulla in Italia floreat; atque exteris quoque huc tanquam ad mercaturam literarum proficiscentibus frequens fit. Primum appellant Collegium Sapientiæ novum, alterum Collegium Sapientiæ vetus; hoc D. Gregorio dicatum Perusino paret Episcopo: illud D. Hieronymo sacrum Cathed. Eccles. Perusinæ primo Canonico, & Mercaturæ, ut vocant, Collegium Consulibus dicto audiens est. Novum Æneas Falconius (in additionibus ad Abbatem Panormitanum C. Ecclesia Vestra) Collegii amplissimi nomine insignit, fateturque ejus se alumnum fuisse. Extruxit id Guidalottus Episcopus Caputii Cardinalis impensis, qui suæ fundationis perpetuæ literis quatuor Germanos, Hispanos totidem, totidemque Gallos & Transmarinos; reliquos vero Italos ejus esse voluit alumnos. Est & aliud quod Bartholinum dicitur, recentius à Bartholo quodam conditum dotatumque, in quo alumnis victus cultusque præbetur. His accedit Insensatorum ut vocant, Academia, grues habens pro symbolo, quæ Pontum transvolaturæ & migraturæ in regionem commodioris cœli, arenam devorant, ac lapillos falculis gerunt, atque admirabili Naturæ consilio ad moderatam gravitatem saburrantur: sic Academici Perusini studio eruditionis quasi pondere imposito aut sponte suscepto ad amœna atque animi salubria feruntur. Hinc constat quo in honore apud Perusinos sint literarum studia, quibus cum insigniter quidam excelluerint, patriam non modo suam, reliquamque Italiam, sed orbem pæne universum illustrarunt.

Collegia Sapientiæ Novum, & Vetus.

Coll. Mercaturæ.

Coll. Novum.

Coll. Bartholinum.

Academia de gl'Insensati.

Perusini doctrinæ dediti.

Sebastianus, & Nicolaus Columbus Perusini ex Ordine Prædicatorum Theologica scientia nobiles, & Paulus Collationum auctor late famam literis propagarunt. Iurisprudentiæ laudem supra memoratus Baldus fere solus sibi vendicat; quem tamen haud longo intervallo secuti Angelus filius, atque dein Angelus nepos, Sixti IV. Pont. temporibus, ingenii commendatione clarus. Floruit etiam Petrus Baldi frater cum Matthæo filio. item alter Petrus, insuper alter Baldus, cui tres obtigere filii virtutum doctrinæque studiis deditissimi, Nicolaus Apostolicæ Rotæ auditor, Matthæus haud incelebris Iureconsultus, & Sigismundus Eques Auratus. Clari præterea fuere Alexander Bartholi gener, Matthæus Felicianus, Benedictus & Dionysius Bargiani: at Ioannes Paulus Lancelottus Canonicarum institutionum compositione, & Renaldus Rudolphus cum Marco Antonio Eugenio tricennali Iuris Canonici atque Civilis interpretatione hi apud Perusinos; ille apud omnes Canonici Iuris cultores nominis sibi peperit immortalitatem. Restaurus Castaldus Perusinus non solum fuit apprime doctus, quod ejus opera probant, quæ typis descripta in manibus sunt; verum etiam prudentia magna, multoque usu rerum aulæque Romanæ præditus.

Viri scientia clari.

Nobilitavit quoque Perusiam Iacobus Antiquarius insigni virtute, quo in viro præter Græcæ Latinæque linguæ scientiam animi quidam singularis candor eluxit. Franciscus quoque Maturantus, & Marius Podianus insignis orator, item Ioannes Franciscus Camenus editis opusculis celebritatem patriæ urbi attulerunt. Vincentium Herculanum cum Guilielmo Pontano aliisque tum Iureconsultis clarissimis, tum cæterarum disciplinarum scientia ornatis brevitatis caussa prætereo.

Bellandi arte (quippe communi diverbio de Perusinis dicitur: *Buoni soldati, & la miglior spada del Papa*) valuerunt Biordus & Cecolinus Micheleti, quorum supra meminimus. Item Bracius II, Ioannes Paulus, Malatesta, Horatius, Carolus, Gentilis, Citolus è nobili Balioniorum omnes familia. His accensendus Vincentius Columbus, qui, ut Sertorius olim, suæ secum detulit testimonium virtutis. Inter pictores excelluit Petrus ob artificii præstantiam priscis illis à Plinio celebratis pictoribus inserendus. Cæterorum illustrium hominum, qui superioribus sæculis Perusiæ splendori atque ornamento fuere, quique nunc eam adhuc ornant, catalogum pertexere nostri non est instituti. Coronidis loco solum alphabeticum Nobilium familiarum ordinem adscribemus, quarum in numero habentur:

Bellandi arte periti.

Alphani, Armeri, Antiquari, Angelini, Baldelli, Baldeschi, Baglioni, Bargiani, Benedicti, Boncampi, Capra, Cantagallina, Columbi, à Cornia, Crispi, Crispolti, Cybo, Eugeni, Feliciani,

Familiæ nobiles.

ciani, Fumagioli, Gelfi, Gottifredi, Gratiani, Guidalotti, Manſueti, Marſciani, Montemellini, Monteſperelli, Oddi, Paulucci, Pellini, Penna, Piccinini, Raineri, Salviati, Scaniani, Socii, Staffa, Sperelli, Signorelli, Stella, Vibi, aliique.

Lacus Peruſinus. Iuvat hic quidpiam de Peruſino lacu, quem Thraſymenum omnes antiqui dixerunt, attexere. Nomen id Annius in Commentariis ad Manethonem, à Thraſymeno Tyrrheni filio ortum ſcribit: nunc Peruſinum lacum vulgo appellant; ſcilicet quia clarior alia urbs in propinquo non eſt à qua denominetur. Lacus is eſt eximius, & piſcium optimorum mira copia fœcundus, marino colore inhorret, ſinuaturque crebris promontoriis, & tres inſulas habet cultu hominum habitatas. In circuitu ejus vici ſunt atque opida complura, nominatim *Oſſaria.* Oſſaria propinquum lacui caſtellum, quo in loco C. Flaminii Conſulis temeritate Romani ab Hannibale graviſſimam cladem perpeſſi ſunt; cæſa enim cum ipſo Coſ. Romanorum viginti quinque millia, capta ſex millia; atque ita intentus pugnantium ardor extitit, inquit Oroſius, *ut graviſſimum terræ motum, qui tunc forte tam vehemens factus eſt, ut urbes diruiſſe, montes tranſtuliſſe, diſcidiſſe rupes, & flumina retrorſum coëgiſſe referatur, pugnantes omnino non ſenſerint.* Hinc ab oſſium multitudine, quæ poſt eam ſtragem Romanorum militum hic remanſere, nomen loco inditum Oſſariæ. Idem animadvertit Hadrianus Cardinalis, in itinere ſuo Bononienſi, his verſibus:

Proſpicimus campos Romanis oſſibus albos;
Servat adhuc nomen locus, & de ſanguine fuſo
Sanguineos campos Peruſini nomine dicunt,
Hic ubi commiſſo fallax certamine Pœnus,
Flaminiumque ducem Mavortiaque arma ſubegit.

Mirari ſatis non poſſum, inquit Leander in deſcriptione Italiæ apud Coſmographos Geographoſque hujus lacus memoriam vix inveniri, cum tamen perinſignis ſit: apud Hiſtoricos vero propter Romanæ cladis memoriam, celeberrimus eſt, uti jam diximus. Supra lacum impoſitum monti caſtellum peramœno ſitu, quod *Colonnola* vulgo, Leandro Mons Columnatum dicitur; hinc læti colles excultique plurimis villis, Peruſiam uſque amplius octo M. P. à Thraſymeno ſive Peruſino lacu diſtantem. Colonnola.

PISAVRVM,
vulgo
PESARO.

Nomen. PISAVRVM ab *Isauro* amne, quo ab Occidente alluitur, addita litera P, denominatum communis opinio est. *Isaurus fl.* Oritur hic amnis ex Apennino, juxta Cotili arcem, mœniaque Pisauri præfluit, ubi pons lapideus unico prægrandi fornice viam Flaminiam, itemque Picenum cum regione Flaminia conjungit, moxque in mare sese exonerat, ostio sæpe arena fluctibus deferentibus adeo repleto obturatoque, vix ut exiguas recipere naviculas possit. *Situs.* Iacet itaque Pisaurum in extrema Marchia Anconitana, sive Piceno, ad Mare Adriaticum; quamobrem celebre Italiæ emporium est, ab Illyricis, aliarumque partium mercatoribus ob loci commoditatem frequentatum. Defensa est urbs versus mare firmissimis muris, & propugnaculis lateritiis, machinisque bellicis ad arcendos piratas probe instructa. *Portus.* Portum habet à Paulo V. Pontifice cœptum extrui, cinctumque lapideo margine, & conditoris nomine insignitum; angustum tamen, neque ad recipienda majora navigia aut aptum, aut factum: ut ab agasonibus aut mulionibus, qui merces invehunt, magis, quam à nautis frequentetur. *Conditores.* Porro conditum Pisaurum Miletus ait à Romanis anno post ædificatam Romam sexcentesimo sexagesimo tertio; *Colonia Rom.* posteaque urbem hanc ab iisdem coloniam cum Mutina & Parma effectam, ut à Livio memoriæ proditum est. Inter hos colonos fuisse L. Actium Poëtam tragicum, parentibus libertinis natum Eusebius scribit. Livius præterea multis in locis de Pisauro meminit, maxime cum Fulvium Flaccum consulem viam Pisaurensem stravisse, templumque Iovis Pisauri ac Fundis ædificasse, itemque ad Pollentiam adduxisse aquam scribit. Cæsar etiam in commentariis, aliique veteres plurimi hujus urbis mentionem fecere. *Exitium, & instauratio.* Dirutam à Totila, refectamque à Belisario Procopius & Blondus auctores sunt. *Domini Malatestæ.* Diu imperio Malatestarum illustris familiæ habitam constat; ex qua Malatesta Pandulphi F. vir cum doctrina, tum moribus ornatus tres filios habuit. Ex Malatestæ filiis Galeatius partim pretio, quod XX millium aureorum nummûm fuit, partim dotis Constantiæ nomine Alexandro Sfortiæ, Francisci, qui deinde Mediolani Dux factus, fratri tradidit, ut à Corio & Sabellico memoratur. Alexandro in dominatu successit filius Constantius, à quo plurimum urbs ædificiis exornata fuit. Conjugem is habuit Camillam illustrem atque eruditam mulierem ex nobilissima stirpe Arragoniorum Neapoleos, cujus nuptiæ tanto fuere apparatu celebratæ; ut in regalibus nihil potuisset optari magnificentius. Legitimam Constantius prolem non habuit; nothos autem duos, Ioannem, & Galeatium, è quibus natu major Ioannes Philosophiæ studiis mirifice deditus, cum paternum principatum auctoritate Pont. Max. susceptum diu pacate gubernasset, eo à Cæsare Borgia Alexandri VI. Pont. filio privatus est. Sed Alexandro Pontifice mortuo, cum Venetiis, in qua urbe adversis temporibus constiterat, adducta simul uxore Geneveve Theupola lectissima femina, Pisaurum rediisset, humanissime fuit à suis popularibus exceptus, ac urbis imperio aliquamdiu incredibili lenitate agitato decedens, susceptum ex Geneveve filiolum Constantium successorem reliquit: quo non multo post etiam defuncto, mater spretis mundi vanitatibus D. Claræ monialibus se sociam adjunxit. Quo facto gubernationem Reip. Galeatius patruus assumpsit. Verum quoniam à Iulio II. Pontifice ægre se in principatu confirmandum intelligebat, bonis cum eodem conditionibus depactus est; ut urbs in

potestate esset Pontificis, à quo mox *Roborei.* Francisco Mariæ Roboreo nepoti pro magna vi pecuniæ, quam ei nomine stipendiorum Romana debebat Ecclesia, summa omnium Cardinalium voluntate concessa fuit. Hunc Leo X. Pont. Iulii successor possessione urbis deinde privavit, eamque tribuit Laurenzino nepoti suo. E vita sublato Leone, Franciscus Maria subito ad imperium rediit, qui muris atque aggeribus urbem circumdedit, inque instanti colle Imperiale, quod vocant, maximi sumptus operisque prætorium condidit; validissimam vero à mari arcem Ioannes Sfortia, de quo supra, extruxit. Extincto vero Francisco Maria Roboreo supremo Vrbinatium Duce, *Romani Pontifices.* in dominium Pontificium cum toto Vrbini Ducatu transiit, & jam sub Alexandri VII Pontificatu feliciter à Gubernatore Prælato Roma ad hoc misso regitur.

Aquarum ubertas. Vrbs præterquam quod munita, felix est aquarum ubertate; unde hic crebri sunt fontes, inter quos ille cæteris nobilior, qui in foro extructus quasi imbrem aquarum profundit. *Cœli insalubritas.* At cœlo Pisaurenses utuntur gravissimo eoque insaluberrimo, præsertim Iulio atque Augusto mensibus.

Cæterum intemperantem illum & maxime noxium humanis corporibus aërem è vicino mari exhalare, verisimile est; qui jam olim Catullo notus, notatusque, fuit hoc ad Iuventium disticho:

Præterquam iste tuus moribunda sede Pisauri
Hospes, inaurata pallidior statua.

Putamus tamen, inquit Leander, incolarum hujus loci brevem vitæ cursum non modo ab aëris gravitate, sed etiam *Frugum copia.* à copia fructuum optimorum suavissimorumque, quibus immodice vescuntur, proficisci; generantur enim hinc in corporibus humores noxii, quos deinde periculosiores morbi consequantur necesse est.

Ædificia sacra, & profana. Nunc etiam aliquid de ædificiis urbis dicendum est. Inter sacra S. Dominici templum præcelsa turri eminet. *Palatium.* Ex profanis Ducum Vrbinorum palatium structuræ magnificentia & laxitate inprimis censendum est. Primo ingressu armamentarium se offert, bellicorum instrumentorum armorumque elegantissimorum copia, & varietate istis temporibus instructum. Aula hic longa CC passus visitur; lata XXX: fuit & Bibliotheca, nunc Romam in Bibliothecam Vaticanam translata, in qua præter variarum linguarum auctores Syricos, Arabicos, Turcicos aliosque, Breviarium erat, in membrana descriptum, ornatumque plurimis imaginibus artificiosis, quod pretium duodenorum, millium coronatorum adæquare perhibent. Modico à Bibliotheca intervallo cubiculum variorum procerum iconibus, & regionum, urbiumque graphidibus ornatum conspicitur. Adsitum palatio viridarium cum vivario. Post Ducum Vrbinorum palatium secundas sibi Curia vendicat, *Curia.* sumptuosum atque amplum ædificium: huic Barinianorum, Collenutiorum, Lonardorum, aliorumque Nobilium Pisaurensium palatia succedunt. Nec privatorum civium domibus sua deest elegantia; quippe ab his Pisaurum lauta atque elegans Piceni urbs adpellatur.

Amœnus etiam circa Pisaurum ager est, *Ager Pisauriensis.* & delicatissimorum fructuum, præcipue ficuum feracissimus, quæ arefactæ cum huic urbi universæ sufficiunt, tum etiam exportantur, & apud Venetos, Bononienses, totaque Flaminia regione in pretio sunt. Extra urbis muros præter villam sumptuosissimam, alio in loco editiore versus orientem ad lævam viæ Flaminiæ pulchrum opidulum cernes Nuvolaria à nobilitate aëris sic adpellatum. *Nuvolaria.* Quarto ab eo lapide in ipsa via ad sinistrum Isauri fluminis castellum Montis Abbatis, *Castellum Montis Abbatis.* excelso in loco positum, prospectum longe jucundissimum habet. Vlterius Mons Barocius longe celsiore situ totum Picenum respicit, & opida circiter quindecim in collibus amœnitate illustria, atque aspectu pulcherrimo oblectantia oculis subjicit. Fuit & Pisaurum omni tempore excellentium ingeniorum fœcunda procreatrix; *Pisaurenses eruditi.* quis enim Anduinum summum Medicum, & Pandulphum Collenutium Græcis Latinisque literis eruditissimum Pisaurenses fuisse ignorat? Scripsit hic de machinæ tormentariæ, quam bombardam vocant, inventione. Item Baretam adversus aulicos lingua vernacula, cum historia Neapolitani regni. Pisaurensis quoque fuit Petrus Barinianus excellens Poëta. Atque hæc de Pisauro, quantum auctores ejus meminere.

PRÆ-

[illegible]

PISAVRVM *Vulgo* PESARO.

1. S. Andrea.
2. S. Agostino.
3. S. Antonio Vecchio.
4. S. Antonio Nuovo.
5. S. Archangelo. P.
6. S. Agata.
7. Arsenale.
8. Baloardo di S. Chiara.
9. Baloardo di Mirafiore.
10. Baloardo del Porto.
11. Baloardo della Rocchetta.
12. Borgo del Porto.
13. Chiesa Catedrale.
14. Corpus Domini.
15. S. Carolo.
16. S. Catarina. M.
17. S. Chiara.
18. S. Caßiano. P.
19. Carità.
20. Chiesa Nuova M.
21. Convertite M.
22. Catechumeni.
23. Cavaliero di P. Fan.
24. Caval. di P. Collina.
25. Cav. di Mirafiorè.
26. Cav. del Porto.
27. Casino del Borghetto.
28. Canonica del Duomo.
29. Corte di S. A.
30. S. Domenico M.
31. Dento di P. Salara.
32. Dogana. 33. Daxaria.
34. S. Francesco M. 35. Fortezza.
36. Fonte di Piazza.
37. Fonte al Hospitale.
38. Fonte al Trebbio.
39. S. Gioseppe. C.
40. S. Giouanni Zocc.
41. S. Giacomo P.
42. Giuochi da Pallone.
43. Giuoco da maglio.
44. Hospitale.
45. Horologio di Piazza.
46. Horologio di Piazzetta.
47. S. Lucia P.
48. S. Leonardo P. 49. Lavatore.
50. Mad: della Concett.e
51. Mad: della Purificati.e M.
52. Mad: della Annunt. C.
53. Mad: del Rosario.
54. Mad: della Misericordia.
55. Misericordia Vecchia.
56. Mad: della scala C.
57. Mad: de Servi M.
58. Mad: della Neve.
59. S. M. Mad. M. 60. S. Martino P.
61. Monte della Pietà. 62. Molini.
63. Mercati de Bestiami.
64. Macello grande.
65. Nome de Dio C.
66. S. Nicolo P. 67. Orfanelle.
68. S. Pietro C. 69. Pietà.
70. Palazzo di S. A.
71. Palazzo di Madama.
72. Palazzo della Com.ta
73. Palazzo del Hospitale.
74. Portanile. 75. Porta Fanestra.
76. P. Collina. 77. P. del Ponte.
78. P. del Porto. 79. Porta Salara.
80. Porta della Fortezza.
81. P. del Socorso.
82. Piazza Grande.
83. Piazzetta.
84. Pozzo d. Arcang.o e Piazza.
85. Pozzo di S. Chiara e Piazza.
86. Piazza del Olmo.
87. Piazza della Cannonica.
88. Piazza del Hospitale.
89. Piazza de Caligari.
90. Piazza Madama.
91. Piazza di S. Giacomo.
92. Piazza Padella.
93. Piazza Secreta.
94. Piazza di Pescaria.
95. Piazza Giudea.
96. Piazza di S. Stefano.
97. Palazzo della Giustitia.
98. Parchetto.
99. Quattro Cantoni.
100. Rimessa da Carozze.

a. Rocchetta.
b. S. Rocco C.
c. Sacramento C.
d. S. Spirito M.
e. Seminario.
f. Seraglio delle fiere.
g. Salara.
h. Stalle di S. A.
i. Stalle di Madama.
k. Sinagoghe trè.
l. Trebbio di S. Antonio.
m. Torre.
n. S. Vbaldo.
o. Vallato.
p. Vescouato.
q. Zecca Vecchia.
r. Zecca Nova.
ſ. Aquedotti.
t. Campo Vecchio Giudei.
u. Ponte della foglia.
w. Portone di mirafiore.
x. Porto.
y. Tentamento.
z. Via flaminia.
&. Trinità.

PRÆNESTE.

Situs. PRÆNESTE, vulgo *Palestrina*, agri Romani opidum, in Romæ prospectu cum Tybure Tusculoque positum, ædificatum est in supercilio montis, spectatque hodie titulo Principatus ad ditionem excellentissimæ Barberinorum familiæ. *Conditor.* Ajunt id conditum à Præneste Latini filio, ac Vlyssis nepote. Sed & etymon nominis quidam ἀπὸ τῶν πρίνων deducunt, id est, ab ilicibus, quæ ibi abundant. Virgilius à Cæculo Vulcani filio ædificatum indicat his versibus:

Nec Prænestinæ fundator defuit urbis,
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem
Inventumque focis omnis quem credidit ætas,
Cæculus, &c.

Et Servius eum locum exponens in hanc sententiam scribit. Olim hic Pontifices erant, & Dii Penates colebantur, uti Romæ: duo præterea fratres à populo divinis honoribus habebantur, quorum sorori, cum ad ignem sederet, forte fortuna scintilla in gremium evolavit, ex qua mulier concepit, pepetitque filium, quem juxta templum Iovis expositum, virgines ad aquam hauriendam euntes exceptum, manibus ad ignem detulerunt. Is Cæculus ob oculorum parvitatem deinde vocatus cum adolevisset, collecta multitudine Prænestinam civitatem in monte condidit. Hæc de Prænestinæ urbis conditore Servius. *Nomen.* Cæterum nominis etymon haud aliud assignat, quam uti jam diximus ἀπὸ τῶν πρίνων. Festus Præneste vocatum ait, quod locus, in quo situs, montibus præstet. Stephanon ab initio dictam ait Plinius: & Strabo Polystephanon, id est, multarum coronarum, addens originis Græcanicæ cum Tybure esse, & ab eo stadiis c, Roma cc abesse.

Templum Fortunæ. Templum hic sumptuosissimum Fortunæ olim fuit, in quo certa edebantur oracula: *Simulachrum.* fuit & hic Fortunæ simulachrum fidelissime, inquit Plinius, inauratum, à cujus operis præstantia bracticæ crassissimæ dicebantur Prænestinæ. *Lithostrotum.* Lithostrotum etiam (id est opus crustis parvulis in varios colores artificiose tinctis compositum, Musivum, vel Mosaicum vulgo vocant) in Fortunæ Prænestinæ delubro, factum à Sylla, idem Plinius inter nobilia pavimentorum genera commemorat. Carmen hic lectu dignissimum præterire nequeo, à nemine, quod sciam correcte hactenus, præterquam ab Andrea Schotto publicatum.

T. Cæsii Basis marmorea. Insculptum quidem est in marmorea basi, quam cum effigie patris T. Cæsii Primi negotiatoris frumentarii (qui ex voto centenas annuatim coronas Fortunæ Prænestinæ donabat) T. Cæsius Taurinus filius in eodem Templo dedicarat, in cujus fronte visuntur exsculpti duo modii spicis pleni, & in angulis item binis singulæ columellæ spicis tribus erectis coronatæ. Subscriptum his Carmen:

Ejusdem Inscriptio.

Tu quæ Tarpejo coleris vicina Tonanti,
Votorum vindex semper FORTVNA *meorum,*
Accipe, quæ pietas ponit tibi dona merenti,
Effigiem nostri conservatura parentis,
Cujus ne taceat memorandum littera nomen
Cæsius hic idemque Titus, Primusque vocatur,
Qui largæ Cereris messes, fructusque renatos
Digerit in pretium, cui constat fama fidesque,
Et qui divitias vincit pudor ire per illos
Consuetus portus, cura studioque laboris
Littora, qui præstant fessis tutissima nautis:
Notus in urbe sacra; notus quoque finibus illis
Quos Vmber sulcare solet, quos Thuscus arator.
Omnibus hic annis votorum more suorum
Centenas addit numero crescente coronas,
Fortunæ simulachra colens & Apollinis aras
Ageriumque Iovem, quorum consentit in illo
Majestas, longæ promittens tempora vitæ.
Accipe posteritas quod post tua sæcula narres

SCIOGRAPHIA TEMPLI FORTVNÆ PRÆNESTÆ.



A. *Arx Præneſtina.*
B. *Villa Cetronii.*
C. *Villa Symmachi.*
D. *Fontes Aquæductus è variis venis corrivatis ad uſum Templi et Civitatis.*
E. *Cortina, ſive Oraculum Fortunæ, inſtar Theatri, ubi ſimulacrum Deæ Iovem lactantem geſtantis et Arca cum Sortibus erant, edebanturque Oracula ibi, nunc Palatium Principis.*
F. *Sacella duo circa Cortinam.*
G. *Cavædium majus, inter duas Baſilicas, ſive, ut ajunt vulgo, cortile.*
H. *Duæ Baſilicæ, hinc Cornelia, illinc Æmilia.*
I. *Serapium, ubi colebatur Serapis.*
K. *Schola Fauſtiniana ab alio latere, ubi quæ Fauſtinæ Auguſtæ fuerant devotæ puellæ alebantur.*
L. *Cavædium minus, vulgo Cortile inter Serapium et Scholam Fauſtinianam.*
M. *Piscinæ duæ, ſive Lavacra, variis aquis collectis per exciſos Aquæductus ad miniſteria Sacrificiorum et alios uſus.*
N. *Cryptæ, Subſtructiones, et Exhedræ, vulgo grotte Circuito di muraglie, o Nicchie.*
O. *Areæ XII ſeu Piani, ut dici ſolet vulgo.*
P. *Gradationes ſeu Scalæ XII.*
Q. *Porticus ſive Ambulacra.*
R. *Lithoſtrotum ſeu Pavimentum Aliquot Arearum.*
S. *Muſivum quo areæ aliquot ſuperiores et Cryptæ ac Exhedræ tam Cortinæ quam Sacellorum et Baſilicarum erant exornatæ.*
T. *Pharus, ubi faces accendebantur ut navibus prælucerent.*

IOANNES BLAEV *excudit.*

Taurinus cari jussus pietate parentis
Hoc posuit donum, quod nec sententia mortis
Vincere, nec poterit fatorum summa potestas,
Sed populi salvo semper rumore valebit.

Sortium superstitionis initium. Quod initium autem habuerit antiquissima hæc sortium superstitio, pulchre nobis explicat ex Prænestinorum ipsis monumentis Cicero de Divinatione lib. II. Numerium Suffurium nobilem Prænestinum somniis crebris ac minacibus jussum, certo loco silicem, civibus ridentibus, excidisse; ubi perfracto saxo sortes eruperunt in robore sculptæ priscarum litterarum notis, quarum occasione Fortuna ibidem coli cœpta. Septum deinde locum fuisse religiose, propter Iovis pueri simulachrum, qui lactens cum Iunone in gremio Fortunæ sedens, mammam appetens ibi castissime colebatur à matribus. Eodem tempore, ubi post Fortunæ templum conditum est, mel ex olea fluxisse, & haruspicum jussu ex eadem arbore factam arcam, in eaque conditas sortes illas, quæ Fortunæ monitu, pueri manu miscebantur educebanturque. *Templi Fortunæ vetustas.* Templi pulchritudo & vetustas non tantum Ciceronis tempore, verum etiam ad extrema fere Romani Imperii tempora sortium illarum oracula celebrarunt; atque originem antiquissimam habuisse, tam ex Cicerone, quam ex aliis colligimus. Quare non suffragor eorum sententiæ, qui L. Syllam Dictatorem Templi istius conditorem fuisse volunt, decepti, ut reor, Plinii verbis, qui lib. 36. de pavimentis nobilibus arteque pavimentandi scribens, usum lithostrotorum in Italia primum sub L. Sylla cœpisse. *Restaurator Sylla,* Crediderim autem L. Syllam post bella civilia victorem illud armis suis destructum restaurasse. Profanasse quidem constat, maxime *idem Profanator,* cum C. Marium juniorem, cæterosque inimicos ibidem circumvallatos, pertinaci obsidione ad mortem compelleret, *& destructor Præneste.* opidumque tandem captum, Prænestinis omnibus exarmatis trucidatisque spoliaret, & sub hasta venumdaret. Contigit ergo, quemadmodum & Strabo sentit, ut quæ cæteris urbibus commoditati tutelæque solent esse, loci videlicet situs munitissimus, murorumque firmitas; ea huic opido calamitati atque exitio sæpe fuerint propter civilia Romanorum bella; *Præneste imbecillium perfugium.* cum eo se partes imbecilliores, tanquam in arcem tutam aliquando substraxerint, opidumque simul sua clade involverint. Visuntur adhuc etiam cuniculi specusque subterranei ab opido per vicinos montes ad plana perfossi, tam auxilii intromittendi, quam clandestinæ fugæ caussa; in quorum uno C. Marius junior obsessus, cum fugæ nulla pateret via, ne caperetur vivus, cum amico Pontio Telesino dimicans occubuit. Hinc vulgi etiamnunc opinio manet, in cuniculis illis saxa cæsorum ibidem adhuc cruore rubere, cum tamen in his vicinisque montibus tam Tusculanis, quam Albanis mollior lapis omnis sua natura rubeat obscure. Non ineleganter de his itaque Fabricius Poëta Germanus in Hodœporico suo cecinit:

—— *Tua Cæcule regna*
Nomen ab ilicibusque tenens Præneste venimus,
Quo primum Divæ, quæ nullo tempore, nullo
Certa loco perstat, miramur nobile templum;
Pluribus in templo Lithostrota picta figuris;
Deinde tot effossos tecta tellure meatus,
Qui finguntur adhuc Mariana cæde rubere.

Præneste libera, & Romanis fœderata. Libera & fœderata primum Romanis civitas fuit Præneste Prætoremque suum habuit, ut ex Livio cognoscimus, quam Festus municipium sui juris vocat. Appianus Italico bello cum Tiburtinis in civitatem acceptos Prænestinos diserte scribit. Non tamen diu post L. Sylla victor, quantum ex Tullii Agraria & Catilinaria videre est, opido cædibus ac proscriptionibus exhausto colonos imposuit, agrumque *Colonia Rom.* eorum omnem divisit. At apud A. Gellium legimus Prænestinos à Tiberio Aug. denique impetrasse, ut ex colonia in pristinum municipii statum redigerentur. *Rursum municipium.* Sed & posteriori ævo, jam Imperii Romani flore perempto, Bonifacium VIII. Pont. Max. Præneste Ioannis & Iacobi Columnarum, ac Sciarræ item Columnæ odio (quippe tum in ejus gentis ditione erat) evertisse

tisse accepimus. Iterum tamen instauratum est: cumque postea ibi se Ponceletus & Nicolaus Fortebracius Romano nomini infensi munivissent, denuo à Romanis æquatum solo Blondus prodidit. *Aliud exitium.* Nunc restitutum quidem est in loco; sed nec ut prius munitum est, nec amplitudinem habet veterem, quod murorum ingentium antiqua vestigia demonstrant, quæ locis undique circumjectis etiamnunc apparent. *Restauratio.* Munitiori loco situm, quam Tybur, Strabo perhibet, quod altissimam supra se rupem habeat à tergo, spatio duorum stadiorum à propinquis jugis disjunctam ascensuque perarduam. Præterea situs ejus longe fuit jucundissimus atque amœnissimus: ideoque florente re Romana frequenter Imperatores Augustos huc animi caussa secessisse reperimus. Infaustus tamen Antonio Pio locus fuit, propter Veri Cæsaris, filii septennis interitum, cujus mortem integra patrem hebdomada luxisse Capitolinus tradidit. Nunc, ut principio innuimus, Præneste ditionis est Barberinorum. Antistes Prænestinus inter septenos Romano Pontifici assistentes unus est. Strabo dein Verestim amnem per agrum Prænestinum fluere scribit, *Verestis fl.* opidaque Tybur & Præneste orientali in regione agri Romani sita, porro autem montano tractu jugum præcelsum ad Albanum collem usque porrectum, poneque convallem esse, quæ ad Algidum pertineat.



A. Arx Prænestina.
B. Villa Cetronii.
C. Villa Symmachi.
D. Fontes Aquæductus è variis venis corrivatis ad usum Templi et Civitatis.
E. Cortina, sive Oraculum Fortunæ, instar Theatri, ubi simulacrum Deæ Iovem lactantem gestantis et Arca cum Sortibus erant, edebanturque Oracula ibi, nunc Palatium Principis.
F. Sacella duo circa Cortinam.
G. Cavædium majus, inter duas Basilicas, sive ut ajunt vulgo cortile.
H. Duæ Basilicæ, hinc Cornelia, illinc Æmilia.
I. Serapium, ubi colebatur Serapis.
K. Schola Faustiniana ab alio latere, ubi quæ Faustinæ Augustæ fuerant devotæ puellæ alebantur.

All' Illmo et Exc.^mo Sig.^r e Prone Oss.^mo
D. MAFFEO BARBERINI,
Principe di Palestrina, etc.
con divotiss.^mo affetto dedica questa Orthografia
Gio: Blaeu.

L. Cavædium minus, vulgo Cortile inter Serapium et Scholam Faustinianam.
M. Piscinæ duæ, sive Lavacra, variis aquis collectis per excisos Aquæductus ad ministeria Sacrificiorum et alios usus.
N. Cryptæ, Substructiones, et Exhedræ, vulgo grotte, Circuito di muraglie, o Nicchie.
O. Areæ XII seu Piani, ut dici solet vulgo.
P. Gradationes seu Scalæ XII.
Q. Porticus sive Ambulacra.
R. Lithostrotum seu Pavimentum aliquot Arearum.
S. Musivum quo areæ aliquot superiores et Cryptæ ac Exhedræ tam Cortinæ quam Sacellorum et Basilicarum erant exornatæ.
T. Pharus, ubi faces accendebantur ut navibus prælucerent.

SENOGALLIA.

SENOGALLIA Ducatus Vrbinatis oppidum celebre & pervetustum, Episcopatu est inclytum, cui nuper Eminentissimus Cardinalis Fachenettus, summa cum laude præfuit.

Nomen. Opidum est à Senonibus Gallis denominatum, ut præter alios Silius auctor est, & clare Paul. Diaconus: *antiquissimo*, inquit, *tempore Brennus Rex Gallorum, qui apud Senonas urbem regnabat, cum* CCC *millibus Gallorum Senonum ad Italiam venit, eamque usque Senogalliam, quæ à Gallis Senonibus vocitata est, occupavit.* Gesta sunt hæc, & condita urbs circa annum CCCXCII. ante natum Christum, ab origine urbis Romæ annum CCCLVIIII. Vmbrorum antea sedes fuerant, quas Senones, qui urbem Romanam olim incendisse, atque à Furio Camillo cæsi dicuntur, occuparunt; ipsi CIIII. post annos à Romanis ejecti, missaque simul in hanc regionem Sena Colonia fuit, totius Galliæ prima, ait Polybius, quæ principio quidem duntaxat Sena vocata; postea ut ab altera Etrusca ejusdem nominis urbe discerneretur, à conditoribus Gallis additum cognomen fuit. Itaque passim leges Senam Gallicam, à Strabone Senegalliam, à Plinio Senogalliam dictam; quod postremum nomen hodieque retinet. aliter tamen apud Berosum Annius Senegalliam crepidatam Vmbriam significare scribit, quoniam Hebræis Senæ, Græcis σανδάλιον, Latinis crepida vocetur, quod est calceamenti genus plantarum calces tantum infimas tegens, cæteris prope nudis, & teretibus habenis junctis. Ergo is locum hunc crepidam appellat, cujus equidem rationem non video; nisi forte quia peramœnam illam hujus oræ planitiem à Polybio descriptam finit, ideo tanquam ejus extremam partem, quam in humanis pedibus soleæ tenent, crepidam vocandam putet: sed horum censuram erudito lectori damus. Senæ insuper Lucanus meminit:

Sena Colonia.

Senaque & Adriacas qui verberat Aufidus undas.

Senogalliam eversam Ioannes Roboreus Savonensis, Sixti Quarti Pontificis Max. nepos, à Principibus Malatestis, quorum dominatu habita diu fuerat, acceptam instauravit, non tamen eadem, qua prius erat magnitudine. Successit illi Franciscus Maria filius, postea Dux etiam Vrbini, Dominusque Pisauri ab Iulio II. Pont. patruo suo creatus, qui hanc urbem diu tranquille rexit, hæredemque principatus Guid'Vbaldum filium imitatione patris laudatissime imperantem reliquit. Tandem extinctis Vrbini Ducibus, cum cæteris Ducatus Vrbinatis opidis, Senogallia ad Pontificiam sedem ut feudi dominam rediit. Sena etiam nomen est flumini, vulgo *Cesano*, quod occidentem versus quatuor ferme millibus passuum ab urbe in Hadriaticum mare effluit; Misus vero tabulæ itinerariæ hoc nomine inscriptus amnis prope ipsis alluit mœnibus; & tamen Senogallia dulcium aquarum, extrema laborat penuria, quia vicinum mare insinuat se occupatque inania viscerum spatia. Incolæ è Bacchi cisterna bibunt; ad alia importata aqua utuntur. Incipit hoc loco planities amœna Apennini montibus & Germanicis Alpibus, Padoque flumine divisa.

Eversio. *Instauratio.* *Pontificiæ Sedi subjecta.* *Sena fl.*


SENOGALLIA.
A . Rocca .
B . Baloardo della perna .
C . Porta nuova .
D . Baloardo di S. Martino .
E . Baloardo della posta .
F . Porta della posta .
G . Porta Vrbana .
H . Baloardo del Porto .
I . Porto .
L . Porta del porto .
M . Porta della Marina .
N . Fortino .
O . Porta vecchia .
P . Duome, a palazzo Episcopale .
Q . S. Croce .
R . S. Antonio .
S . S.mo Rosario .
T . Chiesa della Carita .
V . Carmilitani .
X . Serviti .
Y . Monastero .
Z . Piazza .
& . Palazzo del Magistrato .
2 . S. Maria del Ponte .
450 Piedi .
150
300
450

SPOLETVM.

Nomen. SPOLETVM Ducatus Spoletani urbs primaria, à Polo Duce, aut Spolo ave, cujus auſpicio condita fuit, non ab expoliendo, ſpoliandove vocabulis Latinis, denominata, ut Annio placet. Ab ea Ducatus Spoletani nomen Vmbria ſuſcepit; quippe quia Ducum Longobardici nominis olim ſedes erat, qui præfecturam adminiſtrationemque hujus regionis obtinebant. quorum omnium primum Paulus Diaconus ait Pharolam fuiſſe. Etiam Gothos inſediſſe hanc urbem literis proditum eſt; & Theodoricum Regem ſuperbo eam prætorio, Regiaque ornaſſe; quam dirutam Gothorum ſcelere Narſes Iuſtiniani Imp. in Italia Legatus inſtauraverit.

Colonia Rom. Atqui multis ante ſæculis fuerat Spoletum illuſtris & firma Colonia Latina, velut Cicero in Balbiana oratione teſtatur: quam, Vmbris devictis, populus Romanus deduxit triennio poſt Brundiſium, ſicut ex Paterculo Livioque colligitur, C. Claudio Centhone, & M. Sempronio Tuditano Coſs. Hæc poſt inflictam Romanis ad Thraſymenum cladem cum ab Hannibale victore obſideretur, tantis viribus ejus conatus repreſſit; ut plurimis ſuorum amiſſis ſolvere obſidionem cogeretur. Verum ſuperioribus ſæculis, quod Alexandro III. Pont. Romano ſtuderet, à Friderico Ænobarbo Imperatore inſignem calamitatem accepit: *Spoleti clades variæ.* præterque cætera omnia quæ militaris furor captis adhibita vi urbibus deſignare flagitia ſolet, edicto Cæſaris quotquot ſacratæ in cœnobiis devotæque Deo Virgines erant, violenter oppreſſæ devirginatæque, ut Leander in Vmbriæ deſcriptione perhibet. Sed nec ex his malis deinceps recreata nonnihil conquieſcere tuto potuit: anno enim à Chriſto nato 1424. Perusinorum fraude captam incenſamque Bernardinus Corius prodidit. De cætero tamen ad hæc uſque tempora cum ædificiis, tum opibus atque exiſtimatione *Opes.* rurſum mirifice crevit.

Situs. De ſitu urbis hæc accipe: undique vicinus circumſtat Apenninus; cujus brachia inter non latet abjecta, verum majore ſui parte arduo ſitu eminet urbs, populo ædificiiſque frequens, & validis mœnibus firma, ac conſpicua crebris turribus, templis, aliiſque, licet à vetuſtate peſſime affectis monumentis. Meminit And. Lymvic. in itin. Rom. & adnotat in deſcriptione Spoleti, Fani Concordiæ reliquias; quas tamen Schraderus in ſuburbano locat. *Priſcæ magnificentiæ argumenta.* Superſunt præterea priſcæ magnificentiæ haud parva argumenta; inter quæ Theodorici Gothorum Regis ſupra memoratum ampliſſimum prætorium eſt, *Magiſtratus Spoletanus.* in quo Septemviri Spoletani adhibitis in ſocietatem conſilii ſexaginta è reliquorum civium numero jus dicunt, cæteraque ad urbis ſuæ utilitatem ſpectantia decernunt. *Senatores.* Cæterum Spoletanæ urbis Senatores quid ſolemnius agentes holoſerico nigro veſtiuntur, & ſerico rubro palliantur. *Amphitheatrum. Arx.* Suſpicias etiam licet amphitheatrum, quod in editiore tumulo exſtans quadratam inædificatam arcem ambit inter præcipuas Italiæ cenſendam. hunc tumulum, quem modica ab urbe ſubmovet convallis, operoſi fornices ſeu pons XXIIII, vaſtiſſimis pilis nixus *Pons.* editiori urbis parti conjungit. Arcis hujus à Blondo fit mentio; & Pontis à Facio, his verbis: *Pons etiam mihi Spoletanus placet.* *Baſilica.* At Baſilicæ Spoletanæ magnificentia exterorum oculos in ſe præcipue convertit. Fulciunt eam exterius viginti quatuor columnæ lapideæ, capitulis eleganter exſculptis ornatæ: ſedilia presbyterorum divinis in ea vacantium teſſellis ligneis artificioſe variata cernuntur. Sacella utrimque fornicibus contecta nitent picturis recentibus, & parergis gypſeis. Ara intermedia binis è candido marmore columnis tortilibus, à fronte, totidemque ex ophite à tergo ſplendeſcit. Pavimentum verſicolores è marmore teſſulæ in orbem aliaſque figuras compoſitæ veſtiunt. Quod genus Lithoſtroti in Italia iis temporibus, qui-

PORTE DELLA CITTÁ.
1. S. Gregorio.
2. S. Mattheo.
3. S. Pietro.
4. la Portella della Rocca.
5. S. Pontiano.

PARROCCHIE.
6. S. Andrea.
7. S. Appolinare.
8. S. Agatha.
9. S. Angerillo.
10. S. Angelo.
11. S. Ansano.
12. S. Biagio.
13. S. Gregorio. mag.re Coll.ta
14. S. Greg.o della Sinag.a
15. S. Greg.o delle grotti.
16. S. Gio: e Paolo.
17. S. Lorenzo.
18. S. Maria Cated.le
19. S. Marco.
20. S. Martino.
21. S. Nicolò.
22. S. Pietro Colleg.ta
23. S. Salvatore.
24. S. Savino.
25. S. Salvatore.
26. S. Vincenzo.

CONVENTI DI FRATI.
27. S. Ansano Can.ci regol.
28. S. Ant.o Zoccolanti.
29. Cappucini.
30. S. Francesco Zoccolanti.
31. S. Luca de Servi.
32. S. Maria Candellora di S. Girolamo.
33. Madonna di Loreto Barnabiti.
34. S. Nicolo August.ni
35. S. Paolo Zoccolanti.
36. S. Salvatore Domenicani.
37. S. Simone Convent.li

HEREMITORII.
38. S. Angelo Colvallone.
39. S. Angelo Scisiano.
40. S. Angelo.
41. S. Bonifatio.
42. S. Croce.
43. S. Concordia.
44. S. Giovanni.
45. S. Gregorio.
46. S. Gio: delle grotti.
47. S. Gironimo.
48. S. Leonardo.
49. la Mad.a del massaccio.
50. S. M. Madalena.
51. S. M. delle gratie.
52. Annuntiata.
53. Annuntiata delle grotte.
54. S. Paolo p.o Eremita.

MONASTERI DI MONACHE.
8. S. Agatha.
56. S. Angelo.
6. S. Andrea.
58. S. Catharina.
59. S. Giovanni.
60. S. Mattheo
61. S. Pontiano avocato della Cittá.
62. il Palazzo.
63. la Stella.
64. S. Trinita.

CONFRATERNITE.
65. S. Croce.
66. S. Catherina.
67. S. Gregorio.
68. S. Giovanni.
69. S. Gironimo.
32. S. M. Candelloro.
71. la. Misericordia.
72. S. M. Madalena.
73. S. M. Mannadoro.
74. S. Pietro martire.
75. S. Rocco.
76. S.mo Sacramento.
✱. la Concettione.

HOSPITALI.
77. S. Croce.
78. la Stella.
79. Fontana della piazza.
80. il Pallazzo de Sig.ri
81. la Piazza.
82. Ponte alto 45⅔ piedi geometrici et é longo 151. e dua terzi.
83. la Rocca.
84. il Vescovato.
85. Cicinito }
86. Staffolo } torrenti.
87. Tescino }

quibus penes Gothos ſumma rerum fuit, ſplendidiora ædificia ornaſſe, operum à Gothis exſtructorum reliquiæ teſtantur. *Ædes Sacræ.* In D.Gregorii Spoletani æde altare quoddam privilegiatum conſpicies, ſub quo S. Abundantiæ Virginis oſſa ſervantur. Dehinc S.Marthæ, & S.Hieronymo, S. Simoni, aliiſque Divis ſacratas ædes ſpectabis. *Fons.* In foro ſtructus è lapide fons eſt mira aquarum abundantia irriguus. Sunt & alii in urbe fontes, queis incolentium commoditati conſultum eſt.

Cœlum ſaluberrimum. Cœlo Spoletani ſaluberrimo fruuntur, habentque agrum vini, olei, frumenti cæterorumque copia fructuum abundantem. Hinc Martialis:

De Spoletanis quæ ſunt carioſa lagenis
Malueris, quam ſi muſta Falerna bibas.

Spoleti nomen celebrius reddidere P. Cornutus inſignis Orator, C. Meliſſus Grammaticus, de quo Suetonius atque Euſebius commemorant. *Spoletani pietate, & ſcientia nobiles.* Sub Diocletiano Imperatore D. Carpophorus presbyter Etruſcus, Abundius Diaconus, Sabinus urbis Epiſcopus, Exuperantius, Marcellinus Diaconus, Venafianus homo nobilis una cum uxore & liberis, præterea Gregorius quidam; multique tam è clericorum, quam laicorum numero, fuſo pro Chriſti fide ſanguine, Spoletum nobilitarunt. Sed & Fabius Vigil Spoletanus Epiſcopus haud parvo ſuæ urbi fuit ornamento. Ioannes quoque Antonius Aronius eruditiſſimus vir, & Marius Fanonius literarum ſtudiis patriæ ſuæ decus adauxerunt.

TARRACINA.

TARRACINA antiquissimum agri Romani ad mare Tyrrhenum opidum, *impositum saxis late candentibus*, ut Horatius ait, hoc est, scopuloso maris promontorio & pronum in Pomptinas paludes, vetus fuit Romanorum Colonia, & prius Volscorum. Anxur primum appellabatur, vel ipsorum lingua, ut quidam volunt, vel Græca potius, ut plures opinantur, à Iovis Anxuri Fano celeberrimo & antiquissimo, quod ibidem constituisse Spartanos tradunt.

Rom. Colonia. Nomen vetus.

Tarracinam mari olim circumfusam fuisse, testatur Solinus: tantum circumjacentis oræ species, quantum & ipsa mutata est. Nunc opidum est frequens, sed exiguum. Ager ejus latere maritimo fœcundus atque amœnus admodum est, olim divitum Romanorum prætoriis, villis, prædiis, ac hortis frequentibus excultissimus: quorum multæ sparsim visuntur adhuc reliquiæ atque ruinæ, quemadmodum & celebris illius portus ab Antonio Pio sumptuosissime refecti; quem Imperatorem minime ambigo molitum illa insuper opera fuisse, quæ in vicinia Portui adstructa vides, ob quæ, ut reor, Iulius Capitolinus inter insignia Antonini Pii ædificia Portum Tarracinensem, nec non Caëtanum celebravit. Nec minus prope Tarracinense promontorium cernes immanem ad solum usque ferro decussam cautem, æquatamque pavimenti in modum, viginti ferme passuum longitudine, latitudine trium. Adspicies saxeum parietem è simili candenti rupe formatum explanatumque in summam altitudinem. Admiraberis plures incisos versus sensim crescente litterarum magnitudine, quam tamen infra suspicientes oculi non animadvertunt, sed summas ac remotissimas litteras proximis atque infimis æquales cernere videntur: nempe peritus sculptor exacta visus & loci altitudinis collatione tantum auxit dissitarum litterarum formam, quantum oculorum vis excursu decrescit.

Agri fœcunditas.

Portus Tarracinensis.

Tarracinæ portam versus Fundos, aliquot centenis passibus egressus ad lævam viæ Appiæ, reperies inter altissimam rupem & mare, habitationem è saxo excisam loco perangusto munitoque, arcem civitatis vulgo dictam, in qua præsidium ad itineris propter angustias tutelam in statione degit. Inter hanc arcem, & Monasterium Sancti Angeli, quod prope Tarracinam est, in editiore parte montis amphitheatrum visitur forma quadrata, *cujusmodi sane*, ut Leander inquit, *nullum aliud adhuc visum est nobis, quanquam tum in Italia, tum extra, plurima viderimus.* A Tarracinæ promontorio retracti introrsus montes theatrali figura ambiunt virentem alibi frequentibus arbustis; alibi marinis aquis restagnantem planitiem; in cujus intimo recessu Fundi sunt denis millibus passuum Tarracina distantes. At tertio post Tarracinam lapide Regni Neap. limes est; ad quem ita scriptum:

Amphitheatrum.

Regni Neap. fines.

Hospes hic sunt fines regni Neapolitani.
Si amicus advenis, pacate omnia invenies,
Et malis moribus pulsis bonas leges.

Sed jam aliquid etiam de regina viarum Appia dicendum, quæ juxta Tarracinæ montes maxime integra hodieque conspicitur. Hic enim prope omnium signa sunt, quæ habuisse illam proditum litteris fuit: est nigricantibus latissimisque silicibus strata, & utrimque exstantibus altius lapidibus solidata: hic parvo spatio interjecta equitum peditumque commodo saxa sunt, hinc atque hinc ædificiorum ac sepulchrorum crebra ac clara monumenta, quibus ea ornatissima fuit. Erat quippe olim admodum in usu, quemadmodum in Veteri quoque Roma nostra diximus, ut secundum vias sepulchra mortuorum ponerentur, quo prætereuntes admonerent & se fuisse, & illos esse mortales, ut Varro commemorat. Audi de uno illorum miram rem. Alexandri VI, vel si Pancirollo credas, Pauli III. Pontificatu, unus de tumulis illis apertus fuit: re-

Via Appia.

Sepulchra mortuorum juxta vias.

TERRACINA.
TERRACINA
Theatrum quadratum
Monasterio de
St. Angeli
La Rocca della
Citta
Diversorium
Hosteria
Mare
Thyrrhenum
Via
Appia

Corpus puellæ integrum, ante 1500 annos conditum.

repertum in sarcophago marmoreo pulcherrimæ puellæ integrum corpus innatans admirando cuidam liquori; hic creditur adeo incorruptum servasse corpus. Facies quoque non illæsa modo, sed venusta & pæne spirans; flavi & in nodum contorti constrictique aureo circulo capilli erant. Ad pedes lucerna ardebat: sed ut apertus tumulus, simul extinctum lumen fuit. Insculptæ aliquot notæ indicabant ante mille & quingentos annos conditum ibi id corpus fuisse: cujus esset, certo scire non potuit. Conjectantium plurimi Tulliolæ Ciceronis filiæ putarunt. Deportatum Romam, & plures dies conservatum in Capitolio, cultumque superstitiose fuit; postremo Pontificis jussu abjectum in Tiberim periit. Fabulam narrare videor aut historiam, quæ plus admirationis habitura apud lectorem sit, quam fidei: nec dubito futuros aliquos imbecilli adeo judicii, ut facta hæc non fuisse, sed ne fieri quidem existimaturi sint. Quamobrem taceo patrum memoria effossam Patavii urnam cum lucerna ardente; taceo alteram à Vive commemoratam lampadem, quæ, ut insculptæ numerorum notæ docebant, ante mille quingentos annos defossa flagrabat etiam tum, cum in lucem protraheretur; taceo illam, quæ ante quinquaginta annos circiter Coloniæ ad Rhenum aperto vetustissimo tumulo visa fuit, sed visa illico lumen amisit. Taceo Hermolaum Barbarum, & Franciscum Maturantium, qui in Italiæ subterraneis quibusdam sepulchris reperiri ejus generis inextinctos ignes testantur; taceo hæc, inquam, cum lectori forte hæc falsa videantur & ἀδύνατα. Sed ut unde abii, revertar. quis non marmorum ornatissimis vestibus suis nuda nunc atque spoliata templa, Mausolea, prætoria doleat, quæ transeuntibus sparsim utrimque in Appia via, sicut & in aliis Italiæ publicis viis per viros munitis, occurrunt? sic visum majoribus majestatem atque auctoritatem Imperii Romani per terrarum orbem propagare, summisque laboribus & impensis efficere, ut ejus magnitudinem ac potentiam metuant exteri populi, quorum Principes atque Legati è transmarinis transalpinisque Provinciis Romam sæpius commeantes, Vrbis atque Italiæ maximum cultum atque splendorem attoniti non poterant non admirari.

Delectant igitur atque morantur nunc temporis advenas quoscunque, nec non exercent ingenia magna Romanorum operum ruinæ immensæ passim itinerantibus obviæ, quamvis admodum deformatæ.

TVDER,

vulgo

TODI.

Situs.

IN extrema Vmbria, quæ Flaminiam Tyberimque inter se in latitudinem fundit. TVDER eminet, oppidum prisca suspiciendum majestate: colli cuidam tanquam basi incumbens, qui triangularis, unicus sejunctusque à cæteris collibus nulla arte sed natura sola sic constat; ob altitudinem Silio Italico mons esse visus est; nihilominus tamen frugifer atque amœnus, bivertex quoque est, ac scatens aquis, ut non unum fontem modo, sed ingentem lacum dicas suis eum continere visceribus, cum domus in oppido nulla sit, quæ liquidam emicantemque aquam desideret. Radices hujus collis agerque cum dicto flumine Tyberi (cujus transitus artificioso ponte nuper conjunctus est) tum tribus aliis fluminibus rigantur. Territorium oppidi ferme ad decem milliaria quaquaversum se explicat; universus ejus circuitus circulum facile conficit milliarium octoginta: ac propter amœnitatem loci tot est castellis villisque distinctum, ut vulgo dicatur paria numero ea esse multitudini dierum anni solidi; collectaque descripto generali super triginta millia animarum ex hoc ipso dominio, Civitatis & territorii. Sic ut Pontifex hujus dominus triginta scutorum millia circiter annuatim ex ea & territorio ejus percipiat. Cœlo fruitur salubri, gradibus 43, versus arcticum polum elevato, aëre tenuiore ac temperato; prospectus etiam ex oppido est in subjectam planiciem ad 20 milliaria porrectam jucundissimus.

Aquarum abundantia.

Pons.

Territorium.

Castellorum villarumque multitudo.

Cœlum salubre.

In collis vertice uno (quem esse biverticem supra diximus) in quo Gregorius Papa XI (ut Platina scribit) munitissimam arcem olim condidit, nunc S. Fortunato loci hujus Episcopo ac Patrono sacrum templum, ab ipsis oppidanis erectum, structura eleganti conspicitur. Hic in subterranea capella sarcophago marmoreo clauduntur corpora dicti S. Fortunati, Sanctorumque Calixti & Cassiani Tudertinorum etiam Episcoporum, Sanctæ item Dignæ Romanæque Virginum Tudertum, nec non Beati Iacoboni patria Tudertis carminibus celeberrimi.

Templum S. Fortunati, in eo Divorum reliquiæ.

In altero deinde collis vertice Cathedralis sita est Ecclesia, haud minore sumptu atque artificio exstructa, Capitulo duodecim Canonicorum, ac duabus prælaturis insignis, à S. Fortunato fundata, ab Octavo Bonifacio Pontifice instructa, & Beatissimæ Virgini Mariæ dedicata; cui anno à Christo nato 1488, cum se universum oppidum devovisset, traditis in manus Episcopi sui clavibus voluit deinceps OPPIDUM VIRGINIS appellari, veluti publicis hac super re confectis instrumentis edocemur. Angelus postea Cesius R. Cameræ clericus, Episcopus idem oppidi & patrius, Cathedralem Ecclesiam non pictis tantum imaginibus statuisque adornavit, verum etiam addito Palatio Eminentissimorum Cardinalium Episcoporum habitatione ordinaria longe fecit augustiorem; qui annuum reditum ex hac Ecclesia capit amplius terna millia scutorum.

Ecclesia Cathedralis.

Palatium Episc.

Collis vertex uterque ut plana junctus esset superficie, suspensa est quadratæ formæ area, portæque hinc inde aditum facientes, inter quas ad basin areæ ab angulo ad alterum Apostolicum sese extendit palatium, turrisque ingens *del Popolo* dicta, ad cujus præfecturam à Summo Pontifice quidam è primis Prælatis dato Brevi Apostolico mittitur cum onere residentiæ.

Palatium Apostolicum.


CHIESE NELLA CITTA DE TODI.
2. La Cathedrale.
3. S. Fortunato Protettore.
4. S. Nicolò Priorato e Parrocchia.
5. S. Maria delle Gratie.
6. S. Antonio in via Vlpiana. detta Via piana.
7. S. Silvestro, Parr.a et Abbatia,
8. S.a Maria in Camuccia, Parr.a
9. S. Giorgio, Parrocchia.
10. S. Filippo, Parrocchia.
11. S. Benedetto, Parrocchia.
12. S. Giouanni, Parrocchia.
13. S. Chierico, Parrocchia.
14. S. Sabatore, Parrocchia.
15. S. Lorenzo, Parrocchia.
16. S. Prassede, Parrocchia.
17. S. Hilario.
18. S. Bonaventura.
19. S. Angelo.
CONVENTI.
20. Li Conventuali di S. Fran.co in S. Fortunato.
21. Li Dominicani in S. M. Cam.ia
22. Li Servi in S. M. delle Gratie.
23. Li Augustiniani in S. Prassede.
24. Li Monaci Olivetani in S. Sil.o
MONASTERII DI MONACHE
25. S. Giouanni Battista.
26. S. Francesco.
27. S. Andrea.
28. L'Annuntiata.
29. S.a Chiara.
30. S.a Maria Maggiore.
31. La Trinità.
32. Le Militie.
CONFRATERNITE.
33. La Misericordia.
34. S. Carlo.
35. S S. Giouanni, e Rocco.
36. La Concettione di M. Verg.
37. S. Croce.
38. L'Annuntiata.
39. Il Monte della Pietá.
HOSPEDALI NELLA CITTA.
40. S. Caterina.
41. S. Antonio.
42. S. Iacomo.
43. S. Croce.
44. SS. Giouanni, e Rocco.
45. S. Fortunato.
46. La Consolatione.
PORTE DE TRE GIRI DE LA CITTA.
47. Porta Romana principale.
48. Porta de Borgo.
49. Porta de la Valle.
50. Porta della Consolatione.
51. Porta Fratta.
52. Porta Aurea.
53. Porta Libera.
54. Porta Liminaria disfatta.
55. Porta S. Prassede.
56. Porta Marzia.
57. Porta della Catena.
PIAZZE.
58. Piazza Grande.
59. Piazza di S. Giouanni.
60. Piazza Cesia.
61. Piazza Pignattaria.
62. Piazza Capo la Valle.
63. Piazza Rubbea.
64. Seminario.
PALAZZI.
65. Palazzo Episcopale.
66. Palazzo del S.r Governatore.
67. Palazzo de' SS.ri Priori.
68. Palazzo del S.r Capitaneo.
69. Palazzo de' SS.ri Cesis.
70. Palazzo de' SS.ri Corsini.
71. Fonte Cesia.
72. Fonte Scarnabeccha.
73. Vestigio della Rocca in Cāpidoglio.
74. Vestigio delle Terme.
75. Vestigio del Teatro.
76. Vestigio del Amfiteatro.
77. Vestigio del p̄. giro della Città.
78. Vestig.o del famoso Tempio di Marte.
CHIESE FVORA, E VICINE A LA CITA.
79. I' Admirando T' della Cōsolatione.
80. Fabrica del S.mo Crocifisso.
81. Convento de' Padri Cappucini.
82. M. Santo Conv.o de Zoccolanti.
83. M. Xpō Monast.o de Monache.
84. Hospidale della Carità.
85. Giardino del Valentini.
86. Arme della Città.
e desegno de Bramante
Poggio doue era il Campidoglio.
TEVERE
TVDER vulgo TODI.
Piedi numero 450

tiæ. E regione hujus Palatii ad alteram partem aquilonem versus, prætacta Cathedralis Ecclesia ac Palatium cernitur Episcopale. Ad dexterum latus Curia est, cujus decemviri in aliquot etiam territorii castella dominio utuntur absoluto. Hæc inter cætera, quæ in ea præclara sunt ornamenta, tria spatiosa sibique imminentia ostentat cœnacula, estque tota inferius ad eum concamerata modum, ut mercaturam ibi quondam velut sub tecto factitarint homines. Contigua curiæ est Palatium Iudicis, qui civilium causarum, Palatiumque Prætoris, qui criminalium cognitionem oppidanis, à quibus dantur, acceptam referunt, præventione tamen inter eosdem ac Gubernatorem locum habente.

Curia.

Palatia Iudicis & Prætoris.

Sinistrum latus privatorum quorundam, duorumque Marchionum, Cesii & Corsini Palatia occupant. Mitto quidquid aliarum est platearum, quas in ipsa delineatione licet videre clarius, harum è numero Cesia est, dicti Angeli Cesii nunquam satis laudati sumptu fabricata; hic fontem adjunxit excisum è lapide non contemnendo: non obstantibus antiquo quodam fonte *Scarnabecca* dicto cum duobus aquariis aliisque ad quamque portam exstructis fontibus.

Marchionum Cesii, & Corsini.

Plazza Cesia.

Fontes.

Oppidi viæ mundissimæ sunt, lutosæ nunquam, ob cloacarum subtus multitudinem, & quod stratæ singulæ sint lapidibus grandioribus, coloris cærulei, lævibus quidem, haud tamen lubricis, qui, incolis *Nassi* dicti, hic in ripa Tyberis inveniuntur. Et licet viæ quædam sint montuosæ, quod vertex collis sit angustior; qua de caussa pendulum esse eum in omnes sui partes necesse est: nihilominus tamen & planas esse alias comperio, è quibus una, ipso PLANÆ insignita nomine, majorem collis partem occupat. Tuder circuitu triplici ceu corona ornatur, at memorabilior is est, qui ipsas oppidi portas ambit, quæ maximæ cum sint, & lapidibus constent grandioribus, clausæ defensæque toti sufficerent oppido captis licet suburbiis propugnando. Hæc cum reliquo oppido, quamvis (ut è ruderibus colligitur) longe quondam fuerint ampliora, parum tamen abest (etsi civilibus olim discordiis hanc Civitatem perditam destructamque cantent historiæ) quin adhuc sua intra mœnia spatium contineat binorum milliarium incolarumque bis mille familias. Præcipuæ oppidi portæ quinario clauduntur numero, ut delineatio tenet. Suburbia principaliora sunt tria, Suburbium novum scilicet, *Via Vlpiana* & *Porta Fratta*. Ipsum vero oppidum in sex est partes divisum, Collem nimirum, Vallem, Nidolam, S. Sylvestrum, S. Praxedem & Cammucciam. Octo hic sunt cœnobia virginum, inter quæ SS. Trinitatis celebrius est ob virtutes, queis hujus moniales præfulgent; illudque, cui à Comite Lucretia nomen est, monialium tertiariarum S. Francisci prima magistra; tertium deinde à militia dictum, in quo corpus quiescit S. Benigni Martyris. Monachorum autem ac religiosorum domus intra atque extra mœnia decem sunt, Conventualium duæ, strictioris observantiæ Fratrum item duæ, Tertiariorum S. Francisci una, Capucinorum una, una Olivetanorum, una Augustinianorum, Dominicanorum una, unaque Servitorum, in qua sepultum est B. Philippi Benizii Florentini corpus, qui è primis eorundem fuit institutoribus; in Capucinorum autem cœnobio condita sunt ossa Fratris Reineri Borgensis viri sanctissimi. Conventualium monasterium quondam monachorum Vallis-umbrosæ habitatio, & strictioris observantiæ Fratrum domus monialium fuit Clarensium, B. Ruggieri Provincialis consilio in eam formam redactum. Augustinianorum Beatum Simonem Rinalduccium (Procuratorem cujusdam loci dicti S. Augustinus sitique extra portam Romanam) laudat instauratorem. Dominicani jam ab anno 1236 S. Leucii quondam conventum possederunt, postmodum eis à Gregorio Pontifice condendæ ibidem arcis causa ademtum. At secularium Confraternitates sive Collegia septem Tuder habet, & eorum, qui habitu non distinguuntur totidem; inter ista Annunciationis Collegium est, à quo nuptum collocandæ virgines dote paterna cassæ dotantur, Misericordiæ Collegium ejusdem opera virtutis exercet; & Pietatis Mons argentum com-

Viæ Civitatis.

Portæ.

Suburbia.

Civitatis Divisio.

Cœnobia.

Confraternitates.

commodat pauperibus. In S. Crucis Sanctorumque Ioannis & Rochi Collegiis præbentur hospitia peregrinis. Sanctissimæ Conceptionis Sodalitas sine fœnore frumentum mutuat egentibus oppidanis atque agrestibus. *Domus Hospitales.* Domus Hospitales hac in civitate octo sunt, ex his S. Catharinæ juncta est Senensi, utrique semper præfecti sunt Priores Nobiles Senenses: at Charitatis domus nothorum hospitium amplissimos habet reditus civium Tudertum curæ inspectionique subjecta. *Templa extra civitatem.* Præter jam dicta templa duo sunt posita extra oppidi mœnia propugnaculorum instar eadem munientia. Primum solis occasum spectans Beatissimæ Virgini dicatum, Consolationis dictum, anno 1508 à Bramante delineatum, nunc ferme absolutum constat totum lapidibus operis cælati. Alterum Salvatori nostro sacrum, Crucifixi nominatum, orientem versus, quadam rurali icuncula, celebri miraculorum magnitudine, ex omni vicinia populum frequentissimum alliciens, in amplissimam fabricam surrexit: utrumque etiam Collegiatum cum sit, multorum presbyterorum devotione atque officiis celebratur. *Tuder studiorum amans.* Ad studia literarum quod attinet, nulli cedit urbium Tuder in hoc genere, cum centuria doctorum quasi continue decoretur, & Perusini Academici plerique sint Tudertes. Tuder etiam Ludi magistris duobus, uni qui Legum præcepta tradit, alteri qui Philosophiæ cognitionem, minerval exsolvit, binosque Medicos unumque Chirurgum extraneum salario afficit publici gratia boni. His accedit sub principatu Cesii Comitis nunc erecta *Stabilium Academia.* Stabilium Academia, quæ præter alia multa exercitia virtutum in proscenio, publico in loco exstructo, suarum jugiter præbet actionum specimina, ac subtilis inventionis spectacula, magnæque curiositatis, ut ex variis impressis patet relationibus. *Seminarium.* Clericorum juvenum quoque seminario ab Eminentissimo Cardinale Lantio hic quondam Episcopo fundato gloriatur. *Armis inclytum Tuder.* Eadem armorum gloria præstantes genuit omnium ordinum, belli nimirum duces & capitaneos, binasque alit peditum cohortes, & unam Equitum turmam. Familiæ insigniores quæ ad hoc usque tempus Senatorium ordinem aliumve Magistratum tenuerunt hæ sunt.

Familiæ Senatoriæ. *Atti, Astancolli, Alvi, Angelini, Arciti, Bentivenga, Benedettonii, Borioni, Bonalingua, Botii, Bernardini, Chiaravalli, Carocci, Cardovini, Corradi, Compagni, Celembrini, Ceccolini, Desiderii, Errighi, Erigucci, Fredi, Fini, Gentiloni, Giustini, Isacchini, Landi, Laurentii, Leonii, Leoncini, Lilii, Monticastri, Matalucci, Massei, Martii, Mancinelli, Nisterna, Oddi, Pontani, Petrucci, Palemonii, Panfili, Prosperi, Petti, Racani, Ridolfi, Stefanucci, Sardoli, Sorboli, Sciugatrosci, Trentaquattro, Tilonii, Todeschini, Vsfredutii, Vrbeni, Valenti, Verili, Veronici, & Valentini.*

Familiæ primariæ. Ex his subsequentes primæ sunt classis atque antiquissimo civitatis statuto potentium familiarum nomine expressæ; scilicet: *Atti, Astancolli, Bentivenga, Chiaravalli, Carocci, Corradi, Desiderii, Fredi, Landi, Monticastri, Oddi, Pontani, Stefanucci, Trentaquattro, Vsfredutii, Vrbeni.* Atque hæ à tot sæculis ad hunc usque diem perductæ avitam nobilitatem splendoremque religiosissime custodiunt; harum etiam in numero sunt Eccellentissimæ Cesiorum, Corbararum, Montemartium, Baschorum, Scismanorumque familiæ, à quibus deinde Roma aliaque ad easdem spectantia loca incoli cœpta sunt. Nihil hic dicam de singulorum honoribus aut muneribus, queis Romæ & aliubi Tudertes tam sagata quam togata Pallas ornavit. *Incolarum indoles.* Oppidani universi extraneos amant, iidem quieti facilesque regi. *Nundinæ.* Adhæc negociatio hic non quiescit, sexies enim aut septies quotannis Tudertinæ nundinæ celebrantur. Porro victus hic abundantior est, cum vicini hinc populi & frumentum accipiant, & lanam ovillam, & opimam pullitiem Roma 60 Tudere milliaribus distans. Sed hanc laudem prisca hujus oppidi fama totam absorbet. *Elogia.* Quamobrem Straboni civitas famosa dicitur, Silio Italico excelsa & magna. Annius eam in Vilumbris, seu Vejis Vmbris ponit, quos Dionysius vocat Aborigenes, quasi antiquissimos Italiæ habitatores. *Nomina.* Plinius oppidum hoc Tuder nominat, Ptolomæus Tudertum, vel Tudernum, & Dionysius, secundum Leandrum, Tioram vult appellari. Verum

(ut Stephano Bizantino placet) à Tudero Vilumbrorum Regulo nomen traxit; qui ripa Tyberina illectus, dum ibi fundamenta condendæ urbis delineat, aquila forte media, operarios inter se velociter vibrans, mappam intrepide abstulit comedentibus; quam delabi postea ex unguibus passa est in altissimum collem huic loco vicinum: inde accepto felici auspicio eodem in colle lætabundus urbem Tuderus exstruxit, quæ adhuc aquilam cum mappa unguiculis ejus appensa insigne suum retinet. Accidit hoc anno mundi 2400. Ante Trojam eversam 1500. Ante Romam conditam 1955. Denique ante natum Christum 2707. Imo, ut Claudio Giardino persuasum est, ædificata hæc civitas est in quibusdam ruderibus à diluvio causatis. Quod cum Aborigenibus coincidit, qui post diluvium primi in Italiam venerunt; hinc Vmbriæ quasi ab imbribus natum est nomen: putaruntque nonnulli ab Iano & Camese Tuderis esse principium petendum; præsertim cum ad radices collis ejus sit locus, *Valjano*, hoc est, Vallis Iani; & in quodam vico Civitatis locus, *Camuccia*, hoc est Camesia, dicti.

Fundator. *Civitatis insignia.* *Antiquitas.*

Religio.

Tudertes ab ipso ortu suo Numen Martem coluere, ut à Silio, Guazzone & Volaterrano scribitur; cui etiam in honorem erexere templum magnificentia stupenda, cujus templi nostris temporibus famosa adhuc sunt rudera: hicque oracula edebat Picus ille tanto opere ab Halicarnassæo Dionysio celebratus. Verum longo temporis intervallo post, anno nimirum Virginei partus 120, vel ut quibusdam placet, 86. Tudertes primi, secundum Guilielmum Esengrinæum, fidem Christi amplexi sunt, doctore S. Terentiano primo eorum Episcopo, qui prætactum cum reliquis idolis Picum destruxit: unde ad Hadrianum Imperatorem triumphi caussa Romam Ierosolyma reducem à Marciano Præfecto, delata re, tanquam momenti plurimum faciente, in ipso foro Trajano ante Iovis templum accusatus est. Et Imperator non modo contra prædictum Terentianum Lucianum Thusciæ Proconsulem mittendum decrevit, sed etiam universos Christianos capitali judicio damnavit. A cultu Martis Tudertes brevi tempore strenui audierunt; posteaquam, ut Leonardus Aretinus notat, Turnus eosdem habuit auxiliares. Tuder etiam, ut in Tudertinis fastis legitur, Martium dedit inclytum civem suum, qui cum gravi Thuscorum obsidione patriam liberasset, castrensem fuit adeptus coronam, statuamque in dicto Martis templo: Argatassus etiam Tuders coronam muralem atque insignem colossum magnitudine gestorum suorum meruit: & fortissimus ille comes à Tudere dictus, autore Ioanne Florentino Fiesolas evertit, ac Florentina mœnia ædificavit, ante nativitatem Christi anno septuagesimo. Vnde non sine causa scriptum reliquit Plinius, Cimbrico bello cælestem sonitum tubarum Tudere auditum, & tertio Marii consulatu ab Amerinis & Tudertibus spectata fuisse arma cœlestia ab ortu occasuque inter se concurrentia, pulsis quæ ab occasu erant.

Tudertes primum fidem Christi amplexi. *Tudertes strenui.*

Crescente Romanorum in immensum potentia plerisque populis Italiæ debellatis, Tudertes postremi Romanæ se ditioni submisere. At cognito Romanorum æquiore dominio fidem atque obsequium demerente, eos se præstiterunt, ut brevi Romanis patuerit, quo in pretio Tudertes vassalli essent habendi; Cannensi enim in prœlio contra Hannibalem (quemadmodum à Silio pluribus verbis explicatur, atque ex numismatibus etiam nunc extantibus legitur) Lucius Crista una cum sex filiis suis, præter multa alia quæ præclare fecit, tam minaciter se fortiterque in hostem gessit, ut Tuder Romani municipium esse suum voluerint, testibus Nonio Marcello & Aggeno Vrbico: adjunxerintque, secundum Sisennam, Clustuminiæ & Voltiliæ tribubus. Ab eo tempore, ut ex Manutio & Iacobono probatur, Tudertibus aditus patuit ad quoslibet honores. Inter eos (secundum Sigonium & plurimas inscriptiones, quæ passim per civitatem leguntur) merito suo numerantur L. Iulius Marcianus Ædilis, T. Popilius Albinus Præfectus Prætorio, Q. Cæcilius Atticus militum Tribunus, M. Popusilius Genialis Centurio. L. Cancrius homo Augustalis & Flavialis, Galliolus

Ditioni Romanæ subjecti. *Tuder Municipium Rom.* *Ad honores assumpti.*

lus à Galliolis homo Agrarius, F. Ablavius Proconsul Thusciæ atque Vmbriæ, & Vlpius Trajanus Consul, pater Trajani Imperatoris. Et licet flagrante civili bello Romæ, quod à Mario starent, Sylla Tudertes insectarit, Crassus deinde Collega Syllæ Tuder fuerit depopulatus, id tamen ægre ferente Sylla accidisse, Plutarchus in Sylla refert. Tamen cum civilibus discordiis omnium victor Iulius Cæsar finem imposuisset, Tuder pristinæ dignitati restituit, Coloniam suam esse voluit, & suo de nomine Iuliam appellavit; addito ob præstitam fidelitatem Fidæ cognomine, ut hujus rei fidem nobis facit quædam antiqua inscriptio marmori, quod in foro cernitur, incisa. Eadem Colonia Triumviris Marco Antonio, Lepido & Octaviano confirmata fuit, uti Sigonius inquit; diviso ejusdem hunc in finem territorio. Denique fuit ex octodecim Coloniis Augusti Cæsaris una, sicuti ex Plinio colligitur.

Colonia Iulia, Fida.

Eo tempore in editiore civitatis loco splendidum Iovi templum exstructum, Romano simile æmulumque, loco Capitolii nomen imposuit. Circa idem fere tempus, si est Suetonio adhibenda fides, thermæ cœperunt, theatra ac magnæ famæ amphitheatra hic fabricari; quorum, ut videre est in delineatione, superba adhuc apparent vestigia: quidam volunt argenteæ donum aquilæ ab eodem Augusto derivatum, quæ etiam nunc conservatur. At vilescunt honores cæterorum, si Vlpio Trajano indubitato hujus patriæ filio sceptrum imperiale datum fuisse meminerimus, ut testantur Sextus Aurelius Victor, Guilielmus Osengrinæus, Iunctinus, Panuinius, Vallo, Olympiodorus, Petrus Ricordatus, Paulus Diaconus, Baffus, Eusebius, Vspergensis, Vbertus Gotus, denique Octavius Strada: Vnde memoria ejus spatiosiore oppidi platea Vlpiana dicta custoditur, melius vero totum hoc ex apologiis Argenti ad contrarie sentientes percipies.

Templum Iovis.

Ædificia publica antiqua.

Aquila argentea.

Trajanus Imp. Tuders.

Verum Imperium Romanum plurimis regnis atque imperiis auctum, cum libidine dominandi legum fines transgrederetur, invasione Barbarorum Deus illud evertit, Tuderque tum etiam cum reliquis Italiæ oppidis Gothorum patuit direptioni. Vnde Procopius scribit Vitigium Gothorum regem à Romana obsidione Ravennam abeuntem ad custodiendum oppidum Tuder tanquam locum alicujus momenti Vgisilaum misisse cum quadringentis militibus: quod secundum rationem Chronologorum anno salutis humanæ 539 evenit. Subjungit deinde Procopius, recuperatum illud Imperio à Belisario. At Totila paulo post id denuo cum Perusia aliisque locis vicinis subjugavit; nihilominus longo tempore interjecto à Narsete cum reliquis circumjacentibus oppidis Imperio fuit restitutum anno Domini 550. Quanquam oppidum Tuder, cujus Ecclesiæ tum præsedit S. Fortunatus ejusdem patronus, divinitus afflicto quodam Gothorum capitaneo ab iisdem fuerit derelictum, ut narrat Gregorius Magnus haud multo sua ante tempora contigisse, anno scilicet æræ Christianæ 590. Sed nondum satis vastata Italia, iterum Longobardorum jugum expertum, à Romano Patritio Exarcha Ravennensi Roma redeunte cum reliquis civitatibus reddita Imperio est; ut tradunt Paulus Diaconus, Blondus, & Sigonius. Neque tamen multum temporis intercessit, quando Aginulphus Longobardorum Rex idem recuperavit, quod à Sigonio anno Christi 596 factum putatur. Inclinante tandem ad occasum Longobardorum imperio in Caroli M. potestatem pervenit; ipse oppidum cum territorio Apostolicæ Sedi donum concessit, ut legitur in donatione per Ludovicum Imperatorem confirmata, & à Blondo Sigonioque regesta; in qua Tuder oppidum peculiariter est nominatum: expresse etiam Tuderis meminit Landolphus Columna, Chronicon Giordani & Volaterrani idque ad annum reparatæ salutis 815 Chronologi referunt. Vbi observatione notandum est, quod Tuder specialiter separatum à Ducatu Spoletano in dicta donatione nominetur, hoc enim Ducatu minime continebatur, quemadmodum Innocentius Tertius Pontifex in quadam epistola regesti sui specialiter declarat; cui etiam à Conrado fuit restituta, qui anno 1190 illud occuparat, ut in Epistola

Clades.

Varios civitas passa dominos.

Tuder Apostolicæ Sedi donatum.

Varii Domini. stola ejusdem Innocentii ad Tudertes scripta legitur. Hæc ipsa civitas, sedente Bonifacio VIII, capta fuit à Malatesta; tum, ut in Chronico Antonini legitur, à Michelotti Perusiæ domino: deinde abs Ladislao Neapoleos rege; denique à Braccio Montonensi, sustinens sub hoc duce vincensque diuturnam dicti regis obsidionem, qui denuo eam diripere cogitabat, ut fusissime Campanus enarrat. Exinde Franciscus Sforza Tuder expugnavit, qui civitatem titulo Vicarii pro Ecclesia aliquot annis tenuit, donec Papali mandato Nicolaus Piccininus anno 1442 idem Sforzæ manibus extorsit, veluti ex Simonetta & Pogio notatur. *Tuder nemini subjectum,* Longo dehinc tempore, Antonini Archiepiscopi Florentini testimonio, & quodam Lapi Consilio, Baldi Scholiis illustrato teste, Tuder superiorem in temporalibus neminem cognovit; se ipsum optimis legibus ac præsidio peditum equitumque ad bis mille nonnunquam accedentium gubernans.

Populosum. Vnde populosius factum decem suburbiis (jam magna ex parte subversis) quasi nova augeri civitate visum est, dena focorum millia complexum ambitu suo, variasque officinas Lanariorum, Sericariorum textorum, linariorum, gossipiariorum aliorumque: Curia tum singulis vicibus quadringentorum Senatorum sessione ornata. *Tudertini potentes.* In eo tempore tanta erat potentia Tudertum, ut à Blondo, Fr. Philippo Bergomate, Marco Guazzo, Scoto & aliis scriptum fit, *Fulginei conditores.* Tudertes oppidi Fulginei fundatores ac restauratores extitisse anno redemptionis humanæ 1220: *Variorum oppidorum expugnatores.* Vrbiventum expugnasse anno 1330, ut ex Bulla quadam Ioannis XXII. legitur, qui hac de caussa illos excommunicavit: subjecisse sibi Ameriam, Interamnium, S. Geminum, Cesium & alia loca terræ Holphæ; impositione Prætoris & certi pluribus annis tributi receptione, quod hodiedum, in festo Apostolorum Petri & Pauli, publica præconis voce à Tudertibus in foro postulatur, quemadmodum publica nobis fidem faciunt instrumenta. *Vicinis auxilia præstant.* Præterea Tudertino equitatu Viterbum ac Senam ab interitu vindicatam legimus: ideo ab hac Tudertes in retributionem præstiti auxilii largissimorum beneficio privilegiorum affecti sunt, ab ista argentea aquila donati, ut ipsa adhuc monumenta loquuntur. *Ecclesiæ Rom. fideles.* Insuper Tudertes semper fideles Ecclesiæ Romanæ extiterunt; nam cum Innocentio IV Ecclesiæ clavum tenente (ut Platina notat) multæ civitates Italiæ se ipsas Friderico II Imperatori viliter tradidissent, soli Tudertes, cum Perusinis, Assisinis & Spoletanis Apostolicæ Sedi strenue se fortiterque conservarunt. Et anno 1280, ut Martinus Polonus asserit, à morte Nicolai IV, Tudertes Bertoldo Vrsino suppetias tulerunt, & Viterbienses Valentanum circumsidentes, magna clade afficiendo, obsidionem solvere coëgerunt. Quamobrem Bonifacius VIII merita eorum beneficiis compensaturus, incitatus adhæc quadam antiqua benevolentia, quod à puero sub Petri Caëtani Episcopi Tudertini disciplina apud Tudertes esset educatus, Tudertinam Ecclesiam, cujus idem Bonifacius fuit Canonicus, præter multa privilegia maximis reditibus, *Privilegia.* atque vexillo addita cruce alba in campo rubro & clavibus Pontificalibus transversis (quæ sunt ipsa Capituli S. Petri Romæ insignia) dotavit, denique Sanctæ nomine insignivit, *Ecclesia Tudert. Sancta nominata.* non dubitans summus licet ipse Pontifex esset, se specialiter Episcopum vocare Tudertinum; ut refert Ioannes Villanus. Verum in hac felicitate Tuder haud diu permansit, & quod lamentabilius est, ab externis neglectam cladem ipsi cives Tuderi intulerunt. *Dissensiones variæ.* Nam primum plebem inter & nobiles orta discordia, tum discerpta civitate in partes Guelforum & Gibellinorum, sub Friderico II cum Perusinis acre bellum gestum fuit, quod his Guelfi Tudertes adhærerent mille trecentis tredecim vicinis comitati. Postea inter Claravallenses & Attios nata dissensio est, horum ductor extitit Catalanus quidam, inde socii ejus Catalani dicti. Has turbas Pius II permagni momenti esse ratus, cum quatuordecim Cardinalibus ardenti studio Tuder perrexit, & menstrua commoratione facta pace composuit. Renatæ sunt factiones sub Sixto IV, & tandem sub Alexandro VI, qui eas omnino sustulit, mandando Valentino Duci Aquaspartam properare jusso ut Altibellum carcere

cere, & debita morte mulctaret; arcis etiam, ut Guicciardinus narrat, à Paulo Balionio, Bartholomæo Liviano & Ludovico Attio in altiori civitatis loco poſitæ, quam munitiſſimam fuiſſe arguunt rudera, tum ſubſecuta everſio, votique, Virgini Mariæ pacis intentione facti, ſolutio. At ſi miſſa terrena Tudertum gloria, quo cœleſti ſplendore micent cogitemus, 105. ſanctitate claros, inter quos 95. Martyres, 5. Confeſſores & tres Virgines: viginti & plures Beati, è Tudertibus fuiſſe comperiemus. Et quanquam brevitatis gratia ſingulorum meminiſſe nequimus, non ſilendus tamen nobis eſt Martinus I. Pontifex Tuderis flos, imo gemma decora orbis Chriſtiani, atque Eccleſiæ propugnaculum; dum, ut Baronii habent Annales, doctiſſimorum Theologorum coacto Concilio falſa Græcorum dogmata refutans, fortis martyr acerbam mortem non formidavit. Plerorumque dictorum Sanctorum & Beatorum geſta & officia ſingulorum typis exarata ſunt, & à Sancta Congregatione approbata, præcipue ſupradicti Martini, S. Terentiani, S. Fortunati, S. Caſſiani, S. Calixti, S. Pontiani, S. Felicis, S. Fidentii, S. Terentii, S. Amantii, S. Flacci, S. Fauſtini, S. Feliciſſimi, S. Heraclii, S. Paulini, S. Venuſtiani, S. Benigni, S. Leucii, S. Seuxtii, SS. Octoginta Martyrum, S. Romanæ, S. Dignæ, S. Illuminatæ, B. Rugieri, & B. Philippi. Inter quæ illud memoria dignius eſt, quod durante Diocletiani & Maximiniani perſecutione, ab Ablavio prædicto Proconſule unica die 80 Tudertes occiſi, Martyrii coronam meruerint; deinde nepos quidam Ablavii ejuſque filii bini etiam Tudere nati. De cætero non dictus modo Pontifex huic oppido gloriam attulit, ſed etiam multis Epiſcopis, Patriarchis, Archiepiſcopis & tribus Cardinalibus redditum eſt illuſtrius, quorum Bentivenga Bentivenga Minorum ex ordine 1278 à Nicolao IV creatus Pœnitentiarius major, Epiſcopus Tudertinus & Albanus: Mathæus Bentivenga Minorum Generalis 1289 à Nicolao IV factus eſt Epiſcopus Portenſis: & Franciſcus Atti anno 1356 multis legationibus defunctus ab Innocentio VI Cardinalis, addito titulo S. Marcelli, Pœnitentiarius major & Epiſcopus Florentinus. Antonius Calvus, quamvis Romanus, Canonicus tamen Tudertinus cooptatus eſt ab Innocentio VII in Cardinalium Collegium, & Archipresbyter S. Petri factus, nomen Cardinalis Tudertini retinuit, veluti de ſingulis ſcribunt Panvinius, Villanus, Borgninus & Ciacconius. Ex Patriarchis fuit Ranierus anno 1220 Vicecancellarius Apoſtolicæ Sedis, & Patriarcha Antiochenus. Ex Archiepiſcopis duo fuerunt, Laurentius Blondus ex Prædicatorum ordine, anno 1285 Archiepiſcopus Conſentinus: & Felicianus Aurucci, generalis Ordinis Servorum Procurator, anno 1571, à Pio V. Archiepiſcopus Avenionenſis electus. Demum 21. Tuder illuſtrarunt Epiſcopi ad unum omnes indigenæ: S. Caſſianus Epiſcopus Tudertinus, S. Felix Martanæ, Attius Atti Tudertinus, Angelarius Bentivenga Tudertinus, Thebanus Pontanus Aſſiſinus, Gentilis Bentivenga Nepinus, Ranucius Atti Tudertinus, Benedictus Mathæucius Davenſis, Ioannes Bozius in Marca Epiſcopus, Franciſcus Liſievanus, Nicolaus Fulginenſis, Pandolphus Liviani Camerinus, Franciſcus Oddi Aſſiſinus, Franciſcus Angelus Claravallenſis Feltrinus, Franciſcus Maccabrinus Anagninus, Bernardinus Livianus Nocerienſis, Ludovicus Magnaſcus Aſſiſinus, Napolio Comitoli Peruſinus, Ludovicus Atti Segninus, Nicolaus Benignus civitatis Ducalis, poſtremo Antimus ex Attiorum familia nuper adhuc ſuperſtes Ortonæ & Camporum Epiſcopus. Quorum omnium encomia ſingulorumque tempora hic in majore aula Curiæ magnifice depicta, & à Caſcia in Elogium ſuum regeſta leguntur: qui Hieronymum Stefanuccium Vrbano VIII feliciſſimæ recordationis cubiculi Præfectum in horum numerum Prælatorum, licet nondum Epiſcopum, ſed præmatura morte ex humanis ereptum quod honores, qui ſunt in Eccleſia ampliſſimi, eum expectarent, referre non dubitavit. Addo Tuder non modo Eccleſiaſticorum dignitatibus inſignium, ſed multorum etiam ſæcularium magnorum virorum extitiſſe ſeminarium. Numquid Trincii Fulginei Domini; Comites Montis-Martis; Baſchi; & Alviani Illuſtres Domini Tudere ſe natos glorientur? hinc originem

Sancti Tudertes. *Martinus I, Pontifex Tuders.* *Martyres unica die 80.* *Eccleſiaſticis dignitatibus inſignes.* *Cardinales.* *Patriarcha.* *Archiepiſcopi.* *Epiſcopi.* *Tuder illuſtrium virorum ſæcularium ſeminarium.*

ginem ducunt Eques Sanguinius Collazzonis Dominus; Ranucius ex Attiorum genere Dominus Poggii, Catalanus Simani, Montis Castelli & Iani dominus; Petrus Ioannes, & Franciscus Claravallenses Canalis Comites & Lacoscelli: & Polydorus Trentaquattro aliique Montis Orsoli Comites, quibus successit Nobilis Oddorum familia eum hodie tenens comitatum; ad eundem modum illustris Attiorum gens gaudet hodie possessione Comitatus Migliani. *Nobiles.*

Bellica virtute egregii. Porro quot egregios bellica virtute Tuder produxit? quorum in numero sunt ex gente dicti Episcopi Antimi, Iacobus Papali placito ingentis exercitus Campi Magister electus, stipendio ei ab Alphonso Neapoleos rege dato, cujus deinde domesticus extitit; Franciscus sub Galliarum rege Colonellus numerosæ fuit legionis; Ludovicus ab Alexandro VI militiæ Ecclesiasticæ Vicarius factus; Angelus sub Leone X. triremibus præfectus; Nicolaus Sperandius: Ennius, & Anselmus Claravallenses Reipublicæ Venetæ Contestabiles fuere: Georgius, & Angelarius Stephanuccii inclyti Equites Regni Neapolitani: denique Bartholomæus Liviani Venetorum Dux expertissimus, ab iisdem immortali statua fuit honoratus. *Litterati.* In literis Tuder Franciscum Rinalduccium, & Michaëlem Conradum jactat, publicos Romæ legum Professores: Antonium Pacini quoque, à Leandro relatum, celebrem Laurentii Medicæi Academicum: tum Vincentium Carocium Iuris consultissimum, ut impressa ejusdem scripta manifestant; plurima adhuc de Tudere dicenda forent, sed ne præsens descriptio in volumen excrescat, hactenus dicta sufficiant.

T Y B V R,

vulgo

T I V O L I.

Antiquitas. TYBVR agri Romani oppidum pervetus, teste Plinio, lib. 16. cap. 44. *Tyburtes originem multo ante urbem Romam habent; apud eos extant ilices tres, etiam Tyburte conditore eorum vetustiores, apud quas inauguratus traditur.* *Conditores.* Cæterum conditorem ejus ac nominis etymon in diversum alii trahunt auctores. Quidam à Phocensibus extructum; alii cum Solino & Catone à Catillo Arcade Evandri præfecto, nonnulli cum Sexto Græco ab Argivis ædificatum affirmant. Catillum vero filium Amphiarai post prodigiosum patris interitum ad Thebas, in Italiam hortatu Tydei patrui profectum, ibi tres genuisse filios ajunt, Tyburtum, Coram, & Catillum, qui patre mortuo pulsis ex oppido Siciliæ veteribus Sicanis, opidum hoc à majore natu Tybur appellarunt. quod confirmat Servius apud Virgilium in his versibus: *Nomina varia.*

Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt,
Fratris Tyburti dictam cognomine gentem,
Catillusque, acerque Coras, Argiva juventus.

Ego puto, inquit Leander in descript. Italiæ, haud difficulter has omnes de origine tum oppidi, tum nominis opiniones posse conciliari, nimirum ut Tybur à tribus illis fratribus conditum, cum quibus Argiva juventus una erat, atque in Italiam venerat, accipiamus.

Herculeum. Fuit olim vocatum Herculeum, ut Strabo perhibet, quod Herculem præcipue Tyburtes colerent, eoque certa quotannis festa die immanis hominum frequentia concurreret. *Cataracta.* Quin etiam Cataracta dictum legitur, ob vicinas loci angustias, unde Anio fluvius potius ruit, quam fluit; quippe per umbrosum nemus usque Tybur descendens, pone oppidum ex celsa crepidine in subjectam convallem dilabitur, ac deinde Tyberinis aquis committitur.

Hujus oppidi pluribus in locis meminit Livius, præsertim vero cum bella Tyburtium & Romanorum, pacemque inter utrosque compositam recenset. Et Horatius in quadam oda hoc versiculo miram Tyburis amœnitatem perstringit: *Tyburis amœnitas.*

Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, &c.

Et lib. 2. serm. idem oppidum à bonitate fructuum commendat:

Picenis cedunt pomis Tyburtia succo

Eversio. Posterioribus sæculis inclinante ad occasum S. Romano Imperio pristinam quoque Tybur dignitatem amisit: quippe à Germaniæ populis dirutum atque eversum gestarum rerum monumenta docent. At Fridericus cognomento Ænobarbus restauratum deinceps à se Tybur ampliatumque muro circumdedit. *Restauratio.*

Situs. Positum est in monte Tybur decimo ab Vrbe milliari, secundum Leandrum in descriptione Italiæ, & Basilicum Fabrum Soranum in thesauro eruditionis scholasticæ. Distat Tybur Roma sedecim millibus passuum. *Arx.* Firmissimam arcem habet à Pio II. Pontifice extructam, cujus introitum Ioannes Antonius Campanus, Episcopus Aprutinus hoc arguto disticho inscripsit:

Grata bonis, invisa malis, inimica superbis
Sum tibi TYBVR; *enim sic* PIVS *instituit.*

Aëris clementia. Tyburtinum cælum est clemens & mite; quamobrem Romani proceres olim solebant ad æstivandum Tybur frequentes concedere.

TYBUR
Vulgo
TIVOLI

Clarum natalibus Sibyllæ Albuneæ,

Famam Tyburis Sibylla Albunea Tyburtina dicta, quod juxta fontem Albuneam prope Tybur esset nata, plurimum illustravit. Eam hoc loco ad Anienem divinis cultam honoribus reperimus, in quo amne postea simulachrum ejus manu librum tenens inventum est. Templi honori ejus dicati ruinas & hodie prope Tybur videre licet, cujus delineationem exhibemus.

& aliorum virorum insignium.

Simplicii quoque Pontificis Romani Tybur patria fuit. Sed & alios præterea multos excellentes summosque viros produxit, quos omnes commemorare & nimis longum foret, & fortassis tædiosum. Inprimis vero Vincentium Leoninum silentio præterire non possum, qui diu summa cum laude belli studia sectatus est, & fratrem habuit Tyburtinæ Ecclesiæ moderatorem sapientissimum.

Fons.

Extra Tybur altissimis in jugis Fons est Albunea, sic ab aquæ qualitate, ut Servio videtur, appellatus.

Monumenta antiqua.

Infra Tybur haud procul multa vetustatis inveniuntur monumenta; interque cætera marmor insigne, quo leo cum equo tam apte commissus exprimitur, ut v a vivaque pugna videatur. In læva propinquo loco juxta pedem montis ruinæ apparent mirificæ ac peringentes Villæ Tyburtinæ, quam Adrianus Imp. immensis sumptibus ædificaverat, ita ut in ea & provinciarum & locorum celeberrimis nominibus inscriptis, veluti Lycæum, Academiam, Pritaneum, Canopum, Pœcilen, ac Tempe partes vocaret, inquit Spartianus. Villam hanc nunc Tybur antiquum adpellant, vulgo *Tivoli vecchio*, opus certe, ut rudera indicant, magnificentia & laxitate mirandum. Extant adhuc cubicula complura superne omnia augusta celsitudine concamerata, ipsumque (quod non sine ratione à Tyburtibus asseritur) cubiculum Adriani Imp. olim præcipuum. Videas hic etiam porticus atque ambulacra longissima, gradus amplissimos, aliaque sexcenta Cæsareæ magnificentiæ monumenta, laterculis passim rhombi figura sibi invicem firmissime consolidatis.

Tivoli vecchio.

Cubiculum Adriani.

Cir-

Cascata del Teverone.

Sed jam ad celebrem illam Anienis Cataractam properemus, de qua recte præter alios Strabo lib. 5. *Tybur opidum est, apud quod Fanum est Herculis, & præceps aquæ dejectus, quem facit Anio amnis navigabilis ab excelso admodum loco in vallem se se dejiciens profundam lucisque obsitam.* Hic ad Anienis ripam paulisper considens cum stupore spectat, ut *cursu præpete multa sudent adspergine cautes.* Vix unquam hic nebulæ ventique desunt. Et quemadmodum ascendentes à cataractis in altum nubes sudo serenoque cœlo, sic & in Solem objectæ irides frequentissimæ procul visentibus apparent. Fama veterumque scriptis hic fluvius celebris est, ex monte Trebanorum oriens, nunc vulgo *il Teverone* dictus.

Antrum Sibyllæ Tyburtinæ.

Inde ad Sibyllini templi vestigia, atque ipsum Tyburtinæ Sibyllæ antrum progredere, ubi dormiisse & responsa fertur dedisse, ad quod per subterraneum conclave, seu cryptam potius humilem atque angustam adeo, ut inclinato corpore prorependum ferme sit, est aditus.

Mola pulveris pyrii.

Hinc non procul est mola nitrati pulveris Pontificia, in qua prociduo Anienis impetu sedecim facile pistilla sibi adversa, alternante ad numerum sonitu, rotarum beneficio protruduntur.

Salis conficiendi ratio.

Singulariter vero hoc loco salis conficiendi rationem addisce. Terram ajunt recens ex stabulis effossam prægrandibus in vasis primum aqua macerari; aquam deinde admixtæ terræ virtute imbutam per infernum foramen 24 horis igne continuo coquendam ahenis excipi, coctamque testacea in vasa refundi, atque ad marginem eorum subrubeum paulatim salem considere, & hunc denuo igne liquefactum altera excoctione omnino purificari; cumque refrixerit, salis in modum induratum candescere.

Latomiæ.

Circum Tybur latomiæ sunt, ubi lapis Tyburtinus, de quo Plinius etiam me-

meminit, cæditur. Ex hoc, & ex Gabio lapide major splendidorum ædificiorum pars Vrbis Romæ olim constructa est, & hodie conficitur.

Aquarum mineralium ubertas.

Subjecta Tyburi planicies propter vicinum Anienem scatet gelidissimarum aquarum abundantia, quas Albulas vocant multa virtute medendi cum potæ, tum balneo adhibitæ pollentes, ut Strabo scribit. Nomen Albularum ab albo earum colore sumptum est, quem sulphureæ venæ, è quibus fontes isti promanant, efficiunt: quamobrem de his Martialis:

Itur ad Herculei gelidas qua Tyburis arces,
Canaque sulphureis Albula fumat aquis.

Similes natura sunt Labanis in agro Nomentano, ac item aliis circa Eretum aquis, ut idem Strabo perhibet. Ad viam præterea, qua Tybure Romam itur, quibusdam in locis candentes generantur lapilli, dulciariis condituris, velut amygdalarum, coriandri, anisi, cinnamomi, ac id genus aliis simillimi, adeo quidem, ut non nisi à prudentibus discerni queant. De his etiam in Roma recente occasione Tyberis fluvii, cui Anio tertio ab Vrbe lapide miscetur, egisse me recordor.

Confetti di Tivoli.

Extant quoque haud procul ab oppido Tybure Quintilii Vari, quem commisso cum Germanis in Westphalia prælio periisse, constans opinio est, & Mecœnatis villarum magnifica vestigia.

Vari & Mecœnatis villarum vestigia.

Ædes Sacræ.

Compluribus secundo Aniene vorticibus præcipitiisque fluminis observatis visita cœnobium FF. Tertianorum extra muros loco non inamœno situm, & adjunctum Fanum Antonio Paduano dicatum, nuper à fundamentis instauratum. In eo ara cernitur eidem Antonio sacra, appensis tabellis quamplurimis, perpetrata miracula docentibus celeberrima.

Ad hortum Estensem antequam te ducam, suburbanam S. Mariæ Tyburtinæ Ecclesiam plurimis reliquiis, inprimis autem ejusdem Virginis Matris icone ab Euangelista Luca depicta inclytam religiose tecum venerabor. Inde in oppidum Tybur redeuntes Cathedralem D. Laurentii Ecclesiam perlustrabimus, in qua inter cætera, visu dignum occurret admirabilis sumptus, atque artificii, ex vario compositum lapide monumentum Hippolyti Cardinalis Estensis, cujus ossa hic condita, & qui famigeratos hortos illos Estenses à se denominatos conseruit, ad quos jam transitum paramus.

Ecclesia suburbana S. Mariæ.

Ecclesia Cath. D. Laurentii.

Hippolyti Card. Estensis monumentum.

HORTI ESTENSES.

PRæcipue Tybur Horti Estenses, multiplici amœnitate, ac vario genere deliciarum, clarum per totam Italiam reddidere; Eos Hippolytus Cardinalis Atestinus in clivo Montis pone Tybur decies circiter centenorum millium Philippæorum impensa extruxit, fontium multitudine, atque artificio; statuarum copia; Xystorum opacitate; expatiantibus virentibus pratis; pomariis, & vinetis fructuosis; avium, ferarumque vivariis; aquarum abundantia, vel salientium aperte; vel occulte passim erumpentium, ad spectatores irrigandos, tonsilium fructuum circumeuntibus ordinibus, & singularitate prospectus Italicorum omnium amœnissimos, in iisque prætorium è quadrato lapide, statuis, priscis toreumatis, pictis tabulis, aliisque ornamentis, aularum, & conclavium ordinibus, porticibusque, & subdialibus solariis ad magnificentiam regiam ornatum, non sine multiplici, directoque ordine patentium fenestrarum, & utrimque extantibus turrium in modum ædificii lateribus.

Hortensi isti amœnitati novam semper dignitatem successores ex Estensi gente Cardinales liberali dextera conseruêre.

Hic erumpentes ex implexis invicem draconibus fontes altitudine insolita, atque organum hydraulicum artificio singulari constructum, & sono resonans modulato. Hic Leda, Thetys, Æsculapius, Arethusa, Pandora, Pomona &

Flora

CASCATE DEL TEVERONE A TIVOLI PIV BASSE DELLA GRANDE.

LA GRAN CASCATA DEL TEVERONE A TIVOLI.

Fontes. Flora suis fontibus celebrantur. Inter cæteros Monocerotis fontem, fontemque majorem colossæis signis Sibyllæ, Æsculapii, Anienis, & Nympharum profundentium aquas, atque Avium fontem beneficio aquarum modulantium admiror. Fontes equi Pegasei Bacchique; & crypta Veneris: item fontes Dianæ, Palladis, & fons Romanæ Vrbis speciem adumbrans cum Neptuni, Veneris & Tritonum fontibus variisque Piscinis vulgaria sunt Estensium hortorum ornamenta.

Ornamenta varia. Nihil hic dicam de antiquorum Deorum Iovis, Veneris, Lunæque supra fontem quendam navis specie, diversis modis exæstuantem, viva imitatione dispositis delubris. Taceo Prætorii statuam è Lydio lapide magnitudinis insolitæ, labyrinthos, scalarum è secto lapide oppositos ordines; ad ordinatam arborum seriem oculos animumque convertam, *Arborum decor singularis.* quibus præter nativum decorem multiformes humano ingenio excogitatæ inventiones accedunt, quippe nonnullarum frondes in speciem navium velis, remisve malis atque antennis instructarum retortas cum stupore spectabis. Quædam in castella propugnaculis munita & pontibus exsurgunt. Aliæ mirabili metamorphosi in monocerotem, leonem, equum & cætera animalia pertranseunt. *Vvæ.* Non hic pergulanæ, aut Quintiles uvæ, Apianæque inter rara censentur; sed uvas acinorum expertes hic magna abundantia inveniri, atque ex eadem vite alias cerasini coloris mense Iunio; alias colore, & tempore ordinario uvas maturescere, modum admirationis exsuperat. *Rosæ.* Rosæ hic media hyeme rubent, & ex hispidis arboribus fructus proveniunt dulcissimi. *Arbores Citreæ.* Hic citreæ arbores omnibus horis pomiferæ sunt: alia namque matura cadunt, alia maturescunt, alia subnascuntur: at malis punicis medii inter acrem dulcemque saporis gratius esse palato quid, obsecro, potest? persica hic nucum sapore imbuta duplicem fructum sapiunt, atque ex eodem caudice purpureæ albicantesque rosæ nascuntur. *Cœli temperies.* Cœli hic admodum jucunda temperies; quamobrem Poëtis frigidum Tybur dicitur, & clementius renidens solis fulgor; ita vim omnem,

partim linea recta, partim transversa plantatæ arbores retundunt, & densissimis umbris remissioni quietique apta loca constituunt, mollibus Favoniorum animulis, quorum flabellis & placidissimo murmure Tyburtina regio tota fere ventilatur, intersusurrantibus. His in umbris vario plumarum cultu aves *Aves.* emicant, & cum foliis ac fructibus picturata veste, & cantu multiplici in certamen usque luxuriant. Inter has luscinia pertinaci, ut solet, spiritu, modo in longum numeros trahit; modo summa quadam varietate flectit; modo concisa voce distinguit. Fugerat me pæne ales ille paradisiacus, tenui inprimis corpusculo, versicolore plumarum amictu: lutei capitis ejus majestatem interlitus cervicis viror irradiat: pennæ mediocriter implumatæ pupurascunt; reliquum corpus auro subrutilo jucundissime flavescit.

Porro leonum, tigrium cæterorumque animalium greges, *Animalia.* quos in varia sparsos vides, hic omni feritate deposita, in candidissima, & sine motu marmora transiere, ut sine timore propius accedas, & medius inter eosdem liberius vagere.

Habes hic, lector, adumbratam quandam hortorum Estensium imaginem: nunc, quo singula locata sint ordine, edisseram. Prætorium sive ad remittendas interdum curas, *Prætorium.* complanato hortorum loco, extructum domicilium è quadrato lapide exsurgit, magnificentia structuræ palatio regio conferendum. Dextrorsum hortus conclusus visitur; *Hortus secretus.* ideoque secretus vulgo adpellatus, in quo fontium crateres marmorei sedecim limpidissimas aquas eructant; In medio eorum quadrifrontem Ianum conspicies quaternis fontibus speculorum in modum insignem. Sinistrorsum sphæristerium est, aliaque ambulationi & lusibus extructa loca. Prætorii facies exterior, statuis multipliciter decora, geminis scalis lapideis accedentes admittit, binisque ad latera turribus modice supra tectum elatis, & ternis contignationibus evehitur. Frontispicio obversus est fons signo Ledæ spectabilis.

Hinc molli clivo descendens collis quaternis locis in areas longiores æqua-

HORTVS ET PALATIVM ATESTINORVM TYBVRI.



ESPLICATIONE DE I NVMERI NEL PRESENTE DISEGNO.

DI grand' admiratione è il ſito della Città di Tivoli, dove ſi vede come il corſo del fiume Aniene, furioſamente caſcando dalli monti nel Latio, hà fatto dentro le vene delle pietre concavitá & grotte ſtupende; quale per ſucceſſion di tempo, & per ſua natura hà generato tartari di diverſe forme, tal che in molti luoghi ſi vedeno congelati, che pareno figure humane, & tal volta animali, frutti, & infinite altre coſe ſtupende. Vedendo la bon. mem. dell' Illuſtriſſimo Sig.r Card. di Ferrara le coſe ſudette, deliberò, è meſſe ad effetto, di dar altro corſo à parte di quell' acqua, ordinò un belliſſimo palazzo, accompagnato con un vaghiſſimo giardino, nelli quali hà appropriato il corſo di dett' acqua, che nel palazzo, & giardino fà infinite belle fonti, ornando ancora detto giardino de boſchetti, laberinti, luoghi de ſimplici, & di molt' altre coſe, quali non ſi poſſono dimoſtrar in diſſegno, perciòche chi le voleſſe diſcrivere, biſognaria far un gran volume; Mà ſeguitando la mia perfettione, l'hó ſtampato, & annotatovi per numero le coſe più notabili, che vi ſono, acciò che tutti quegli che di ſimil coſè ſi dilettano, poſſino godere una tanta dilettevole opera.

1. Il palazzo, gli ornamenti del quale & le fontane di dentro non ſi poſſono qui rappreſentare.
2. Il giardino ſecreto.
3. Fontana dell' Alicorno.
4. Padiglione con quattro fontane che buttano acqua in forma di ſpecchio.
5. Giuoco di palla.
6. Scale del palazzo & nel mezzo la fontana di Leda.
7. Fontana di Tethide.
8. Due fontane di Eſculapio, & Hygia.
9. Fontana d' Arethuſa.
10. Fontana di Pandora.
11. Fontana di Pomona.
12. Fontana di Flora.
13. Viale che attraverſa tutto 'l giardino longo il quale ſono tre condotti d'acqua l'uno ſopra l'altro, de quali eſce l'acqua in diverſi modi facendo effetti belliſſimi.
14. La gran fontana in cima della quale ſono tre Coloſſi, uno della Sibilla Albunea col figliuolo Melicerte, gli altri di due fiumi Herculaneo & Aniene: quali tutti buttano acqua in tre gran vaſi. la quale poi tutta ſi raccoglie nel piano in un grandiſſimo vaſo ovato, intorno al quale ſtano dieci nimſe con urne dalle quali verſano continouamente acqua pure nel medeſimo vaſo.
15. Fontana di Pegaſo.
16. Due fontane di Bacco.
17. Grotta di Venere, dentro alla qual vi è una fontana con una Venere in mezzo & dalle bande quattro putti nudi che buttano acqua da quattro vaſi.
18. Grotta di Diana, dentro alla quale ſono due fontane, una di Diana, l'altra di Pallade con molte altre ſtatue, & lavori de Moſaico belliſſimi.
19. Fontana grande che rappreſenta Roma con ſette colli, acquedotti, tempii, ſtatue, & altri ornamenti, & da ogni banda vaſtiſſime fontane.
20. Fontana de gli Imperatori.
21. Fontana de gli Vccelli: in queſta ſono aicuni uccelletti, ſopra arbuſcelli di rame, iquali per forſa dell' acqua rappreſentano le voci loro naturali. Poi come compariſce una Civetta pure di rame, tutti s'acquettano ſubito, & partendoſi ella ritornano à cantare.
22. Scala di Tevertino con ſuoi parapetti dalle bande, & baſamenti, ſopraciaſchiduno de quali eſce un capo d'acqua in forma de bollore.
23. Fontana de draghi con un capo d'acqua, la quale ſalendo altiſſimo, nell'uſcire fa ſtrepiti come colpi d'artiglieria.
24. Fontana della Dea della natura. Queſta fontana meritamente ſi puo chiamare dalle meraviglie. Euvi uno organo il qual con mirabile artificio á forſa d'acqua ſuona da ſe ſteſſo ogni madrigale ó mottetto che ſi voglia á quattro, ó cinque voci. Molte altre coſe aſſai piu ſtupende vi hanno da eſſere, ma non e ancor finita.
25. Grotte delle Sibille.
26. Fontana d' Antinoe.
27. Peſchiere fatte á partimenti.
28. Peſchiere con mete ſudante nel meſſo.
29. Fontana di Nettuno che rappreſenta il Mare oceano.
30. Fontana di Venere Cloacina.
31. Fontana di Tritone.
32. Laberinti.
33. Giardino delli Semplici.
34. Intrata del giardino che non è ſopra il diſſegno con cerchiate & due fontane ruſtiche.
35. Laghetti fuori del giardino.

Hortorum graphys. tus quadruplicibus ante prætorium consitis hortis amœnus est, in quos utrimque & è medio tergeminis scalis lapideis descenditur, quarum latera per singulos gradus fontium digiti, in suos decidentes lacusculos, irrigant. Horti singuli in classes areolasque pulchre divisi suis sunt hemicyclis, exedris, xystisque concameratis ornatiores. Ex area Prætorii ad dextram declinans, inter arbusta lucosque, statuarum ac fontium invenies miracula: primum Thetydis; tum Æsculapii & Aygiæ; dein Arethusæ & Pandoræ; mox Pomonæ & Floræ. *Hortus primus.* In hortum primum descendens, Pegasi colossæum signum in Parnasso conspicis, cujus sub ungula in sublime fons prosilit. Post in sylvula & rupe spelæum, ubi ad Veneris Bacchique signa Cupidinis statuæ quatuor è cantharis aquam profundunt. *Lacus.* His proximus est lacus quidam aquarum, in quem per scopulos serpentes rivi inter binos colossos devolvuntur. Iacent ad lacum Anienis atque Herculanei fluviorum statuæ urnis cubito innixæ, è quibus aquas in lacum profundunt, quo munere denæ circumstantes Nymphæ quoque funguntur. Iuxta sunt binæ speluncæ seu cryptæ, altera Sibyllæ Tyburtinæ, altera Dianæ Nemorensis; utraque pavimento operis vermiculati splendida, concharum testis & fontibus signisque quaquaversum ornata est.

Hortus secundus. Inde ad secundum hortum contendens, ex ingenti hemicyclo surgentem urbem Romanam eminus conspicies, veterum ædificiorum ac monumentorum jucundis imaginibus augustam. In medio hemicycli loco plano consistit Roma specie bellatricis è pario marmore expressa, humanam excedens magnitudinem; caput ejus galea contectum, hasta manus armata, brachiumque sinistrum clypeo. Circum eam Pantheon cernes, Iovis Capitolini delubrum, obeliscos, columnas, cochlides, circos, theatra, & cætera antiquæ urbis miracula. Nec Tiberis hinc abest specie cujusdam Numinis, lupam cum Romulo & Remo à dextris habens, atque ingenti ex urna fluvium in Vrbem derivans: in cujus alveo insulam videas è lapide navis in modum fabricatam, in puppe Æsculapii; in prora Iovis, Berecynthiæ & Fauni templa quatuor habentem. Porro si ex hoc loco in subjectum hortum descendas, ad lævam sub hemicyclo, quem Viridem adpellant, inter rupes fontium aquis irriguas nemus se tuis oculis ingeret (Ornithodejum recte dixeris) ubi visuntur in arborum ramis canorarum avium simulachra, quæ velut automata quædam & plaudunt alis, & suaviter cantillant, concitatæ scilicet ab aquis per secretas ramorum fistulas ascendentibus. At bubone singulari artificio è latebris prodeunte omnes illico conticescunt, eodem abeunte concentum unanimiter instaurant. Non procul inde in medio horto stagnum rotundum ampla magnitudine cernitur, in quo labrum ingens cum fonte Draconum copiam aquarum è faucibus evomentium. Vlterius si ad dextram procedis, ad Naturæ cryptam plurimis ornatam signis lapideis accedes. Hic è plurimis compositum fistulis organum hydraulicum non follibus, sed aquis agitatum concentum reddit modulatum.

Sequentem tertio ordine hortum, præter fontium multitudinem, cygnorum exornant pisciumque situ & specie distincta vivaria. *Hortus tertius.* Iuxta hæc vivaria in hemicyclo Oceani vastitas expressa. *Vivaria.* Iam si in infimum hortum recedas, hinc Tritonis; inde Veneris Cloacinæ fontes in rupibus apparent. At in reliqua planicie inextricabiles labyrinthi inter areolas plantarum exoticarum quatuor alterne dispositi sunt: *Labyrinthi.* quo etiam loco per Ostium grande in ipsos hortos introitus est. Atque hæc de hortis Estensibus, queis Tybur superbit.

VELITRÆ,
vulgo
VELLETRI.

Situs. IN Latii regione inter Coram atque Albanum duplex via regia est, ad sinistram Latina, ad dextram Appia, inter has Veliternorum antiqua civitas quondam Volscorum Metropolis caput extollit, colli scutalis formæ innixa, à meridie Thyrrenum mare spectat, ab ortu, occasu & Septentrione modicis clivis, planitie & frugiferis montibus cingitur. Sunt quidam qui à Lacedæmonibus atque Argonautis fundatam autument, nominatamque Ausoniam, alii putant Turritam Antennam fuisse, ut Virgilius refert in bello Turnum inter & Æneam, & credibile illud est, cum Civitas hæc pro insignibus suis ternas ostentet turres; alii deinde Velitras dictas volunt à Velitis Volscorum populis, leviter armari solitis, qui ob fertilitatem soli hunc locum incoluerunt. *Nomen.*

Antiquitas. A quo fundatæ sint Velitræ, non satis constat, sublatis injuria temporum autoribus, à quibus hoc indubie scriptum fuit; verum majus hinc nascitur antiquitatis earum argumentum. Certissimum est, quod 300 annorum spatio & ultra continuis Veliternini bellis cum Romanis conflictaverint, ut potentiæ eorum frænum injicerent, sæpe victores etiam redeuntes, donec Velitrarum incolæ Civitate Romana donarentur; ad extremum in ipsos Veliternos, civili inter eos orta dissensione, Romani arma converterunt, ex caussa trucidati Martii Coriolani, quod Romam non subjugasset, sed potius matris suæ conjugisque precibus adductus, eandem liberasset: hinc nati sunt honores, mulieribus deferri soliti dedicato Fortunæ Muliebri templo; deinde cum fœdus cum Vejentibus icissent, à morte ipsius Martii, dum in eligendo sibi duce non satis convenirent, à Volscis etenim Attius Tullius Antii Primas, unanimi consensu Dux electus erat, tanta rursum inter eos excitata discordia est, ut ad cruentam pugnam descenderent. Tandem ob pestilentiam aëris, qua populi major pars interiit, paucæ hæ reliquiæ in Transtyberina regione positæ fuerunt, prohibitioni addita pœna, ne se habitatoribus Romanæ Vrbis ullo modo miscerent. Hinc Romanorum eo deducta Colonia, magno numero Romani eodem habitatum se contulerunt. Supersunt adhuc indicia antiquitatis suæ in ruderibus prædiorum urbanorum Tarquinii Superbi, Luculli, Marci, Quintii, Marii, Mutii Scævolæ, Augusti, Marcelli, Othonis, Nervæ, & multorum aliorum. *Colonia Rom.*

Sancti Protectores. Protectores sibi elegit Virginem Matrem, SS. Clementem Papam & Martyrem, Pontianum Papam & Martyrem, Eleutherium Episcopum & Martyrem, & Gelardum civitatis olim Episcopum, quorum trium postremorum corpora in Cathedrali Ecclesia sunt conservata.

Gens Octavia & posteri. Ex hac civitate Octavianus Augustus, primus ex gente Octavia Imperator ortum habuit, quæ ut hæreditatis à Cæsare Dictatore relinquendæ hæres esset combinata fuit cum Iulia gente. Ab Octavia gente Iuliana profecta est, ab hac Anicia, ab Anicia Pierleona, & ab hac Habspurgica, & tandem abs Habspurgica invictissima atque augustissima Austriacorum prosapia (Cornel. Vitig. in Genealog. Austr.) & ex eadem Pierleonum familia Frangipani venêre & Conti Cajetæ Duces, qui trecentis annis fere Romanæ Vrbis Præfecturam quasi hæreditariam tenuerunt, quorum facultates hæreditate ad Excellentissimam gen-

VELITRÆ vulgo BLITRI.
A
D
B
Mare Tyrrhenum
C
A. Mons Circeus, ubi Circen habitaſſe fabulantur Poëtæ.
B. Pontia Inſula.
C. Pontinæ Paludes.
D. Palmarola Inſula.
Depingebat
GEORGIVS HOEFNAGLE.
JOANNES BLAEU
Excudebat.

gentem Columnam pervenerunt, quod Æmilia Anicia à S. Euſtachio, ex Comitibus Tuſculanis orta, Othoni Columnæ juncta eſſet matrimonio. Matt. de Orig. Auſtr.

Aëris ſalubritas. Cœlum Veliterninum admodum ſalubre eſt, craſſo aëre tenuique temperatius, civitas ipſa in vertice collis poſita æqualiter ab omnibus ventis perflatur, & ex latere ad mare, ſedecim milliaribus diſſitum, converſo à ſylvis denſioribus altioribuſque omnis inſalubritas prohibetur. In Territorio ejus nec ſtagna ſunt nec paludes. Aquæ ſunt ſaluberrimæ. Viri & fœminæ vivido ſunt colore & valido robore. Vitam hic diuturnam homines degunt, grandævos enim invenies complures nonageſimum annum excedentes. Noctu ſub dio hic ſine ulla ſanitatis læſione ſtatur. Pauci admodum ex Veliterninis ſunt, quos ingens malum podagra divexet, pauciores Schiaditi ſunt, aliiſque morbis infecti, qui apud cæteras nationes frequentes ſunt. Nemo adeo aqua intercute laborat, aëris ſiquidem qualitas digeſtionem mirifice adjuvat, illiſquè conducit qui ex crure dolent.

Civitatis ambitus. Civitas hæc duo milliaria cum medio ambitu ſuo includit, ſpatium univerſum à civibus habitatum complectitur duodecim millia animarum; Viis, domibus, Eccleſiis, palatiis cultior eſt, ornata plateis ampliſſimis & fontibus copioſiſſimis; famam etiam adepta eſt à ſexaginta Doctoribus tam Iureconſultis, *Viri illuſtres.* quam Philoſophis & Theologis, à ſedecim Capitaneis rerum bellicarum peritiſſimis, à belli ducibus ſuis, Tribunis militaribus, Commiſſariis Generalibus Eccleſiaſtici ſtatus, ab Equitibus Iuſtitiæ, Melitenſibus, Sabaudiæ aliarumque religionum glorioſior exiſtit; & proximis adhuc temporibus Reaccenſorum *Accademici Riaccesi.* Academia nobilitata eſt, quæ Eminentiſſimum Cardinalem Bandinum patronum agnoſcebat, & civitas reſtauratorem eundem: hi Academici, ſingulis quindenis congregati, varias materias philoſophicas moraleſque, muſica interſonante, atque interventu primorum virorum nunc ligata pertractant, nunc ſoluta oratione.

Similiter Patriam Velitras recognoſcunt S. Clemens Papa & Martyro ab Auguſto Cæſare genus ducens; Anaſtaſius *Viri variis dignitatibus conſpicui.* IV Summus Pontifex, Benedictus X, dictus Ioannes Mincius à Guidonibus, genealogiam repetunt ex Guidonum gente, ex qua Summi Pontifices fuerunt Sergius III, Ioannes X, & Ioannes XII, Ioannes XIX, Benedictus VI, Benedictus VII, Benedictus Octavus, & Benedictus Nonus, S. Sylvanus Campaniæ Epiſcopus & Martyr, B. Bonaventura Minor obſervans, Ioannes à Sanctis Epiſcopus Florentinus, Leo Epiſcopus Cardinalis Veliterninus, Fr. Laurentius ex Minorum Ordine Epiſcopus Hortanus, Leonardus Gorius Epiſcopus Cephalonienſis. Matthæus Mancinus Epiſcopus Sorenſis, Iuſtinus Caroſus Advocatus Conſiſtorialis, Sylla Gorius Campaniæ & Maritimæ regionis Præfectus, Nic. Antonius Gregna Contradictionum Corrector, Antonius Mancinellus celebris Philoſophus, Dominicus Gallinella Advocatus, Tiburtius Baccarius generalis Parmæ Auditor & Placentiæ, Horatius Cyriacus Caſciæ Præfectus, Antonius Pertica Phyſicus Matthiæ Corvini Regis Vngariæ, Baptiſta Leni Protonotarius Apoſtolicus, Curtius Petrucci Auditor Rotæ Florentinæ, Leonardus Molara & Antonius Palazzo inſignes Advocati, Rugierus Giovannella famoſus Muſices compoſitor, Franciſcus Guglia haud vulgaris Poëta.

Priſcis Veliterninæ civitatis prærogativis coronidem imponit Eminentiſſimus Cardinalis Ginettus Alexandri VII Papæ Vicarius & alii Romana in curia, in qua è cæteris autoritate valebant Reverendiſſimi D. Laurentius Landi Epiſcopus Foſſombronius, D. Benedictus Landi Epiſcopus ejuſdem loci, D. Hieronymus Lanuvius Votans Signaturæ, D. Argæus Coluzzi Protonotarius Apoſtolicus, qui Eminentiſſimi Cardinalis Ginnaſii Pontificii Legati abſentis vicem in Hiſpania ſubiit, cum rege Catholico Pontificalia negotia tractans, D. Laurentius Marcelli primus in Capitolio Collateralis, D. Ioannes Baptiſta Landi Advocatus, Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini in Abbatia Vrbinæ regionis Vicarius,

rius, & nuper appellationum judex in Capitolio, D. Philander Coluzzi Status Ecclesiastici Archiatrus. D. Marcus Tullius Aretinus Advocatus consultissimus, D. Antonius Panotius Recursus judex Eminentissimi D. Cardinalis Ginetti, Franciscus Coluzzi Professor publicus.

Dignitas & potentia. Veliterninorum civitas semper apud Pontifices, quibus subjacet, non minimum locum tenuit, cum ob eorum fidelitatem, tum etiam, quod ferente necessitate, spatio horarum sex propter loci viciniam, Apostolicæ Sedi bis mille peditibus & trecentis equitibus assistere possint; adhæc quod Bretones & Guascones, qui Honorato Caëtano, Clementem VII Papam Schismaticum contra Vrbanum VI, verum Pontificem foventi, studebant deleverint; postremo quod Ladislao Neapoleos & Vngariæ Regi, contra Apostolicam Sedem bellum gerenti, restiterint, atque Alphonsi Arragonensis Calabriæ Ducis & Neapoleos Regis exercitum dissiparint, acceptis ab eo opimis spoliis, cum & Mahometicæ religioni deditos suo in numero militum haberet. Impedierunt etiam quo minus Albanus Dux, Paulo IV clavum Ecclesiæ tenente, consilium impugnandæ Romæ effectum daret, diversa sub Sommano Duce cum eo cruenta prælia committentes.

Episcopatus. Episcopus hujus civitatis est Eminentissimi Cardinalium Collegii Decanus, qui celebrans usum pallii Pontificali more adhibet. Idem in hac civitate & temporalem & spiritualem habet jurisdictionem, cum potestate conferendi omnia beneficia ecclesiastica. Ex Veliterninis *Episcopi Vel. Papa.* Episcopis ad Summi Pontificatus fastigium sequentes ascenderunt, Lucius III, Gregorius IX, Innocentius V, Alexander IV, Benedictus IX, Innocentius VI, Iulius II, Paulus III, Paulus IV. Moriente Episcopo cives peculiari beneficio duos ex Senatu suo tamdiu gubernaculis admovent, dum novus electus Episcopus succedat in locum defuncti, qui Rectores dicti, & summarium judicium exercentes, in id præcipue intenti sunt, ut tranquille vivatur, & primum Magistratus & Iudicis locum tenent, affectante eos cunctorum nobilium caterva; & in signum autoritatis suæ virgam vestitam serico heteromallo nigro portant, in summo argentea poma ferentem.

Velitræ aliquot Pontificum domicilium, tutumque refugium fuit, & è reliquis Lucii III, qui hic novem Cardinales promovit teste Ciacconio.

Episcopus hujus loci ante quam Ostia Veliternino Episcopatui uniretur, ex tribus unus fuit, ad quos Romani Pontificis coronatio & consecratio pertinuit, privilegio accepto à S. Leone II, confirmante id Ioanne V, & Eugenio III, quoniam in Ostiensi civitate totaque diœcesi, nemo qui incoleret, supererat, eam Velitris combinavit.

Episcopus & civitatis clerus potestatem habet nominandi studiosos tres, qui in Perusino Veteris Sapientiæ Collegio per septem annos aluntur, & sub ingressum tantum septuaginta scuta solventes Doctorum titulo insigniuntur, modo Veliterni sint, jubente sic testamento Petri Capoccii Cardinalis Equitisque Romani dicti collegii fundatoris.

Episcopus Veliterninus, quod præsideat multis Romæ congregationibus, variis occupationibus distractus, continuo Velitris residere nequit, & ne quem defectum in Ecclesiasticis functionibus cives paterentur felicis memoriæ Vrbanus Papa VIII de Suffraganeo perpetuo eis providit, qui Eminentissimi Cardinalis Episcopi Veliternini locum tenet, quo munere nuper adhuc fungebatur Iulianus Viani Eques Pisanus, Episcopus Solonensis.

In sex civitas est partita Parochias addita Cathedrali, quæ ministerio 14 Canonicorum, Archipresbyteri & Præpositi quotidie celebratur; habet eadem quoque suos præbendarios, Capellanos, & Seminario. Hic & zelus quidam claustralium religionum est, cum & PP. Minores observantes S. Francisci, & Minores Conventuales, & Minores Capucinos, & Fratres tertii Ordinis, Fratres Carminis, Fr. Discalceatos reformatos, & Fratres Augustinianos Congregationis Lombardicæ, Fratres *Fate ben fratelli* vulgo dictos, Monachos S. Basilii, Clericos Regulares Sommaschios appellatos, Clericos Doctrinæ Christianæ, hic videas; Cœnobia item Monialium, diversa Hospitalia,

1. Chiesa Cathedral. Episcop.
2. S. Martino, Parrocchia.
3. S. Lorenzo, Minori Osservanti.
4. S. Maria del Trivio, Parrocchia.
5. S. Gio: in Plagis, Archiconfraternità.
6. S. Salvatore, Archipret. et Parrocchia.
7. S. Maria del pontone.
8. S. Pietro, P. Regol. de Christo.
9. S. Franc.co P. Conventuali.
10. S. Maria dell'orto P. August.
11. S. Maria in via lata, P. di S. B.
12. S. Maria del Carmine, P. Carmeliti.
13. S. Chiara Monastero di Monache.
14. S. Gio: Ospedale fate ben fratelli.
15. S. Croce di Monte Calvario, Capuccini.
16. S. Maria de gli Angeli, Padri del terzo Ordine de S. Francesco.
17 S. Antonio di Vienna, Abbatia.
18. S. Maria ad Nives, Confraternità.
19. S. Silvestro e S. Iosep, de' falegnami.
20. S. Lucia, Parrocchia.
21. S. Angelo, Parrocchia.
22. S. Maria del sangue, Confraternità.
23. S. Trinitas, Ius patronatus de Sri Landi.
24. S. Antonio di Padoua, Confraternità.
25. Piazza da basso.
26. Piazza di S. Iacomo.
27. Piazza di Metao.
28. Piazza di Castello.
29. Piazza del Trivio.
30. Piazza del Cardinale.
31. Palazzo del Vescouado.
32. Palazzo del Magistrato.
33. Palazzo Vecchio.
34. Palazzo dell'Eminentiss. Card. Ginetti.
35. Porta Per Napoli.
36. Porta di Sta Lucia.
37. Porta Romana.
38. S. Tecla reformati Carmeliti.
39. S. Maria Constantinopolitana.
40 Theatro della passione.

lia, pro infirmis, convalescentibus & mendicis. Insignia hujus civitatis ante natum Christum quaternæ literæ fuerunt hac forma S. P. Q. V. hoc est, Senatus Populusque Volscorum; postea oppidani turrim in campo rubro duas inter pinos mediam sibi elegerunt insigne, quæ antiquum fuit Octaviorum & Claudiorum, stemma gentilitium volentes fortassis turre robur & potentiam harum familiarum denotare, pinis duabus perennitatem gloriæ, cujus est pinus symbolum. adjunxerunt deinde infra turrem tres pinos colligatas ad significandam unionem trium familiarum Iuliæ, Octaviæ & Claudiæ, denique hoc dictum apposuerunt, *Est mihi libertas Papalis & Imperialis*, propter multa privilegia & Paparum atque Imperatorum multitudinem, qui ab Octavia gente descendunt.

Insignia Civitatis.

Turritum Augusti servant insigne Velitræ,
Sic decet Augustum continuare decus.

Episcopatus Veliterninus antiquitate commendatur in Epistola quadam S. Gregorii, scripta ad Ioannis Episcopum Veliterninum hujus argumenti, ut Cathedralis Ecclesiæ reliquias in S. Andreæ Arianensis templum transportaret, in eoque, ne quod à Saracenis periculum esset, Synodus celebraretur. Duo ex Veliterninis Episcopis Sanctitatis gloriam meruerunt primus S. Geraldus fuit, Francicorum regum sanguine natus, in Sanctorum numerum ab eodem S. Gregorio relatus; alter S. Petrus Damianus Civitatis Faventiæ Patronus, qui exemplo suo & sermonis virtute effecit, ut Cathedralis Ecclesiæ Canonici & Psalterium recitarent, & flagris in se sævirent ad sanguinis effusionem.

Inter primas civitates Velitræ fuerunt, quæ Mundi Salvatori templum dedicarent, ut elicitur ex antiqua quadam Epigraphe inventa in ruderibus Cathedralis Ecclesiæ Deo Salvatori Sacræ, his verbis:

DEO SALVATORI MAX.
ET IOHAN. I. ET IOHAN. II.
INCARNATIONIS
CENTESIMO DICATAM.

Reditus civitatis ipsius primo consistunt in vino, quod Romam & ad alia loca devehitur, cujus tanta copia est, ut quotannis amplius ducenta millia cadorum avehantur. In frumento, cujus sex millia Modiorum Romanis suppeditat; in fructibus foras portatis; in ferina quadrupedum & volatilium, præcipue vero ficedularum, quæ hic magno numero sunt; in Metaxa quam Neapolim, Florentiam & ad alia loca Italiæ mittunt; in aceto quod Genuam & ad portum Liburnum aliasque urbes navigiis deportatur; in vino adusto diversæ speciei; in pumicibus doliariis, quibus integræ naves pro Belgio & Germania onerantur, quibus isti populi utuntur ad imbuendas sapore & conservandas cerevisias suas; unde merito Bacius lib 6. de Vinis Italiæ dixit, ut quemadmodum hi sincerissima vini parte, ac spiritu suum diutissime conservant, ac robustius reddunt vinum, non minus & his factitiis in pollinem adhibita aliquam imprimant illis vini formam ad conservationem ac robur, & in fæcibus vini subactis siccatisque æstivali solstitio, quæ in paniculos partitæ vitriariis, pictoribus & distillatoribus venduntur, qui oleum ex iis aquamque exprimunt diversis morbis curandis opportunam.

Reditus Civitatis.

Veliternini devoti sunt fidelesque Apostolicæ Sedi, bellicosi iidem & rerum suarum satagentes, ociosi nunquam, nec se ipsos jactant, nec aliis detrahunt, quotannis inimicis suis reconciliantur, injurias utrimque remittendo convivium in qualibet civitatis regione instituunt, quod Consolationis appellant, ibique congregati regioni suæ de rebus necessariis prospiciunt, defunctis pauperibus sepulturam & cereos gratis elargientes. Festum Assumptionis Beatissimæ Virginis devotissime colunt, celebrantes illud niceterio cursorio, luctatione, cursuque ferarum. Ecclesias magna cum pietate frequentant, omnes Christianæ Charitatis opera exercent, & affectu vere Christiano egenos & mendicos sublevare contendunt. Pro more habent magno semper numero quodlibet funus prosequi ad Ecclesiam, ad quam accedentes salutem & requiem de-

Indoles civium & mores.

Vestitus. defunctis animabus pie precantur. Universaliter omnes satis composite vestiuntur, plebs cum civibus, quod hi militiæ adscripti sint, sine pallio incedit, Doctores, & Patritii palliati sunt more nobilium Romanorum.

Mulieres generaliter adeo concinno & modesto habitu induuntur, ut nativæ pulchritudini admirandam gratiam concilient. Vestitus earum consuitur ex raso Florentino diversi coloris, è quibus ordinarie usu frequentiores gratioresque sunt, coccineus, color ex albo rubeus & violaceus, vulgo appellatus *Garbo di Fiorenza*, in capite velum ex raso portant sex palmarum largum violacei item coloris, capitatum & fimbriatum, quod idiomate suo *la capparella* nominant, Matronæ autem & Virgines Nobiles palliatæ more Romano magnifice vestiuntur.

Bellatores egregii. Bellica laude omnibus sæculis ad hanc usque diem Veliternini præstiterunt nationibus cæteris, historiis multos egregios belli Duces ex iisdem celebrantibus, & nostra memoria Horatius Odoardi in Famagustica expeditione Martialem virum se præbuit, Cæsar Santorecchia gloriosam mortem oppetiit, dum Zaram contra Turcas pro incolumitate Venetorum propugnaret, qui una cum Curio fratre, qui impensis suis secum decem bellicarum rerum peritos adduxerat, ut bellicosum animum ostenderet, spontaneus miles ad bellum profectus fuit; quorum apud nos & consequentium temporum homines memoria vigebit; Leandrum Lelli obsessa Goletta cum in Turcarum manus venisset, Turcæ eundem crucifixerunt; Christophorus Mancini & Sylla Lucci cum Sebastiano Portugalliæ rege ad direptionem Tuneti & Fezzæ profecti immatura morte perierunt; Hieronymus ab Angelis Vigilum supremus præfectus Horatii Medicæi in Vngaria occubuit, & cum Salisburgensi Comite in obsidione Chiavarini Mercurius Micinelli supremus Vigilum præfectus bello Sabaudico, contra Henricum IV, Regem Galliarum gesto; Mercurius Ceccarelli Vallonum Dux in Flandria sub Principe Alexandro Farnesio; Laurentius Gorius, & Theophilus Foscus & Andreas Toruzzo in classe vitam finierunt, sub Magno illo Marco Antonio Columna; Hannibal Lerice à Martellis & Attilius Passaro in Belgio; Tullius Ciriacus in Gallia sub Duce Alexandro Farnesio; Dominicus Lapii di Caperchiozzo à sclopeti ictu sub invasionem Cypri, à magno Thusciæ Duce tentatam, vitam cum morte commutavit; Hostilius Caraffa inclytus bello Vngarico, quì postmodum Capitaneus Ferrariæ mortuus est; Iosephus Philippi sub Duce Polino, Alcides Santorecchia filius supra dicti Curii in Vngaria, dum Strigonia expugnaretur Colonelli Fr. Fulvii Pasi locum tenens cecidit; Fulvius Saffaramius in eadem expugnatione; Cæsar Philippi supremus Vigilum præfectus Bononiæ, Ferrariæ & Romaniolæ sub Principe Savelli, Septimius Fiscarius in Galliis, & in direptione Ferrariensi militarem fortemque animum ostendit; & Iosephus Ginettus Campidux in Valtelina regione, & primo Dux Generalis pro Imperatore Ferdinando in Moravia, deinde Consiliarius status & belli Marchioni Spinolæ in Belgio adjunctus, & nuper adhuc erat supremus Vigilum in classe & Statu Ecclesiastico præfectus; Ioannes Ginetti Eques, frater supranominati, præfectus Equitum maritimæ regionis, Latii, Campaniæ & Montis S. Ioannis, denique Commissarius fuit Apostolicus accepto mandato sanciendæ pacis cum Galliarum Rege, cum Pontifice in Valtellina belligerante, cujus Dux erat Marchio Covræus, Pontificis autem Torquatus Conti Dux Guadaniolus: & ut reliquos omittam, qui jam nomen suum famæ inseruerunt, Antonius certe Bragacius, infimæ conditionis homo, Caporalis factus in Vngaria munimentum Tatta dictum, sua & septingentorum Turcarum morte cuniculo succendit: Idcirco Alphonsus Rex Neapolitanus cum ei prælium esset cum Veliterninis committendum verbo, *Valer*, dicto à Paulo Iovio regesto, suis militibus indicavit, acrius solito fortiusque esse pugnandum, tentantibus bellicosissimam gentem Italiæ superare, qualem eam esse tot autores testantur.

Domina fuit multorum oppidorum &

& castellorum jurisdictionem habentium, hoc in numero Setia fuit ingenti pecuniæ vi à Ladislao Rege Neapoleos redempta, ut eam Apostolicæ Sedi restitueret; Riccia similiter, Castellum Gandolfum dictum, oppidum *Rocca di Papa* dictum, & hodie adhuc possidet Castella bina, *Faggiola* & *Ariano* dicta, quorum pascua agerque annuatim non parvam ejus ærario pecuniam inferunt.

VITER-

VITERBIVM.

Etruriæ pars est Patrimonium D. Petri à Machtilde illustri muliere Ecclesiæ Romanæ legatum; hujus patrimonii, metropolis est VITERBIVM, cujus etymon varie à multis proditum Annius Viterbinus commemorat. Quidam Viterbum tanquam Vei-Terbum, id est, Curule Terbum putavere dictum: ab aliis aliter etymologia fingitur: Vita Heroum, Vi trium Vrbium, Vita Vrbium, Vita-Herbidum, Vita inermium, Vi Thermarum, plurimisque modis aliis, quos idem Annius recenset. Verior Arcadis Episcopi sententia, qui Viterbum à Desiderio Longobardorum rege nuncupatum ait, tanquam trium urbium septum seu murum terna complectentem oppida. *Nominis etymon.*

Extat enim Viterbi descripta in alabastrina tabula hujus regis Constitutio, qua ita edicit: *Revocamus statuta Regis Aistulphi contra Vetulones edita, ut Lacus non Tyrensium, sed Vetulonum sit, qui lacus Magnus Italiæ dictus est, quia ager eorum prius est Italia dictus, ab ibi sede Itali decreta: & ut suam Longolam non Longobardulam, sed cognomine sui ampliatoris Tyrrheni Terbum vocent: & ut sub uno muro cingant quatuor oppida Longolam, Vetuloniam, Tyrrhenam, Volturnam dictam Hetruriam, totamque urbem nostra adjectione Viterbium pronuncient.* Itaque Desiderii Regis jussu, quaterna oppida, Longola, Vetulonia, quæ XII. Etruriæ urbium una, Tyrrhena & Volturna cognomine Hetruria, intra unum murorum complexum inclusa fuere, & universim novo Viterbii nomine appellata.

Ergone urbs fuit, quæ suæ provinciæ nomen ferret? sane multi auctores Hetruriæ urbis meminere, & clarissime Cato: *Gens tertia Thusciæ*, inquit, *Transapennina à Ciminiis diffunditur ad Pistorium; in his Volturrena* (Desiderius in edicto Volturnam nominat) *sub radicibus Cimini jacet, cognomine Hetruria, à qua tres gentes Etruriæ appellantur Etrusci, ut à communi metropoli.* Hæc ergo Hetruriæ urbs, seu Volturnam, seu Volturrenam mavis dicere, cum Tyrrhena, Longola ac Vetulonia communibus cincta mœnibus fuit, junctisque simul urbibus Viterbii nomen factum ad hanc usque diem manet. Qua de re copiose disserit Leander Albertus in sua Italiæ descriptione, ac cætera quidem, quæ memorat, non videntur à veritate aliena. Illud Carolo Sigonio auctore, damno, quod Hetruriam, cum urbem significat, sine aspirationis nota scribendam docet; at cum aspiratione, quando regionis nomen est. Quinimo Etruriam provinciam incolasque Etruscos scribi sine aspirata litera *H* debere Sigonius, quem laudavi, è manuscriptis libris & Triumphalibus lapidibus, qui Romæ in Capitolio servantur, probat ac mihi persuadet. De Hetruria hæc satis: de Viterbii laudibus sunt, quæ dicantur. Vetustas primo, quæ à prima urbis origine, non solum Desiderii Longobardorum Regis instauratione repetenda. Fuit autem hoc quod Viterbium dicimus, Fanum Voltumnæ, ipsis Vrbis Romanæ initiis antiquius, ad quod XII. Etruriæ populi de publicis rebus consilia agitaturi conveniebant, loci frequentia atque opportunitate adducti; medium enim ferme erat inter Volsinios, Vejos, Cære & Tarquinios, principes tunc Etruriæ civitates. Patet itaque jam Viterbium origine esse vetustissimum, quanquam si oppidorum conjunctionem spectes, novum putari queat, ut Blondo placet, qui novam urbem propterea se censere dicit, quod nullam ejus apud antiquiores mentionem invenerit. Civitas ex more institutoque Ecclesiæ Romanæ Viterbium à Cælestino Tertio Pont. Max. effecta, is enim, ut testatur Platina, primus ei Episcopum dedit. *Origo Vrbis.* *Vetustas.*

Situs Viterbii ejusmodi est. A fronte contra Montem Physasconem Thusciæ oppidum, quod Catoni Mons Fisum dicitur, amplissimam planitiem *Situs.*

1. Porta de S. Matteo.
2. Porta de S. Sisto.
3. Palazzo dell'Ill.º Govern.re et Residenza de Cavalieri del Giglio.
4. Palazzo dell'Ill.mo Sig.ri Conservatori.
5. Piazza del Commune.
6. Piazza del fonte grande.
7. Piazza de S. Belardino.
8. Piazza del Mercato Vecchio.

RIONI.

10. ARBANO.
11. LONGOLA.
12. VETVLONIA.
13. VOLTVRNA.
14. Colomba.
15. La Spurinelle.
16. Porta Sonsa.

CHIESE.

17. S. Agostino in Volturna Monache Eremitane.
18. S. Andrea, Parrocchia.
19. S. Angelo de spatta Parr. et Colleg.
20. S. Antonio da Padua. frati Cappuccini.
21. S. Bartolomeo, Monache Cistersiensi.
22. S. Antonio Abbati, in valle.
23. S. Bastiano de Falegname.
24. S. Belardino, Monache.
25. S. Biasio, Confrat.
26. S. Caterina, Monache.
27. S. Clemente, Confrat.
28. S. Croce de Mercanti.
29. S. Domenico, Monache.
30. Domus Dei.
31. S. Egidio, Confrat.
32. S. Erasmo, Compagnie.
33. S. Faustina, Parr. Colleg.
34. S. Francesco, frati minori, Conv.
35. S. Gio Batt.a frati Carmeli.
36. S. Gio. in Valle, Confr.
37. S. Gio. Zocolli Parr.
38. S. Girol.º Comp de Secreti.
39. S. Iacomo e Phil. et S. Martino, Parrocchia.
40. S. Gregorio.
41. S. LORENZO, chiesa Cathedr. Parr. et Colleg.
42. S. Lonardo nel Colle Parr.
43. S. Leonardo in Valle Confr.
44. S. Luca, Parrocchia.
45. S. Lucia della Religione de Malta.
46. S. Lucia de Fabri.
47. S. Marco Parrocchia.
48. S. Maria Annontiata.
49. S. Mar. in Carbonara, Commendo de Malta.
50. S. Mar. del Carmine, frati Carmel.
51. S. Maria della Colla, Confrat.
52. S. Mar. in Colomba, frati.
53. S. Mar. delle Croce, Crem.
54. S. Anna, Confrat. del Giesu.
55. S. M. delle Fortezze, frati di S. Franc. di Paula.
56. S. Mar. della Ginest.ra Confraternita.
57. S. Mar. de Gradi frati Domenichani.
58. S. M. Magdalena, Confrat.
59. S. Mar. Nova, Parrocchia.
60. S. Mar. della Pace, Monache de Servi.
61. S. Mar. della Peste.
62. S. Mar. dell Poggio, padri della D. Christ.a
63. S. Mar. dell Rose.
64. S. Mar. della Salute. Confrat.
65. S. Matteo in sonac Parrocchia.
66. S. Nicola de Saolari.
67. S. Nicola de Vaccellari.
68. S. Orsola Confraternità.
69. Ospedale de Calzolari.
70. Ospedale d' Orfanelli et Conualescenti.
71. Ospedale delli Osti.
72. Ospedale de S. Spirito.
73. S. Paulo in mone Oliveto, frati Cappuccini.
74. S. Pellegrino, Parrocchia.
75. S. Pietro del Castagno, frati del B. Pietro da Pisa.
76. S. Quirico, Parrocchia.
77. Ospedale de Pellegrini
78. Ospedale de Sarti.
79. S. Rosa, Vergine Veterbese Monache de S. Chiara.
80. S. Salvatore de Molenari.
81. S. Simeone et Giuda, Monache.
82. S. Simone, Parrocchia.
83. S. Sisto, Parr. et Colleggiata.
84. S. Thomasso Confraternità.
85. S. Trinita, frati Cremit di S. Agostino.

tiem ſpectat: tegitur à tergo inprimis arduo monte, cui hodie ab urbe cognomentum; olim Ciminus dictus fuit. *Agri fertilitas.* Ager Viterbinus fertilis eſt, & copia earum rerum quæ ad vitam ſuſtentandam pertinent, abundat, fluminibus piſcoſiſſimis, & calidarum aquarum fontibus irriguus. Multa præterea in agro Viterbino antiquitatis monumenta reperies, quæ ſingula Leander in deſcriptione Italiæ accurate recenſet. *Fontes.* Intra urbis mœnia aquarum maxima vis elegantiſſimis fontibus proſilit; inter quos ad S. Luciæ portam prope arcem extructus plurimis pulcherrimo ordine ſiphunculis limpidam aquam ejectat, recreat oculos inſueta ſpecies; aures jucundiſſimum ſtrepentis aquæ murmur. Vino urbs non æque felix eſt, quod niſi coquatur, protinus languet & perit. Id ferme commune eſt vino Italico, ut in vitium cito inclinet evaneſcatque vetuſtate.

Viterbii deſcriptio. Cæterum amplitudo urbis mediocris eſt; figura pæne ſemicircularis: portas habet ſex; mœnia turrita, turritaſque domos complures; Plateas etiam longas lataſque. *Pont. Max. Sedes.* Sæpe Summorum Pontificum Sedes Viterbium extitit, floretque etiamnunc templorum ac cœnobiorum multitudine & cultu religionis. *Sepulchra.* In Cathedrali Eccleſia, quæ D. Laurentio ſacra eſt, duorum Rom. Pontificum ſepulchra viſuntur: porphyreticum Ioannis XXII, & Alexandri IV, apud Franciſcanos Hadriani V, apud Dominicanos Clementis IV, Pontificum. *Ædes Sacræ. Parœciæ.* Parœciæ Viterbi ſunt ſedecim; S. Andreæ, S. Angeli de Spata, S. Fauſtini, S. Iacobi, Philippi & Martini, S. Ioannis cognomento *Zocoli*, S. Laurentii, quæ & Cathedralis & Collegiatæ titulo inclyta, S. Leonardi, S. Lucæ, S. Marci, S. Mariæ novæ, S. Matthæi in Sonao, S. Peregrini, S. Quirici, S. Simonis, S. Sixti, & S. Stephani. Ex his Parœciis S. Angeli, S. Fauſtini, S. Laurentii & S. Sixti Eccleſiæ ſunt Canonicorum Collegiis inſignes. S. Mariæ in Carbonara ædes ad Commendariam religionis Melitenſis pertinet. Reliquæ Sacræ ædes aut à monachis, aut à Deo dicatis Virginibus, aut à Laicorum confraternitatibus tenentur. *Cœnobia Religioſorum.* D. Antonii Paduani Ædem, PP. Capucini tenent; S. Franciſci, FF. Conventuales; S. Ioannis Baptiſtæ, Carmelitani; S. Mariæ à Cerqua, PP. Dominicani; S. Mariæ Fortitudinis, FF. S. Franciſci de Paula; SS. Trinitatis, FF. Eremitani S. Auguſtini. Extra urbem, S. Mariæ de gradibus templum, PP. Dominicani habent; S. Pauli Montis Oliveti, PP. Capucini; D. Petri cognominati *del Caſtagno*, Sectatores B. Petri Pizani; S. Mariæ de Carmine, Carmelitani; D. Mariæ Paradiſiacæ, FF. S. Franciſci à ſtrictiori obſervantia cognominati; S. Mariæ Veritatis, FF. Servi. *Monialium.* Monialium cum adſitis templis Cœnobia his nominibus appellantur: S. Auguſtini cœnobium cum templo in Volturna, S. Bartholomæi, S. Bernardini, S. Dominici, SS. Simonis & Iudæ, S. Catherinæ, S. Roſæ Virginis Viterbinæ, cujus Beatæ corpus adhuc integrum in dicata eidem æde ſervatur, coliturque à S. Claræ ſectatricibus. *Laicorum confraternitates.* Religioſorum cœnobiis Laicorum confraternitates ſuccedunt. S. Annæ templum tenet Confraternitas Ieſu; S. Mariæ Salutis, S. Clementis, S. Blaſii, S. Ægidii, S. Ioannis in Valle, S. Mariæ *della colla* dictæ, S. Mariæ à Geniſta appellatæ, S. Mariæ Magdalenæ, S. Vrſulæ, S. Rochi, & S. Thomæ templa à cognominum confraternitatum patronis ſunt denominata. *Domus hoſpitales.* Senæ Viterbii ſunt domus hoſpitales; S. Spiritus, Orphanorum & convaleſcentium, Hoſpitum, Sutorum, Sartorum, & extra mœnia Peregrinorum.

Præter templa continet hæc civitas multa alia ædificia ſtructuræ cum magnificæ, tum elegantis. *Arx.* Ad Portam S. Luciæ celſa turri eminens arx conſpicitur circumducta foſſa probe munita, fontem in medio interioris areæ habens limpidiſſimis aquis ſcatentem. *Palatia.* Sunt etiam Epiſcopalis Domus, Legati Pontificii, quem Gubernatorem adpellant, palatium, & conſervatorum curia pulchritudine atque ornamentis ſuis cenſenda. Taceo privatorum Nobilium domos, ſuis pleraſque turribus inſignes. *Nobiles Viterbini.* Cenſentur vero Nobilium Viterbinorum numero: *Almadiani, Altoviti, d'Anſechi, Beccaria, Bonnini, Bonelli, Brigidi, Buſci, Cavalieri, Cetti, Chiſi, Coſſari, Cordelli,*

Con-

Conticelli, Farnesi, Fagli, Florenzoli, Gatti, Latini, Lorenzetti, Maccabei, Marzi, Marori, Mazzatodi, de Medici, Migliozzi, Mosti, Nini, Paleologi, Paolini, Pierocristafoni, Poggi, Parmagoni, Regii, Ruscelli, Sciacchi, Sciamarini, Spiriti, Sprecchi, Turini, Vereschi, Vichi.

Dominatus. Egregios homines plurimos Viterbium produxit, qui prudentia atque opportunitate agendarum rerum Vrbis principatum sibi vendicarunt. Ex his *Vichi.* *Vichi* diu rerum potiti; donec ab Ægidio Carila Cardinale ac Legato Ecclesiæ Romanæ, cujus tum in Gallia sedes erat, pulsi. Eo tamen fatis intercepto ad imperium redierunt, idque deinceps ad Eugenii IV. Pontificis tempora conservarunt. Postremus ex Vicis urbi dominantibus Franciscus fuit, qui à Patriarcha Vitellesco Pontificiarum Legionum Duce confossus, Ioannem Gat- *Gatti.* tum in Viterbino principatu successorem reliquit. Ille Princivalem filium, qui Roma Viterbium reversus impetu inimicorum circumventus periit. Ob ejus mortem, cum populus tumultuaretur, cædes multæ editæ, plurimaque dejecta ædificia: sed compositis deinde motibus, cessanteque seditione Ioannes Gattus II. principatum urbis suscepit.

Is tranquillo jam tum ac pacato civitatis statu anno à Christo nato 1497 cæ- *Variæ clades.* sus: qua occasione Columnæ urbem ingressi, Magancesios, qui Gattorum erant inimici, magno numero obtruncant: ædes multas diruunt: plurimas diripiunt. Tertio anno post, Vrsini qui Magancesiorum partes tuebantur, Gattos vicissim ejiciunt: sævitumque est tam vehementer, ut neque ætatis neque sexus habita ratio; tot ædificia flammis ferroque consumpta, ut à barbaris gentibus crudelius nihil agi potuisset. Nec aliter à Gattis dein occupata urbe Magancesiorum habitæ partes. Hujusmodi calamitatibus non semel conflictati Viterbini suam urbem ruinis deformatam reddiderunt.

Doctrina, & dignitatibus Eccl. ornati. Viros præterea Viterbium peperit doctrina & dignitatibus Ecclesiasticis ornatos, quos inter Facius Sanctor Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, & Petrus Antonius Episcopus Signanus, excellens Theologus; item Ioannes Annius Apostolici Palatii Magister, vir egregie non solum Latinis literis, sed etiam Græcis, Hebraicis & Chaldaicis eruditus; præterea antiquitatis studiosissimus indagator, uti scriptis editisque libris abunde testatus est. Romæ diem obiit Alexandro VI. Pontifice, ac ibidem in templo S. Mariæ supra Minervam dicto cum Petro Antonio sepultus est. Post Viterbium Romam versus mons est Viterbinus, cujus ipsis in radicibus Viterbium. Totus Scriptorum *Mons Cyminus.* grex, uti Cato, Livius, Virgilius, Antoninus aliique plurimi Montem Cyminum vocant: difficilis est ascensu descensuque. In ejus cacumine Cana- *Oppida.* pina oppidum visitur, cujus incolas antiqui Capenates dixere. Fuit & olim hoc in monte Coritum oppidum, cujus adhuc vestigia superesse Leander affirmat. Hetrusci sua lingua *Coritnienta* vocarunt, quod Latine, ut Servius exponit, Coritum montem munitum cum arce & castello significat. Erat item in Cymino invia quondam & horrida sylva, Livio & Floro testibus. *Sylva.* Hac tamen ætate excisis arboribus repurgatisque locis iter habet non minus frequens atque tutum, quam olim infra Viterbium via Cassia fuit Romam Vetralla ducens. Trans arduum hunc montem meridionalem plagam versus lacus visitur cum proximo Vico, ex *Lacus Vici.* quo Vicorum gens nobilis, quæ Viterbinæ Reipublicæ principatum diu tenuit, originem traxit. Lacus hic à Catone & Virgilio à monte Cymino Cyminus; nunc à proximo vico Lacus Vici appellatur, Blondo, Leandro, Pomponio, Sabino, Nicolao Erythræo & aliis testibus. De quo lacu ita Servius Virgilii Scholiastes: Aliquando Hercules ad hos populos venit, qui cum à singulis provocaretur, ad ostendendam virtutem defixisse dicitur vectem ferreum, quo exercebatur; qui cum terræ esset adfixus, & à nullo potuisset auferri, eum rogatus sustulit; unde immensa vis aquæ secuta est, quæ Cyminum lacum effecit. hæc Servius, insuper addens, quanquam hoc fabulosum sit, verum tamen esse locis hoc situ humilibus egesta terra statim aquas prorumpere, propter abundantiam earum, quæ hic tanquam in concha minimo sub terra spatio lateant.

Suria-num. Propter Cymini juga Surianum opidulum est, ubi totius Italiæ munitissimam arcem Nicolaus III, ex Vrsinorum gente Pont. Romanus, exstruxit, posteaque suæ familiæ concessit, ut Volaterranus auctor perhibet. Eam quo tempore Pontificia Sedes Avenione hæsit, Britones à Cardinale Gebennense Gregorii XI. Pontificis Legato in Italiam adducti occupaverant, neque prius ulla vi extorqueri sibi passi sunt, quamvis ab Alberico Cuniate libertatis summo vindice reliquis Italiæ locis omnibus fuissent pulsi, quam Martinus V, è gente Columnensi Pont. Maximi Sedem è Gallia Romam reduxisset: is enim artibus, ingenio ac muneribus id effecit, ut sponte excederent, arcemque suæ ditioni ac potestati restituerent, quemadmodum Blondus, Volaterranus & Sabellicus memoriæ prodidere.

Arx.

VRBI-

V R B I N V M.

VRBINVM antiquissimum Romanorum municipium olim Vmbriæ, mox inter eximias Piceni Civitas, & Metropolis. Metaurum, & Isaurum fluvios ad Apennini radices interjacet, intra non indignum sua fama ambitum late domus, quas habet magnificas, protendens. Partim ad Orientalem plagam, partim ad Occidentalem spectat, saluberrimis auris aperta, adeo ut eventilato terrestri halitu præcipua alumnis ejus sanitas reddatur; ubi plurimi senes ad annos supra octuaginta ætatem producunt. Ita dicta ab orbe propter rotunditatem, qua suis primordiis montem, in qua usque adhuc sita est, coronaverat, vel ab Orobia, sic cognominata Dea Vesta, cui olim sacrificasse Vrbinates, memoriæ proditum est.

Situs.

Aëris salubritas.

Nomen.

Superantibus Vrbis clivum antiquitus pæne rudem, & sylvis undequaque horrentem, nunc ad amœnitatis commendationem supra quam æstimari potest, exactum, scæna aperitur non alibi, pulcherrima. Diceres effusos ubique montes ad picturæ examen naturam illuc librasse, ac veluti in coronam Vrbis distribuisse. Qua amnes maria subeunt, facies lætissima terræ in amœnissimos colliculos partita, qua vero ad Apenninum toto fere anno rigentem nivibus porrigitur, sive saxorum nonnullis in locis nuditate, sive saltuum opacitate, horrida & aspera.

Amœnitas.

Neque is prospectus curiosis oculis ingratus, cum tot jugorum horroribus castigati, continuo agri fertilitate reparentur, ac proinde in subjectas sibi valles & cristallinam æquoris planiciem effundantur jucundius. Ad summum finge tibi in conspectum bifrontem Ianum hinc hyemis, inde Veris spiritibus temperantem aëra.

Si quæris fundationem; antiquissima est, ut memoriam Scriptorum pæne lateat, licet ejus aliqui meminisse legun-tur. (Var. lib. 7. de orig. ling. lat. Plin. in 6 Reg. Italiæ; Tacit. lib. 19 hist. Cic. in Philippicis, Procop. lib. 2 de bello Goth. Flavius Blondus lib. 6. hist. Ioan. Villanus in Annal. Florentiæ;) tamen annos circiter centum post conditam Romam à Metauro Suasso Vmbro, creditur ædificata, & fortasse longe antea, ut ab aliquibus scribitur. Si quæris fortunam, cum Romana ad declinationem usque Imperii consensit. Hinc in sexta Regione posita, & vigesimæ secundæ tribui aggregata commemoratur.

Antiquitas.

Barbaris sceptris cum ipsa Roma & universa Italia paruit. Dein Belissarii armis obsessa, ultra annum strenue restitit, donec accisis Gothorum viribus, in deditionem accepta, ultimum suum quasi deploravit excidium. Verum restaurata pro illorum temporum sorte fluctuavit. Quippe Longobardis à Narsete, quorum auxiliariis armis Gothos (ubi nunc intra Vrbinatem agrum extat Canonicorum Abbatia,) fuderat, è Pannonia revocatis Rex illorum Alboinus, cunctis ferme Italiæ regionibus, in suam redactis ditionem, sub Ducatu Spoletano illam distinxisse existimatur. Quam tenuere Duces Longobardi annos circiter CCXX, quamdiu stetit in Italia Regnum. Quo tandem excusso, Pipini primo Regis Franciæ, deinde Caroli Magni ejus filii ope, Ecclesiæ seu donata, seu, ut melius dicam, restituta, sub Pontificum jure aliquandiu respiravit. Verum paulo post, Italiæ Regno cum Imperio ad Italicos Principes devoluto, magnis & ipsa motibus concussa fuit, Berengariorum modo æmulationibus, modo armis, humana jura, ac divina miscentium vexata, cum accito à Ioanne XII. Pont. Othone Germaniæ Rege, & ejus auxiliis Ecclesiastica ditione ab istorum Tyrannide liberata, res magis pacatæ & illam habuere. Dein Othone II Imp. (ut ex antiquis scripturis autenticis apud Corn. Aurelium Corbilum liquet) una fuisse conjicitur ex illis, quæ insordescente apud populares Augusti nomine, liber-

Variæ clades, & Domini.

Duces Longobardi.

Berengarii.

VRBINO.
PONENTE.
ORIENTE.
OSTRO.
TRAMONTANA.
Dal A al B si cala.
Dal A al C si salisci.
Dal A al D si cala.
Dal A al E si salisci.
Dal A al F si cala.
Rocca Demolita
Porta del Monte
Porta di S. Lucia
Strada di Sta. Lucia
Strada del Monte
Seminario
S. Sergio Barocch.
Ospitale
Monasterio di Sta. Lucia
Giardino Ducale hora dell' Stauolo
Porta di Valbona
Piano, detto il Mercato
Strada di Valbona
Stalle già Ducale
Porta di St. M.
Palazzo già Ducale
Chiesa Metropolitana
Palazzo dell' Arcivescovado
Piazza Ducale
Pian di Mercato
Conuento di S. Francesco de' Minori Conuentuali
Strada dell' Arzagine
Porta dell' Arzagine
Monache di S. Benedetto
Monache di Sta. Catharina
S. Pietro Celestino
Sta. Agostino
Strada di S. Paola
Porta di S. Paola
Monasterio di Sta. Chiara
P. del Beato Pietro da Pisa
Monache della
Corpus Domini
Porta di S. Bartolo
AMSTELÆDAMI,
Apud IOANNEM BLAEV,
MDCLX.

tatem usurparunt, uti Respublica administrari cœpta. Gibellinorum porro Guelforumque inundata factionibus sub Bonifacio VIII, in Montefeltriorum incidit Tyrannidem, quorum primus legitimus Dux fuit Oddus Antonius ab Eugenio IV creatus, cui successit Fredericus insignis ille exercituum ductor à Sixto IV confirmatus. His extinctis, in Robureorum familiam cessit per adoptionem Ducatus, & elato Francisco Maria postremo Vrbinatum Duce, in ditionem Ecclesiæ rediit, atque suo litavit splendori, cum nusquam magnificentior aula, neque tot litteratorum quos per diversa tempora splendidissime aluit, nominibus clarior, adeo ut in Principum imitationem typis celebrari meruerit, hodie Eminentissimis S.R.E. Cardinalibus à Rom. Pont. de latere Legatis feliciſsime paret.

Monte-feltrii. *Roborei.* *Ecclesia Rom.*

Religio. Ex Vmbris non ultima fuit, quæ Catholicæ Religionis cultum susciperet, quippe non desunt qui illam Discipulos Principis Apostolorum anno à partu Virginis XLVII audivisse putent; verioribus tamen indiciis nituntur, qui anno CICVIII prima fidei rudimenta à Feliciano Fuliginei Episcopo, & Martyr. jussu S. Victoris Papæ recepisse testantur. Illud tamen compertum, quod Vrbinatem Cathedram à temporibus usque Constantini Magni Evander Episcopus sub Melchiade Pont. occupavit primus.

Sedes Archiepiscopalis. Illam Archiepiscopali sede donavit Pius IV Eugubii, Pisauri, Fori Sempronii, Callii, Senogalliæ, Montis Feretri Ecclesiis suffraganeis in Provinciam coactis, superadditis nuper Vrbania, & S. Angelo Vadensi, Episcopatus honore ab Vrbano VIII decoratis. Quam hoc fortunatissimo tempore suis implet meritis Ascanius Massejus Avorum infulis, titulis, Purpura, Nobilissimus Romanus, Capitulo, & Clero omnis eruditionis hominum stipatus.

Ædis metropolitanæ elegantia. Metropolitanæ moli vix alibi terrarum structura, cultu, tabulis parem lustraveris. Sedes quoque Ducum quondam, Cardinalium hodie à S.S. pro tempore Legatorum, in altum provecta fastigium, commeantibus facit invidiam, & stuporem, non Italia tantum, sed tota fortasse Europa superba.

Alia pietatis monumenta. Multa habet præterea loca tum eximiæ suæ pietatis, tum etiam antiquæ nobilitatis monumenta, frequentes passim Ecclesiæ, crebra Regularium Cœnobia, quorum celeberrimum S. Bernardini Fratrum Reformatorum Minoris Observantiæ, plura Monialium Monasteria, quibus structuræ nobilitate S. Claræ præstat, utrumque Frederici II magnificentia extructum, non Xenodochiorum, non Domorum Refugii, non Oratoriorum expers, quorum illud criptæ sub Metropolitana effossum maxime commendaveris.

Schola. Aucta nuper amplissimis scholis, ceu litterarum Emporium, scientias omnes publice profitetur, multa ex convicinis Provinciis confluente juventute. Antiquum jactat itidem clarissimorum Doctorum Collegium, seu Rotam, ad quam causæ omnes in secunda, & tertia instantia, præter meras Ecclesiasticas devolvunt, sed quæ vertunt inter Legationis subditos tantum. *Rota.*

Magistratus. Magistratus popularis ex civium sorte delectus in quatuor gradus universe distinctus, ad primum Nobiles, ad secundum honestioris classis homines, ad reliquos tum lignarii, tum cerdones provehuntur. Hinc Plebs elata, & quam exsolutis in segnitiem animis, quantus ad victum diætim sibi comparandum sat fuerit, labor exercet, ac propterea Artificum operam ægrius conduces.

Nundinæ. Nundinæ quater in anno habentur, sed quæ die S. Augustini indicuntur omnium ditissimæ ad quinquaginta aureorum millia, quæ in tot animalium capita contrahuntur, plane æstimatæ.

Agri bonitas. Ager illi satis amplus, triginta sex castellis definitus, ab ortu Foro Sempronio, à Meridie Callio, à Septentrione Arimino, ab occasu Vrbania Civitatibus clausus. Antiquitatis quoque nomine clarus, cum ibi Asdrubal, & Totila insigni prælio cæsi tumulentur, & in hanc usque diem ad ripam Metauri Asdrubalis lustretur monumentum. *Asdrubalis & Totilæ monumenta.*

Nobilis insuper irriguis aquis, felicibus pascuis, & commoda humo ad omne arborum genus, qua potissimum ad mare declinat, ubi mitigato frigentis

tis cœli ſpiritu propitii colles, Cereris, & Bacchi divitiis paſſim luxuriantes, olea quoque non ignobiles, & omnibus tandem pomis, quæ benigniorem aërem amant referti. Carnes ex tanta pabuli felicitate optimæ. Caſei quoque tantæ famæ, ut pro deliciis Romam, Bononiam, Venetias, alioque terrarum aſportentur.

Civium indoles. Cum tanta indulgentia cœli incolarum indoles conſentit. Animus illis ad omnem humanæ conſuetudinis culturam factus, omnium rerum capax. Non alibi Philoſophia, & Matheſis, non terrarum & aſtrorum ſcientiæ, non Architectonices, & pingendi artes glorioſius unquam habuere, quam cum in Vrbinatum ingenia inciderunt. Inſignes Raphaëlis Sanctii Tabulæ toto Orbe celebratæ; egregia Frederici Comandini opera tot Mathematicorum manibus attrita, ingenia hominum Vrbinatum loquuntur. *Viri doctrina vel artibus inſignes.* Vaticana illa moles, qua nulla toto terrarum ambitu magis ad miraculum facta, Bramanti Vrbinati primo ejus Architecto gloriam debet. Excuriales quoque ſplendidiſſima Hiſpaniarum Regum ſepulcra, atque tot non in Italia tantum, ſed in Germania, in Belgio validiſſima propugnacula, quorum illud Antverpiæ præcipuum, Comitis Franciſci Pacciotti ſunt opus. Omitto Genghias, Baroccios, Vitas Zuccaros, pictura, & horologiorum opificio eximios. Omitto Camillos Baldios, Aurelios Corbulos utroſque Abbates illuſtres, Fredericos Bonaventuras, Mutios Oddios, cæteroſque omnes qui liberalibus litteris, ſcientiiſque omnibus floruerunt, ſatis enim perorantur illorum mirabiles labores.

Monſtrum ſane eſt in hac gente, nihil tam arduum eſſe, ad quod acuminis præſtantia non tollatur, & ſive manus opem, ſive mentis induſtriam deſideret, ſupra ſemper cæterorum hominum ſortem, brevi labore impellente plerumque natura perficiunt, & quo inclinant mirifico ſucceſſu eminent.

Hodie in maxima parte famæ eſt quod, nullibi tota Europa expolitius ducantur metalla ad ſexcentos fere Mathematicorum uſus aptata, quam quæ ibi Laurentius Vagnarellus excudit. Vix tantæ artis deprehendas induſtriam, ſubtili, & ſummæ patientiæ labore oculos fallente. Antiquitus Ars plaſtices in tanto pretio fuit, ut Catholico Regi Guidobaldus Dux IV Vrbini vaſorum abacum à fontanis illic hiſtoriatorum dono miſerit, duratque in hæc uſque ſæcula, ſed non tanto ſtudio, & tam egregiis coloribus.

Mirum quanta felicitate, ubi alte mentes advertunt, ex ſodalium geſtibus, verbis, luminumque motibus, arcana animi argumenta, vera plerumque ſubtilitate deducant. Ad extremum non alibi magis inclytæ mentes, & quæ ſi exiguitate ſortis, qua hodie ut plurimum ſquallent, non temperarentur, ad ultimum laudis ubique attolli geſtirent.

Familiæ nobiles. Nobiles familiæ ſunt quæ à ſcribentibus, expunctis tamen aliquibus, quæ numquam extitere, typis circumferuntur, ſcilicet Comites *Vbaldini*, *Corbuli*, *Odaſii*, *Pacciotti*, *Palmi*, *Brancaleoni*, *Galli*, *Giunchi*, *Arcangeli*, *Veterani*, *Antaldi*, *Albani*, & ſi qui ſunt alii ſub hac additione numerandi.

VRBIVENTVM,

vulgo

ORVIETO.

Situs. IN celebri atque antiqua Thusciæ provincia bina flumina (unum *Paglia*, alterum *Chiane* dicta) valli cuidam Roma 60 milliaribus distanti & amœnitatem adferunt & fœcunditatem: in medio hujus vallis collis se erigit olivifer totus, vitiferque, & bonæ notæ vinum producens. In vertice collis saxum eminet natura natum, figura rotunda magis quam alia, cujus circumferentia tria milliaria complectitur, & diameter ejus uno milliari coarctatur; altitudo suspicienti terrorem incutit, adeo ut impossibile videatur ad summitatem ejus conscendere.

Nihilominus ars naturæ simia sociaque, ne tam pulchrum naturæ opus imperfectum atque inutile remaneret, modum invenit huic inaccessibilitati viam aperiendi, viamque aperuit; nam ubi ducentis & quinquaginta passibus in altum ascenderis, spatiosam invenies aream, splendidis illustratam ædificiis, à civibus habitatam, atque ob ventorum commissionem cœli perquam salubris locum; ut à doctissimo Pontifice Pio II, (in Comment. suis lib. 4.) nobis scripto relictum est.

Origo. Vrbiventum sub initium ortus fundationisque suæ, ut vallo se murisque circumsepiret ad incolarum defensionem, nec vomere ei opus fuit, aliove ferro; verum ab ipsamet Natura, prima rerum omnium magistra, satis superque fuit illi provisum, ut ab incursione hostium cives ejus tutiores esse potuerint; eidem igitur Naturæ, quæ cæterarum rerum genitrix est, suam debet Vrbiventum nativitatem, & cum (ut Philosophorum Scholæ tenent) Natura nihil faciat frustra, argumentum valet, si dicas, jam eo tempore Vrbiventum habitatum fuisse, quando multiplicati homines deserta cryptarum speluncarumque habitatione in civilem quandam societatem coïere. Quanquam autores nobis in promptu sint, qui originem atque ædificationem Civitatis Vrbevetanæ diversis populis & nationibus attribuant, eatenus tamen, ut ex scriptis eorum confusa potius quam determinata possit hauriri notitia, hinc intelligentis judicio lectoris liberum relinquo eam opinionem amplectendi, quam ipse veriorem esse deprehenderit.

Adhuc multo incertius principium *Nomen.* ejus redditur ob variorum nominum impositionem. Hanc Plinius nat. hist. lib. 3. cap. 5. Herbanum vocat, cui Volaterranus consonat; Cato eam Oropitum nominat, secundum interpretationem Annii Viterbiensis. In edicto Desiderii Longobardorum regis à Sigonio relato (de reg. Ital. lib. 3. anno 772.) Orbitum dicitur. Ioannes Villani Vrbiveterum eam indigetat. Ciacconius in vita Hadriani IV. Vrbevetanos cum Salpinatibus confundit: de quibus nominibus pluribus disputat Abrahamus Ortelius: nos concludimus cum, Procopio ad eum modum quo Italico idiomate à Leandro Alberti *Orvieto* appellatur, Latine Vrbiventum dicendum esse.

Vrbiventum Thyrreni sive Turreni *Vt diversis sit gubernata temporibus, & per quos.* primum incoluerunt; non illi tamen qui ex Lydia venere, sed iidem qui hac in regione sunt oriundi, ut placet Dionysio Halicarnassæo lib. 1. sic dicti à turribus & munimentis, quæ illi primi ædificarunt; postea Vrbiventum Pelasgi post Lydii subierunt, his Thusci successerunt, usque ad Porsennæ regimen, qui haud procul à civitate arcem fabricavit, quæ hodiedum corrupte *Ripeseno* vocitatur, hoc est, à rege

Por-

Porsenna: subsequente vero tempore, septingentis annis hanc Romani civitatem cum imperio tenuerunt, ut Thusciam universam: deinde in Barbarorum, nimirum Gothorum, Ostrogothorum, Visigothorum, & similium ditionem pervenit: contra quos Belisarius Iustiniani Imperatoris Dux bella gerens simul Vrbiventum eorum tyrannidi eripuit. Expulsis Gothis, à Longobardis paulo post fuit occupatum; ut legitur in edicto Desiderii ultimi Longobardorum Regis; quibus à gloriosissimis Principibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ propugnatoribus Pipino & Carolo M. devictis & debellatis, Italia universa in horum Principum potestatem redacta Vrbiventum Summo Pontifici anno 962 liberale donum in perpetuum cencesserunt, ut ex Baronio Annal. lib. 10, aliisque probatis autoribus colligitur. Reducta itaque Vrbevetana civitate sub Papale mitius jugum, ab iisdem autoritate potius, quam imperio fuit gubernata; donec Summos Pontifices inter atque Imperatores exorto dissidio omnes fere Italiæ civitates libertati se restituerunt, suo jure & modo magistratus sibi imponentes, quos Consules appellaverunt, quod Vrbiventi successit anno 975, teste Sigonio de reg. Ital. lib. 7. & in hac gubernandi ratione ducentorum & viginti quatuor annorum spatio imperturbate permansit, ut refert Cypr. Manent. in histor. Vrbevet.

Sublatis Consulibus ad sui gubernacula Vrbiventum Prætorem cum Præfecto elegit, & hanc regiminis formam usque ad annum 1340 retinuit, intra quod tempus intestina bella inter Philippescos & Monaldescos mota fuerunt primum, quorum Poëta Dantes in Purgat. cant. 6. meminit, deinde inter ipsos Monaldescos divisos in Beffatos & Malcorinos, quæ bella ad annum 1467 duraverunt, sedente Paulo Papa II. ut Monaldus in comment. lib. 15. refert, à quo atque sequentibus Pontificibus, ad hujus civitatis Præfecturam prælati propria & majorum laude commendati, missi semper fuerunt, queis virtus deinde ad Cardinalitiam purpuram viam aperuit; è quibus quosdam in Cardinalium Collegium ascitos vidimus.

GVBERNATORES CIVITATIS.

Guberna-tores Ci-vitatis.

Eminentissimi & Reverendissimi,

D. Cardinalis Petr. Paulus Crescentius.

D. Cardinalis Iulius Savelli.

D. Cardinalis Iulius Roma.

D. Cardinalis Guido *de Comitibus di Bagno.*

D. Cardinalis Alexander Cæsarini.

Qui diverso tempore hanc civitatem summa cum laude rexerunt.

Prætores & Præfecti vulgo Podestà e Capitano.

Et priscis temporibus Prætori & Præfecto viris generosis, bellicosis, litteratis sanctisque paruerunt: nomina eorum hæc sunt:

1248. D. Pandolphus Savelli, Prætor.
D. Napolio Vrsinus, Præfectus.
1253. D. Napolio Matthæi F. Vrsinus, Prætor.
D. Comes Guilielmus Santafiore, Præfectus.
1260. S. Bonaventura Cardinalis, Prætor.
D. Vffredus ab Alviano, Præfectus.
1265. D. Viscardus Provincialis, Nepos Regis Caroli, Prætor.
D. Robertus Medicæus, Capitaneus.
1273. D. Iacobus Stephani F. Colonna, Prætor.
D. Ioannes Stephani F. Colonna, Prætor.
D. Ioannes Savelli, Præfectus.
D. Nicolaus de Vicecomitibus Trivianis, Præfectus.
1276. D. Pandolphus Savelli, Prætor.
D. Ioannes Guidonis F. Pepoli, Præfectus.
1277. Bertholdus Vrsinus, Prætor.
D. Stephanus Petri F. Stephani filius, Columna, Prætor.
1280. D. Pandolphus ab Anguillara, Prætor.
D. Bertholdus Vrsinus, Prætor & Præfectus.
D. Gentilis Vrsinus, Prætor.
D. Adolphus Mathiæ F. Caëtanus Anagninus, Prætor.
1340. Matthæus Vrsinus, supremus Præfectus.
1413. Comes Thomas Caraffa, Regens.
1421. Agapitus Columna, Regens.

Et alii à Monaldo Monaldesco in comment. hist. lib. 10. relati, & patrum nostrorum memoria hic Gubernatores fuerunt

runt duo Cardinales, Bonifacius Caëtanus, sub Pontificatu Clementis VIII, & Paulo V. sedente, præter alios supra nominatos, qui adhuc in humanis agunt, Cardinalis Petrus Valerius Venetus.

Episcopatus. Inter antiquiores Christianæ Reipublicæ Episcopatus merito quodam suo Vrbevetanus recensetur; nam anno redemptionis humanæ 590, cum S. Gregorius Magnus Romanus Pontifex esset, jam Episcopus Vrbevetanus erat, Ioannes appellatus, ad quem Sanctissimus Pastor scripsit, ne quod amplius negotium Abbati Sancti Georgii facesseret. (S. Gregor. in regist. lib. 1. Ind. 9. Epist. 12.) Et cum Ioannes ad meliorem vitam humanis excessisset, eique Candidus successor extitisset, huic etiam doctrina & sanctitate insignis Summus Pastor scripsit (regist. lib. 2. indict. 10. Epist. 5.) ne cuiquam clerico ægrotanti & infirmo sui beneficii redituum fieret imminutio: & hæc Epistola à Gregorio IX (in Decret. cap. 1. de cler. ægrot.) regesta legitur.

A nonnullis etiam scriptum est, Vrbevetanam Ecclesiam Archiepiscopatus olim titulo insignem ejusque suffraganeos Episcopum Balneoriegianum, Clusinum, Suanensem & Hortanum fuisse: auctores hujus sunt Cyprianus Manentius, Monaldus Monaldeschi, Scipio Amiratus, Alphonsus Ceccarelli.

Et inter Episcopos, qui suffraganei Summi Pontificis dicti fuerunt, nullique Archiepiscopo, Metropolitano aut Primati subjecti, Episcopus Vrbevetanus fuit, ut scribit Baronius, & quod concurrentibus aliis vicinis civitatibus Episcopatum Senensem una ex suis parœciis dotaverit, fidem facit Ioannes Villani lib. 1. cap. 55.

Regimen sæculare. Etsi pro temporum varietate varius quoque fuerit sæcularis Vrbiventi Magistratus, ut in Chronica Vrbevetana legitur, & ex Cypriani Manentii, Monaldi Monaldeschi & aliorum monumentis videri potest: nos tamen præsentis solum temporis magistratum describemus, qui personarum quinque numero concluditur, scilicet Præfecto *Gonfaloniero* vulgo dicto, ad quem dignitatis gradum soli Barones, Nobiles, Doctores in publica & approbata universitate promoti; Capitanei, qui ducentis ad minimum peditibus præfuerunt; justitiæ equites, aut patritii benemeriti aspirare possunt, & hic veste incedens, quam dignitas ejus requirit, caput est quatuor Conservatorum, qui è civium numero eliguntur, brevi veste induti, nihilominus tamen pallio seu toga purpurea talari teguntur, ad eum modum, quo Pii IV bulla ordinatum est anno 1563.

Gonfaloniero. Conservatori.

Trimestri spatio in publico palatio structura eleganti fabricato, resident, hic vasallis suis, in decem Castella reductis, justitiam ministrant in profesto Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, in tribunali sedentes, publica præconis voce vectigales civitatis tributariosque vocant, renitentes ac contumaces secundum statutorum suorum dispositionem mulctantes, & apud Monaldescum loca, quæ obligatione tributorum tenentur, invenies. Speciali beneficio & concessione Summorum Pontificum, Adriani IV, Martini V, & Nicolai V, claves civitatis custodiunt, & ab Vrbano VIII speciali brevi murorum & ipsius civitatis, tanquam Ecclesiæ propugnaculi, cura ipsis fuit demandata.

Insignia Civitatis. Quatuor Vrbiventum ostentat insignia, quæ eodem in scuto quadripartita, nonnunquam in diversis scutis sculpta aut depicta videntur.

Primum Anser est, qui uno pede elevato, altero supra lapidem posito quiescit, vigilantiæ Symbolum, addito dicto, SALVS CAPITOLII.

Secundum est Aquila candida in campo rubro, quam, ut Ioannes Villani lib. 1. hist. cap. 40. existimat, ab antiquis Romanis accepit; & postquam Carolus Andegavensis Rex Neapolitanus anno 1273, suum ei insigne concessisset, (quod cataracta seu obex deauratus fuit,) illud in pectore aquilæ collocaverunt, etiam nunc uti videmus.

Tertium est Crux, à Summis ei Pontificibus data, & abs Hadriano IV, dum in hac civitate una cum Sacro Cardinalium Collegio moraretur, confirmata; ut Baronius asserit anno 1156.

Quartum Leo est à Florentina Republica concessus, additis privilegiis in gra-

gratiam præstiti diversis in bellis auxilii: ideo pingitur baculum compressis unguibus dextris tenens, & sinistris claves pendentes, idque indulto Papæ Hadriani IV teste Sigonio de Reg. Ital. lib. 12. an. 1157, addito dicto, FORTIS ET FIDELIS.

Academia. A Benedicto Papa VIII, & ab Henrico I Imperatore anno 1014 Academia fuit in hac civitate fundata, ut Monaldescus lib. 5. affirmat vidisse se Bullas in archivo de hac loquentes, & Manentius lib. 2. an. 1193. & lib. 3. an. 1362. idem confirmat & ex antiquo civitatis more colligitur, concedente exemptiones & privilegia Doctoribus, Professoribus liberalium artium & Scholaribus docendi aut studendi caussa ad hanc civitatem venientibus.

Vrbevetani nobiles. Vrbiventum quamdiu Reipublicæ formam retinuit, non minima pars Baronum atque Nobilium Thuscorum instit Vrbevetanorum nobilium numero censeri, quemadmodum in antiquo Civitatis Chronico, à Monaldesco in Com. lib. 3. hoc ordine & modo descripti leguntur:

Comites *di Soana.*
di Chianciano.
di Bovacciani.
di Marsciani.
di Montemarte.

Vicecomites *de Campiglia.*
de Triviano.

Domini *de Farnese.*
di Bisenzo.
di Bolsena.
di Castelnuovo.
di Gradoli.
di Onano.
di Montorio.
di Azaro.
di Otterio.
di Colle.
di Flagrano.
di Morano.
di Monte Sansovino.
della Sala.
del Castelluzzo.
di San Casciano.
di Pereta.
de Cinisano.
di Monteluce.
di Monte Pulciano.
di Rotocastello.

Urb. St. Eccl.

Domini *di Civitella di Manno.*
di Civitella d'Agliano.
di Castel di Piero.
di Sorano.
di Scarceto.
di Titignano.
de Orzalo.
di Serperio.
di Montalto.
di Montemarano.
di Radicofano.
de Silvena.
di Ansidonia.
di Rochetta.
di Grosseto.
di Capalbio.
di Casteliano.
di Pescara.
de Linara.
di Manciano.
de Siggiano.
di Sassoforte.
d'Alviano.
di Mugno.
di Pineto.
di Rotelle.
di Sartiano.
de Baschio.
del Piagaro.
di Proceno.
d'Igliano.

Atque eo tempore pluribus civitatibus, oppidis ac castellis dominata fuit, uti in ichnographia in palatio Vaticano depicta, & à R.P. Ignatio Dante, Ordinis Prædicatorum Fratre, edita patet; & pro defensione regionis suæ Vrbevetani non uno bello adversus Senenses, Perusinos, & alios fuere impliciti. Veluti in Orlandi Malevolti historia Senensi legimus lib. 5, & alibi; Monaldo Monaldeschi, Cypriano Manentio, & aliis. Vt autem sumptui ferendo par esset Vrbevetana civitas, qui ipsa semper bella necessario comitatur, cusa fuit in civitate moneta, ut Monaldescus in comm. lib. 8, & lib. 9, scribit, & ex ipsis statutis clare colligitur hoc tenore verborum: *Nulla moneta expendi debet in nostra Civitate, Comitatu & districtu, quæ fabricata non fuerit in nostra Civitate & jurisdictione*, &c. *Monetæ cudendæ jus.*

Ecclesia Cathedralis. Fundata fuit fabricataque moles Cathedralis Ecclesiæ anno 1290, 13 Novembris, eo tempore, quo Nicolaus

ORVIETO.
1 . S. Agostino .
2 . S. Domenico .
3 . S. Giouanni .
4 . Palazzo di S. Andrea conservatorÿ .
5 . Torre del Papa .
6 . S. Francesco .
7 . S. Maria .
8 . Il Vescouato .
9 . Palazzone .
10 . S. Maria de i servi .
11 . La Rocca .
12 . Porta Pertusa .
13 . Porta maggiore .

AQVAPENDENTE.

laus. IV. Pontifex, cum toto Cardinalium Collegio, Prælatorum magno numero, Nobilium frequentia Vrbiventi commoratus, solenni processione ad locum perrexit, ubi jam Ecclesiæ effossa fuerant fundamenta, primum lapidem à se benedictum sacris manibus in id immisit; continuata deinde ædificatione, intra septimum annum eo fuit perfectionis redacta fabrica, ut Bonifacius VIII, in festo Assumptionis B.V. Mariæ Missam primam in ea celebrarit. Ecclesiæ corpus decem ferme palmis terra eminens, in longitudinem 390, in latitudinem 147, in altitudinem 284 palmis Romanis extenditur.

Dividitur in tres quasi naves, ex his media duodecim suffulta columnis; aliæ duæ ambitum situmve Ecclesiæ grossioribus parietibus concludunt, exterius incrustatis Tiburtino lapide, additis limbis candidi nigrique coloris. Præter dictas tres naves, duo majora sacella brachiorum instar extra corpus hoc sese porrigunt, quibus capitis loco est absida ab ipso pavimento educta, strato marmore rubro sex in orbem palmis. Hic in medio Altare Majus positum cernitur, in quo ciborium seu Tabernaculum est omnino deauratum atque manu artificiosa elaboratum, pro sanctissimi ac venerabilis custodia Sacramenti. ad cornu dextrum sub umbrella Cathedra collocata Episcopalis; ibidem in basi quadam statua ex candido marmore spectatur, repræsentans Beatissimam Virginem Annunciatam: ad sinistrum cornu sedes sunt Cantorum & Musicorum, & in alia basi positus est Gabriël in aëre supra nubem se vibrans annunciaturus ingens mysterium salutis nostræ; utriusque statuæ Franciscus Mochius cælator nobilissimus autor extitit.

Absida deinde variis imaginibus pictis adornata est, vitam B.V. Mariæ (cui consecratum hoc templum est) enarrantibus: choro adhæc artificiosissime figurato, & in tres gradus distincto.

Primum gradum occupant duo Prælati, Archidiaconus, atque Archipresbyter, cum Canonicis, hyemali tempore mantelleto vestitis & pellitio ex pelle muris Armenii composito; æstivo vero tempore mantelleto & superpellitio.

Secundum locum tenent Capellani *della Massa* dicti cum almutia, ut vocant, in humero dextro. In tertio gradu Capellani fabricæ consistunt mantellum è panno violaceo supra superpellitium dextro humero portantes.

Prope hos reliquus clerus, sat numerosus ordine pulchro consistit, advigilante Præsule Eminentis. & Reverendis. D. Cardinale Petro Paulo Crescentio Episcopo.

Hinc ad planiciem Ecclesiæ descendendo ad manum dexteram, sacellum secundæ navi oppositum, candido è marmore figuratum, opere cælato ad vivum, visitationem B. V. M. & Sanctæ Elisabethæ exhibens spectatur, accedunt cælata in marmore folia artem præclarissimi sculptoris Simonis Moscæ ejusque filii Moschini testantia. Vlterius pergendo una ex capellis majoribus supradictis, cancellis ferreis clatratur: hic singulari devotione & reverentia in Lipsanotheca marmorea cœlato atque musivo opere custodiuntur coluntur que venerabiles reliquiæ sanctissimi Corporalis, quibus accedit ingens thesaurus pretiosissimi Sanguinis Christi Redemptoris nostri, quo extenso in repositorio argenteo deaurato, sub pellucenti cristallo fidelium oculis sacræ impressiones apparent; & die quo ejus festum agitur, hoc repositorium in humeris Levitarum, & Sacerdotum, velut altera quædam arca Dei nunc sub lege Euangelica per omnes vicos civitatis incredibili solemnitate deportatur, & per octiduum expositum confluentibus ex omni loco exteris videndum præbetur. Sub egressum hujus Capellæ ornatæ depictæque quaquaversum miraculis Augustissimi Sacramenti, supra portam ejusdem organum suspicies è maximis pulcherrimisque totius Italiæ. E regione hujus capellæ versus sinistrum latus absidis secunda capella tertiæ navi respondens cernitur, candido similiter è marmore cælatoque opere figuris genuine expressis. Christum puerulum in gremio matris in præsepio, ubi natus fuit, à tribus Magis pro vero Messia donorum oblatione cognitum, atque adoratum repræsentantibus. Hujus laudatissimi operis Michaël Veronensis, &

Ra-

Raphaël Montelupi excitatores fuere, Simon autem Mosca amœnissimis foliis, puerulis circumludentibus, atque avibus circumvolitantibus miraculum adauxit.

Hinc longius ubi processeris transierisque ad alterum clatris ferreis inclusum locum, secunda capella primæ sibi è diametro oppositæ respondens in oculos incurrit; at multo pictis imagnibus rarissimis ornatior: ubi Lucas Signorelli Cortonensis magni judicii pictor vivo-tenus exhibet tremendum atque universale judicium, hoc est perennem Beatorum gloriam, reproborumque supplicium nunquam intermoriturum, appicta diri Antichristi tyrannide diabolica.

In eadem capella artificio mirandum opus asservatur Hippoliti Scalzi, excellentissimi sculptoris juxta atque Architecti Vrbevetani; cujus nomen nulla unquam dies silebit; bruta siquidem marmora quibus sculpendo scalpendoque vitam, spiritum ac linguam indidit, perpetuo de excitatore suo loquentur. Verum in pietatis statuam, de qua sermo mihi nunc est, plus quam in cæteras artis suæ præcones statuas, imo omne videtur artificium contulisse.

Spectatur in solido, partium experte, majore marmore, forma justa statura vivacissime expressa Maria Mater Virgo, compatiens atque illachrymans, filium Iesum de cruce depositum in gremium recipiens; ad dextram ejus compatiens Nicodemus est efformatus, in manibus instrumenta tenens, quibus usus fuit ad depositionis actum, nimirum scalam, forcipem, funes clavosque. Ad sinistram divini amoris flamma ardentior Magdalena genu flexa cernitur, vi lacrymarum lavans Christo dilecto sponso suo cicatricem sinistræ manus, pretiosissimo recens sanguine manantem. Opus profecto quod si Michaëlis Angeli Bonarotæ laudem non superat, certe adæquat.

Ad reliquum Ecclesiæ ornamentum positus est veluti populus quidam statuarum, quas laudatiores moderni sculptores fabricarunt. Nam exceptis iis, quæ diversis in partibus Ecclesiæ sunt, ad unam quamque columnarum duodecim, quæ, ut diximus majorem Ecclesiæ navem sustinent, erecta statua est fulcro ex rubro atroque marmore innixa, ipsa autem candidi marmoris, naturalem superans magnitudinem, quæ singulæ collectæ Apostolorum exhibent collegium. Naves minores duodenis sunt fenestris illuminatæ, & loco vitri crystallive, lapis est, quem alabastritem Ægyptii vocant, subtilissimus idem candidissimusque, lumen solis nullo negotio in Ecclesiam transmittens.

Hic item cernuntur duodecim loculamenta satis ampla & spatiosa, & in unoquoque eorum altare, sacrificio Missæ deputatum, tabulis pictis instructum, vitam, passionem, mortemque nostri Redemptoris exhibentibus, excellentissimorum pictorum artificio commendatis; quales fuere Hieronymus Mutiani, Thaddeus, & Fridericus Zuccari, Nicolaus Pomera, Cæsar Nebula, & alii in hac arte celebres. Liberrimum accessum & ingressum in hoc templum præbent quinæ ingentes Portæ, jucunda foliorum specie & vermiculato opere insignes. Harum duæ ad latus Ecclesiæ aperiuntur, & tres in facie, quæ huic moli incredibilem quandam majestatem conciliat; augustiore siquidem loco duodecim supra gradus (quorum superficies magnifica cum marmore rubro strata amplitudinem deambulationi inservit) posita atque dein in altum educta est. Eodem prope in loco quaternæ prægrandes columnæ erectæ sunt, quæ in inferiore sui parte, quaternis tabulis marmoreis minores, at cœlato opere, figuras exhibent vetus scilicet Testamentum novumque; inter quas ista ob artificium commendatur quæ actionem Dei exprimit costam è latere Adami tollentis mulierem ex ea formaturi.

Supra has tabulas adeo concinne adornatas naturali magnitudine in ære effigiata sunt animalia quatuor Euangelistis attributa: & ad eundem parietem supra majorem portam Beatæ Virginis Mariæ statua ex metallo est, regali sedens in solio sub magnifico conopeo, puerulum Iesum gestans in brachiis.

Fronti-spicia Ecclesiæ Cathed. Hoc loco terna frontiſpicia diſtingues, quæ ſingula ſingulis portis reſpondentia eaſdem reddunt auguſtiores. In frontiſpicio, quod medium eſt, Maria ab Angelis delata in cœlum; in dextero Chriſtus ab Ioanne Baptiſta prodromo ſuo in Iordane flumine baptizatus; in ſiniſtro vero Beatiſſima Virgo ſapienti ſeni Ioſepho deſponſata videntur, figuræ vermiculato opere admirandæ. Latitudinem faciei Eccleſiæ porticus adæquat columnellis venuſte ſuffulta, plumbeas, quibus ea tegitur laminas ſuſtinentibus: in ſumma ejuſdem porticus medietate feneſtra orbicularis eſt, vulgo Oculus dicta, per quam immiſſum ſolis lumen univerſam illuſtrat Eccleſiam. At ſtatuarum multitudo, quæ à lateribus ordinatim ſuis in thecis diſpoſitæ, Chriſti Diſcipulos, alioſque Sanctos repræſentant, auguſtiorem longe reddit Eccleſiam.

Supra hanc orbicularem feneſtram erectum eſt aliud frontiſpicium, cælato itidem opere, duobus aliis, quaternas inter columnas, mediis altius, in quo ſtatua Chriſti devicta morte triumphantis, mundumque redimentis repetita ad cœlos via cernitur; quæ etſi non levibus impenſis, cum muſivo ſit opere, reparata ſit multoties, ſarta tamen atque tecta ab injuria ventorum atque imbrium editiore loco poſita conſervari non potuit.

Altitudinem dictorum binorum frontiſpiciorum dictæ quaternæ columnæ (quæ cochlides cum ſint aſcenſum ad ſui præbent ſummitatem) acutis angulis terminant, ut & duo minora frontiſpicia poſitis in ſummo ſtatuis; at medium frontiſpicium (lateralia altitudine ſua multum ſuperans) lapide latiore tectum in angulum obtuſiorem deſinit, in quo triumphatrix eſt collocata Crux, noſtræ ſignum redemptionis.

Breviorem hujus templi ejuſque faciei, ſed longe elegantiorem pulchrioremque cupidus lector ex Pii II. Pontificis doctiſſimi commentariis deſcriptionem proprio marte depromet; nobis (prætermiſſa cæterorum hujus civitatis templorum & monaſteriorum enarratione) ad prophana ædificia arciſque clivum deſcribendum properantibus.

Poſteaquam Civitas Vrbevetana & civicæ in ſe ipſam ſævientis & aliorum tyrannidis jugum excuſſit, Cardinalis Ægidii Albernozzi, Sedis Apoſtolicæ tum Avenione commorantis Legati, auxilio; ut tranquilliori à Romana clementer dominante Eccleſia pace promiſſa frueretur, idem Cardinalis hic arcem anno 1359 ædificavit, præſtito ſibi à multis nobilibus civibuſque fidelitatis juramento, quorum familias Manentius lib. 3. recenſet. *Arx extructa an. 1359.*

Et cum civilibus Beffatorum & Malcorinorum furentium bellis facta fuiſſet laceratior civitas; Anno 1449 Nicolao V. ſedente, inſtaurata priſtinam lucem recepit, ut Pius II loc. cit. in comm. ſcribit.

Hæc tamen eximia moles aquarum copiam deſideravit, cum hac in parte minus liberalem naturam matrem habuerit. Itaque Clemens VII. Germanis Romam expilantibus ad hanc arcem confugiens, ut tutior eſſet à crudelitate eorum, juſſit vicinæ huic arci terræ viſcera ſcrutari, donec erumpens aqua neceſſitati remedium inveniretur; ut ex ſententia ſucceſſit. Nam poſtquam 265 palmis in altitudinem terræ penetratum eſſet, ſcaturigo quædam liquidiſſimarum fuit aquarum adinventa, quæ viginti in altum palmis educta extra civitatem aperto ei in hunc finem exitu, conſervatur, plurium fontium amœnitate collem circumfundens. Deſcenſus aſcenſuſque in clivum ne perdifficilis foret, ſingulari ſunt artificio ex topho & Tyburtino lapide in modum cochlidis fabricati gradus binis in locis, ejus amplitudinis, ut centum etiam mulos oneratos capiant alteri, alteros minime impedientibus. *Admirabilis puteus & clivus.*

Hi gradus duplices (uni aſcenſum adjuvantes, alteri ſervientes deſcenſui) ingentibus feneſtris à ſummo ad imum uſque illuminantur, lumen vero diei per clivi penetrat concavitatem, qui orbicularis ſuo diametro 20 ferme palmos complectitur.

Hæc fabrica ſub Clemente Septimo Pontifice Maximo adhuc imperfecta, à Paulo Tertio perfectionem fuit

fuit adepta, hac addita inscriptione:

QVOD NATVRA MVNIMENTO INVIDERAT, INDVSTRIA ADIECIT.

Alia sunt hic præterea ædificia à diversis Pontificibus fabricata, queis placitum sæpe fuit, non modo diem alterumve animi gratia hic commorari, sed etiam cum aula universa aliquot menses transigere, sed hæc missa facimus brevitati studentes, sufficiet nomina & tempora Pontificum dicere, qui sua Vrbiventum præsentia honorarunt, quemadmodum fusius legitur apud Baronium, Volaterranum, Pium II, & alios.

Summi Pontif. qui Vrbiventi resederunt.

977. Benedictus VII.
1000. Sylvester II.
1013. Benedictus VIII.
1083. Gregorius VII.
1102. Paschalis II.
1156. Hadrianus IV.
1198. Cælestinus III.
1215. Innocentius III.
1216. Honorius III.
1227. Gregorius IX.
1255. Alexander IV.
1264. Vrbanus IV.
1266. Clemens IV.
1273. Gregorius X.
1280. Nicolaus III.
1281. Martinus IV.
1287. Honorius IV.
1288. Nicolaus IV.
1297. Bonifacius VIII.
1367. Vrbanus V.
Vrbanus VI. quo anno nescitur.
1421. Martinus V.
1450. Nicolaus V.
Pius II.
Paulus II.
Alexander VI.
1506. Iulius II.
1515. Leo X.
1527. Clemens VII.
1537. Paulus III.
Iulius III.

VIRI MORVM PROBITATE ILLVSTRES.

Frater Bonus ex Ordine S. Dominici.
F. Naldus sive Reinaldus, ejusdem Ordinis.
Fr. Thomas ex Ordine Servorum.
Fr. Franciscus ex Ordine S. Augustini.
Fr. Paulus Poranensis Capucinus.
Soror Ioanna Ordinis S. Dominici.
Soror Angelina Monte-Martia seu Corbarensis.

SVMMI PONTIFICES PATRIA VRBEVETANI.

Gregorius VII ex gente Ildibrandinorum Comitum Soanensium.
Paulus III ex gente Farnesiorum.

CARDINALES VRBEVETANI.

Benedictus Burgarus, sive à Marscianis, creatura Gregorii VII.
Stephanus ejusdem gentis. Calixti II.
Guido Bisentius. Innocentii III.
Ordeonius, seu Odorisius Monaldescus. Nicolai III.
Theodoricus Ranierius. Bonifacii VIII.
Hieronymus Simoncelli. Iulii III.
Fabricius Veralli Nobilis Vrbevet. Pauli V.
Ranierus Vrbevetanus, cujus extiterit creatura nescitur, ut à Ferdinando Vgelli scriptum est in additionibus ad Ciacconium in vita Innocentii III.
Carolus Gualtieri etiam nunc Archiepisc. Firmanus. Innocentii X.

PATRIARCHÆ VRBEVETANI.

767. Antonius Monaldeschus Patriarcha Antiochiæ.
1291. Vgolinus Malabranca Patriarcha Constantinop.

ARCHIEPISCOPI.

1302. Monaldus Hermanni Fil. Monaldeschi Archiepisc. Beneventanus.
Guido Bisentius Archiepisc. Vrbevetanus.
1520. Tiamus Monaldeschi Archiep. Vrbevet.
1554. Bartholomæus Albani Archiepisc. Surrentinus.
1609. Stephanus Dulcis Archiep. Avenionensis.
1634. Iacobus Tonelli Archiep. Babyloniæ.

EPISCOPI IN PATRIA.

1078. Philippus Vrbevetanus.

1156.

1156. Rochus Vrbevetanus.
1170. Guilielmus Vrbevet.
1204. Matthæus Alberici.
1217. Capitaneus Bulgari, hodie Marciani.
1240. Comes de Parrano.
1242. Guilielmus Martinesi.
1250. Guiscardus de Monte Iove.
1259. Constantius Negri Bisentinus.
1280. Franciscus Vrbevetanus.
1298. Leonardus Vrbevet.
1302. Guido Farnesius Vrbevet.
1328. Tiamus Monaldescus.
1364. Vgolinus Malabranca Patriarchæ nepos.
1378. Nicolaus Ranierius.
1400. Matthias Aveduto.
1428. Franciscus Monaldescus.
1551. Hieronymus Simoncelli Card.

EPISCOPI VRBEVETANI

Aliorum locorum Orbis Christiani.

1159. Monaldus Monaldescus, Episc. Nocerienfis.

1198. Antonellus de Monaldis, Episc. Viterbienfis.

1230. Petrus Garamontius Bovaciani, Episc. Perinenfis.

1264. Transmondus Spinelli Monaldeschi, Episc. Soanenfis.

Odorisius Beltrami Monaldeschi, Episc. Pedinenfis.

1525. Conradus Monaldeschi, Episcopus Anagninus.

1532. Franciscus Vaschiensis, Episcopus Castri.

1298. Maffæus Medicæus Vrbevetanus, Episc. Chiusinus.

1550. Sebastianus Gualtieri, Episc. Viterbienfis.

1576. Lactantius Lactantii Lupicini, Episc. Pistorienfis.

1452. Franc. Monaldeschus de Vipera, Episc. Ascolinus.

1635. Petrus Paulus Febei, Episc. Bagnareæ.

1536. Gregorius Magalotti, Episc. Clusinus.

1654. N. Tarugi, Episc. Venusinus.

LEGATI, NVNTII, GVBERNATORES

Provinciarum & Civitatum, aliique Prælati.

1027. Tancredus Monaldeschi, Vicarius Conradi II. Imp. in Thuscia.

1166. Hermannus Monaldeschus, Romaniolæ Gubernator.

1216. Guido Bisensis, Cardinalis Legatus in Lombardia.

1300. Theodoricus Ranierius, Cardinalis Legatus in Patrimonio D. Petri.

1256. Constantinus Faffucius Bisensis, Legatus in Græcia.

Guittonius Farnesius, Rector Provinciæ Patrimonii.

Ioannes Franc. Monaldeschi, Gubernator Campaniæ, Boloniæ & Romaniolæ.

1497. Leonardus Mancini, Gubernator Civitatis Anconæ & Anconitanæ regionis.

1536. Gregorius Magalotti, Gubernator Romæ, Romaniolæ & Bononiæ.

Lactantius Lactantii, Gubernator Bononiæ, Romæ, Senarum & Senensium Provinciæ.

1580. Valerius Montemarte della Corbara, Nuntius Florentiæ, & Gubernator Romaniolæ.

1606. Leonettus della Corbara, Inquisitor apud Melitenses.

1609. Stephanus Dulcis, Vice-Legatus Avenionensis.

1626. Fredericus Monaldescus, Referendarius utriusque Signaturæ.

Franciscus Maria Febei, supremus Magister Ceremoniarum, Secretarius Congregationis sacrorum rituum, Canonicus Basilicæ Vaticanæ, Referendarius Signaturæ utriusque, & Prælatus domesticus S. D. N. Alexandri Papæ VII.

SENATORES ROMANI.

1255. Boncontius Monald. Monaldeschi.
1266. Cittadinus Beltrami Monaldeschi.
1367. Bernardus Conradi Monaldeschi.
1493. Albertus Magalotti.
1587. Lactantius Lactantii Lupicini.
1629. Giolivus Cartarius.

VIRI DOCTI.

Viri Docti Vrbivet.

Petrus Farnesius dictus Ancaranus, quod Dominus fuisset Castelli cujusdam hujus nominis. (Fr. Leander Alberti in descript.Ital.de Farnesia gente,& Panuinus in vita Pauli III.) Baldi discipulus fuit Saliceti coætanei, in Digestum vetus scripsit & novum, in Decretales Gregorii IX; in sextum Bonifacii VIII, & in Clementinas. Consiliorum etiam volumen composuit. Putatus fuit patria esse Bononiensis, quod longo ea in urbe lector publicus fuisset tempore fundassetque collegium in gratiam studiosorum, quod etiam nunc Ancaranum appellatur.

Getius Vrbevetanus legum Professor celeberrimus, missus fuit à Matthæo Vrsino Cardinale ad Venceslaum Bohemiæ regem, redactum leges istius regni in debitum ordinem. Sansov. in histor. gentis Vrsin. lib. 2. Petrus Monaldescus & Lippus Albericius, extitere Doctores legum præstantissimi primasque Cathedras tenuerunt, dum adhuc Vrbiventi Academia floreret. Monaldesc. in Comment. lib. 8.

Petrus Novelli Monaldeschi etiam Iureconsultus fuit in decidendis causis variorum tribunalium, præcipue vero Rotæ Florentinæ dexterrimus atque subtilissimus. Sansov. in famil. illustr. & in specie, in fam. Monald.

Thomas Mancini perbrevem, sed magnæ eruditionis tractatum composuit inscriptum, Laureola Prælatorum, impressum anno 1582.

Flaminius Carthari satis magna indicia maximi ingenii sui judiciique præbuit in justitia variis in tribunalibus administranda; composuit Tractatum seu libellum de interrogandis reis, De executione sententiæ capto Bannito. Decisiones rotæ caus. executiv. Reipub. Genuen. quanquam has primum à morte ejus Papirius filius Perusinæ Rotæ Auditor in lucem dederit.

Giolivus Carthari Flaminii filius, à quo editæ decisiones criminales fori Archiepiscopalis Mediolanensis, item Disputatio pro immunitate Ecclesiastica.

Mutius Carthari, qui librum edidit de solvenda à patre legitima pro filio condemnato; sive de pœnis innocentum pro noxa nocentum.

Carolus Carthari, Giolivi Senatoris Romani filius, vir doctissimus pariter ac humanissimus, dum hæc scribo Advocatorum Sacri Consistorii Decanus, & Archivii Apostolici Arcis S. Angeli Præfectus, Advocatorum Sacri Consistorii Catalogum prœlo commisit.

Iacobus Cotelli Cardinalatus notitiam evulgavit. Commentaria in Bullam Clementis VIII de bono regimine rerum ad universitatem spectantium. Dicta opera Giolivi, Mutii & Cotelli studio & labore Caroli Carthari lucem aspexerunt, qui præclarioribus majorum suorum operibus adhuc editionem parat.

Hieronymus Magonius intra tempus quo Florentinæ ac Lucensis Rotæ Auditor fuit, decisos spatio illius temporis casus in ordinem collegit, quæ in manibus nunc omnium sunt, ejusque Decisiones Lucenses & Florentinæ jam in publicis tribunalibus allegantur.

Fabius Thimæus, Advocati Patriæ munere functus, adjectis notabilibus ad Vrbevetana statuta, factisque annotationibus ad Magonii decisiones, electus tandem fuit Bononiensis Auditor Rotæ, quo in tribunali Prætoris munus gerens diem suum obiit.

Fr. Alphonsus Regius, ex S. Augustini ordine haud postremæ classis Theologus, compilator variorum conscientiæ casuum extitit, eosque in lucem mandandos Cardinali Crescentio, Patriæ suæ Episcopo, dedicavit.

Cyprianus Manentius rebus in patria sua civesque inter gestis ingens lumen attulit, compositionem hanc in octo distinctam libros evulgatamque historiam appellans.

Monaldus Monaldescus, Canonicus Ecclesiæ Vaticanæ, commentarium historicum in viginti partitum libros conscripsit, in quibus intestina suæ patriæ bella narrat, aliasque res observatione notandas.

Balduinus à Monte Simoncello, nepos Cardinalis ejusdem nominis, pronepos que Iulii III. Pontificis, fuit magno vir ingenio, sed duriore fortuna; plurium autor operum extitit, ex quibus

bus patet, quantum in utroque valuerit Latino & Italico idiomate scribendo. Latine edidit Satyram Mercurius dictam, sive Somnium vigiliarum prolusionem: Italice Ideam Prælati, *il Vinta*, sive de consolatione: *il Simoncello*, sive de venatione: & volumen unicum Lyricorum poëmatum.

Eques Iulius Cæsar Bottefangus, Cardinali Bernerio à secretis, mirifice literarum studiis delectatus & Musis, multa Lyrica eleganter composuit; & paucis annis ante obitum suum in laudem Sanctissimi atque Augustissimi Corporalis octostrophon pepigit.

Viri Bello inclyti, Viros bello inclytos gens Farnesiorum, quæ Vrbevetana est, ut diximus, produxit suis è visceribus heroës magni nominis, quorum nomina solum aliquorum visum est attingere.

è gente Farnesia. Petrus Farnesius anno 1100 Paschale Papa II regnante, Ecclesiastico fuit equitatui Præfectus. Studiosissimi iidem Christianæ rei amplificandæ fuerunt.

Prudentius sub Pontificatu Lucii II.

Ranucius sub Pontificatu Innocentii III teste Panuino in vita Pauli III.

Ranucius II, anno 1288 Dux Senensium Generalis fuit. Malevol. in hist. lib. 3. part. 2.

Petrus II, Princeps fuit Vrbevetanus anno 1313. Manent. in hist. hujus anni.

Petrus III, & Ranucius III, fratres uterque Generalis Florentinorum adversus Pisanos, anno 1362, & 1363. Matt. Villani lib. 2. Leonard. Aret. in histor. Florent. lib. 8.

Ranucius IV. Generalis Senensium anno 1416, & 1417. Malev. lib. 1. in 3 part. & alios plures refert Sansovinus de illustribus Italiæ familiis, discurrens in specie de Farnesiorum familia, usque ad Alexandrum Farnesium, Parmæ & Placentiæ Ducem: cujus bellica virtus quantum regno Hispaniarum & augendo & propugnando profuerit, historiarum volumina testantur.

Ranierus ab Vgolino de Baschi, Patritius Vrbevetanus, Pisanis Dux præfuit contra Florentinos belligerantibus: testibus Matt. Villani. Leonard. Aretin. Pogg. in loc. citt. à Venetis postea liberaliori stipendio evocatus, ut Paduani belli adversus Carrarenses reliquias deleret, anno 1370, & anno 1375: quo finito Regiensis Prætor in Lombardia electus fuit.

Alexander Philippescus, Capitaneus Friderici Imperatoris laudatissimus.

Butillus Vrbevetanus, Castello Beneventano Præfectus flagrante Neapolitano bello Ioannam Reginam inter atque Alphonsum Arragonensem.

Comes Vgolinus. Monte-Marte à Corbara dictus, Dux generalis fuit Cardinalis Ægidii Albernozzi, Apostolici Legati in Italia, pro recuperanda Pontificia Ditione ex parte amissa: variisque seditionibus aut mediator pacificando interfuit, aut victor, debellando; ut apud Monaldescum, Manentium & Sansovinum in hist. de gente Vrsina lib. 3. legitur. Familia Montemartia diversis præterea temporibus multorum & armis & literis clarorum genitrix extitit; veluti Apostolicis nobis fit Brevibus fides certissima: *E gente Monte-martia.*

Honorii nimirum II bulla subsignata Cardinalium manibus anno Pontificatus ejusdem v, Salutis nostræ 1130.

Bonifacii X, anno 1398.

Innocentii VII, anno 1404.

Nicolai V, anno 1448.

Imperatoris item Ottonis II, anno 976 diplomate, quo Farulphum Monte-Martium Comitis titulo insignit. Plures recensere facile esset Capitaneos, qui plerique pro Sancta Ecclesia defendenda periculum fortunarum & capitis neglexerunt.

Pyrrhus à Stipiciano Balionia ex gente, (licet Columnæ gentis putatus fuerit, quod educatus esset & militari disciplina instructus à Marco Antonio & Pompejo Columnis,) quem Iovius cum eleganti celebrarit elogio, à nobis prætermittitur, lectorem curiosum eo remittentes. Iovius in elogiis sub fin. lib. 6.

Bartholomæus Livianus, Castelli Alviani Dominus, Patritius Vrbevetanus, quantus fuerit quibusque viis ea consecutus sit, quæ in bellis sunt amplissima, dedita opera silemus, historia laudem ejus plenis buccis decantante.

Vgocionius de Baschi, dicti Bartho-

tholomæi nepos ; ejusque Vicarius fuit cum is Venetorum esset Generalissimus.

E gente Marsciana. Antonius ex Comitibus à Marsciano à primis unguiculis, ab Erasmo Narniensi Gattamelata dicto, bellandi artem edoctus, anno 1451 ejusdem apud Venetos stipendia merentis Vicarii dignitatem tenuit; inde à Florentinis avocatus, amplissimo muneri præfuit: Ranucius etiam à Marsciano Comes & natu major filiorum duodecim Antonii Comitis (de quo mentio nobis facta est) Dux fuit animi & corporis fortitudine pollens, testante non uno in loco Ioviana historia, & aliorum, multisque annis hæc familia bellicosorum quasi seminarium quoddam extitit, scilicet:

Ludovici, & Pyrrhi, germanorum fratrum Ranucii.

Nicolai patruelis, Pauli *di Parano* cognati, & Ludovici Iunioris, qui omnes diversos militiæ honores gesserunt.

Eadem ex gente est Gentilis Monaldescus à Sala dictus, homo inquietus & dominandi libidine agitatus, ut Pius II, in comment. lib. 4. scribit. quam ob causam Paulus II, ut ab his cogitationibus animum ejus avocaret, sub Francisco Sforza jussit eum militare, quo in bello animum ostendit milite dignum, testis est Manent. lib. 5. anno 1465.

Sforza Monaldescus à Cervara etiam bellicosi laudem meruit, in bello munere non infimo functus, ut ex patentibus literis ejusdem à Ceccarellio regestis videre est.

Vespasianus Marabottinus, cum Sanctæ Floræ Comite in Gallias profectus, contra hæreticos bellaturus, signifer primo cohortis pedestris, fortem deinde se virum probans, Colonelli dignitatem obtinuit ab ipsomet Galliarum Rege in numerum S. Michaëlis Equitum cooptatus.

Cæsar Guidonius, & terrestri & maritimo bello exercitatus, S. Stephani Eques creatus, & triremi sui ordinis Præfectus pluribus expeditionibus temporum nostrorum interfuit, indicata fratri suo Marco Guidonio, nuper Papali triremi præfecto, ad eosdem honores via.

Barones nuper, vel etiam nunc Vrbiventum inhabitantes, sequentes sunt generis nobilitate insignes; Eminent. & Reverendiss. D. Cardinalis Crescentius Episcopus, Baro Castelli Georgiani & Meanæ. *Barones Vrbivetani.*

Eminent. & Reveren. D. Cardinalis Antonius Barberinus, qua Abbas Sanctorum Severi & Martyrii Baro est Turris S. Severi & Canalis.

Serenissimus Dux Parmensis Baro Castilionensis in Tyberina regione.

Gubernatores Vrbevetani in decem castella jurisdictionem habent.

Magistratus Vrbevet. mero & mixto imperio utitur in decem item castella.

Fabrica seu Præfecti fabricæ Cathedralis Ecclesiæ binis Castellis absolute dominatur. Marchio Bonellus Salensis Dominus. Quibus adjungitur Marchio Castelli Viscardi.

Hic præterea sunt:

Comites *della Corbara.*
de Titignano.
della Ripa.
di Carnajolo.
di Castel de Fiore.
di Parrano.
de Civitella.
di Monte Giove.
di Castelli di Piero.
del Pornello.

Barones *di Trivinano.*
di Veceno.
di Torrealfina.
di Baschi.
di Monterubiaglio.
di Fabro.
del Botto.
di Stipicciano.
di Graffignano.
di Castel Rubello.
d'Alviano.
di Guardea.
del Poggio.

Antiquissimo statuto ternis per annum vicibus nundinæ Vrbiventi liberæ celebrantur. *Nundinæ.*

Primæ ab Vrbano IV, institutæ festo corporis Christi anno 1264, initium sumpsere.

Se-

Secundæ à Nicolao IV fundatæ eo tempore quo Cathedralis Ecclesia cœpta est fabricari, nimirum 13 Novembris 1290, sancti Britii dictæ.

Tertiæ à Bonifacio VIII, quo tempore primam ipse Vrbiventi Missam celebravit, quod factum 15 Augusti anno 1297, Assumptionis nominatæ.

De regula autem his nundinis durantibus tenenda Vrbevetanum Statutum disponit. Statutum civit. lib. 1. rub. 47.

AVXIMVM.

AVXIMVM civitatem esse antiquissimam, cujus origo ignorata fuerit Plinio, Tito Livio, & Straboni scriptoribus priscorum temporum, ex monumentis eorundem colligitur: Blondus, F. Iacobus Philippus Bergomas & Leander Alberti variarum Italiæ urbium initia quidem prodidêre; at quo tempore *Auximum* extiterit nescientes, nihil de hujus urbis origine meminerunt. Extant tamen Gabinii Læti, & Lini historici manuscripti codices; quorum ille quindenis post Trojæ excidium annis, hic à quatuor Thebanis post eversas Thebas conditum *Auximum* affirmant. *Vrbis origo.* Verum quoniam horum manuscriptorum codicum nulla alibi videntur exempla; pro non classicis eadem ab eruditis habentur. Strabo, qui ante mille sexcentos & nonaginta annos scripsit, *Auximum nobilem Piceni urbem* adpellat; Titus Livius pari scriptor antiquitate, dentatum *Auximi* fœtum natum fuisse perhibet; Romanosque quingentesimo vigesimo sexto ab Vrbe conditâ anno, *Auximum* muris cinxisse, ac tabernas in foro mercatorum atque extraneorum commodo excitasse. Romani, anno Vrbis conditæ 431, cum Picentibus fœdus pepigêre; ergo cum Auximatibus etiam: quippe Auximum, istis fuit temporibus Piceni metropolis; Auximatesque fuêre decennio post à Romanis in societatem admissi, eodem Livio teste. Qui deinceps redactâ in potestatem suam Siciliâ atque Sardiniâ insulis Italiæ adjacentibus, distributoque in quatuordecim provincias Imperio, totidem Prætores iis gubernandis, totidemque Quæstores exigendis tributis & vectigalibus decreverunt. *Magistratus.* Ex his Prætor unus Quæstorque Auximum missi; Prætor autem, licet toti esset Provinciæ designatus, Auximas dictus fuit, quemadmodum ex multis basibus istorum temporum Prætoribus cum Statuis è Pario marmore erectis arguitur. Pompejum M. Prætorem Auximi fuisse, ex Plutarcho scimus, testaturque lapis in foro majore hujus urbis servatus, in quo lictores cum fascibus expressi, quos soli Provinciarum Prætores, Consul Romanus, item Vrbanus, & Peregrinus Prætores in signum potestatis usurparunt. De Quæstore constat ex basis cujusdam, cui Romani Senatoris Statua imposita est, inscriptione:

TITO SALENO QVÆSTORI
REIPVBLICÆ AVXIMATIS.

Iidem Romani Auximatibus deinde præfectos collegiorum seu corporum Centonariorum, Fabrorum, Pontificum, ut & Pontificum Maximum & Flamines designarunt. Narrat Livius, ad similitudinem Romanæ urbis Auximi quoque Capitolium fuisse, & templa complura annuis reditibus ad emendum victimas idolis mactandas instructa; *Capitolium, & Templa.* legionem etiam secundam Trajanam fortem, cum cæteræ coloniæ binas tenerent, ob merita Auximatum solam hujus urbis præsidio impositam; ad Præfectum vero cohortis prætoriæ defensionem Auximatis Reipubl. pertinuisse. Vellejus Paterculus lib. 1. commemorat, anno Conditæ Romæ 561, exstructum Auximi à Romanis theatrum, quod Cassius Longinus censor demoliri voluerit; sed cui (quæ verba Paterculi sunt) *Eximia Civitatis Severitas, & Consul Cœpio restitêre.* *Theatrum.* Vnde colligitur Auximatum istis temporibus autoritas. Octennio exacto septum novis muris *Auximum* Romani templis, viis, aquæductibus, cæterisque ad splendorem urbis spectantibus ædificiis cohonestarunt. *Splendida ædificia.* Ex aquæductibus quini adhuc extant sub foro majore ingentium aularum specie concamerati, deno singuli fornice, altero alterum subeunte, facti ex materia Saracena. Ad basin eorum tubus visitur latus pedes ternos, altus quinos; & loco inferiore cisterna ejusdem prorsus materiæ. Cæterum Auxi-

Parochie.	Conventi.				Palazzi Publici.				Chiese Vicine.		
1. Vescouato con 12 Chiese Parrochiali.	2. S. Francesco. 1.✱S. Silvestro. 3. S. Nicolo.	4. S. Agostino. 5. S. Benvenuto. 2✱S. Marco.	6. S. Elena. 7. L'Annuntiata. 8. S. Maria del'Oliva. 9. S. Giou. Battisterio.	10. S. Rocco. 11. S. Benvenuto Hospidale d'infermi pellegrini e bastardi.	12. P. del Vescouato sopra le ruine della Rocca d'innocentio VIII. 13. P. del Magistrato.	14. P. del Governatore. 15. Piazza del Magistrato. 16. Piazza della Dogana. 17. Piazza Nova.	18. La Cavallerizza. 19. Ruine del Campidoglio. 20. Statue e Base. d'Imp. Questore e Pretori.	21. Porta di S. Iacomo. 22. Porta Caldarara. 23. Porta di Cauaticco.	23. S. Maria delle Gratie. 24. La Pietà. 25. Crucifisso di Nuncisvalle.	26. S. Iacomo. 27. Fonte Magna. 28. Fonte del Guazzatore. 29. Fonte d. S. Iacomo.	30. Fonte per l'Ochi. 31. Fonti di lanciafaro.

mum anno post conditam Romam 594. Romanorum cœpit accenseri coloniis, ut Carolus Sigonius, de antiquo jure Italiæ, capite v, sub finem refert. Præturam illius Pompejus Magnus expulsis Ventidiis fratribus arripuit, ut Plutarchus in vita Pompeji recenset: *Pompejus jam tertium & vigesimum annum agens, Prætor à nullo designatus in Auximo Civitate quippe ampla seipsum in subsellio medio in foro poni jusso constituit, deinde geminos fratres Ventidios, qui primores in ea urbe fuerant, quia Carbonis partes asserebant, cum Civitate damnatione suâ ejecisset, capessens Imperium delectum militum habuit:* Hoc exercitu seu delectu militum instructus Pompejus, adhibitis in societatem armorum Syllæ copiis, sectatores Carbonis tyrannidem usurpantis ex omnibus civitatibus ejecit; quem Sylla deinde, seu ut Zonaræ placet, Pompejus M. tertio & vigesimo ætatis anno in Sicilia, ubi Carboniana fervescebat seditio, oppressit. De loco conscripti militis nil meminit Zonaras; illud subjungit, Pompejum primos adolescentiæ annos Auximi, quod ibi prædia bene ædificata cultissimosque hortos haberet, transegisse: quod etiam Franciscus Pamphilus à Sanseverino lib. 1. de Laudibus Piceni ex Syracusana historia depromptis insinuat:

Romanorum Colonia facta.

Pompejus M. Prætor Auximas.

Nondum Prætor erat teneros Pompejus ad annos,
Otia Piceno tunc peragebat agro.

& lib. 2.

Emerat hîc multos Magnus Pompejus amœnos,
Si bene conjicio, fertilitatis agros.

Hæc ita esse, fontis cujusdam, qui à Pompejo conditore suo Magnus adpellatus à Procopio lib. 1. belli Gothici celebratur, adhuc extantes reliquiæ demonstrant. Verum Auximates ob ejectos Ventidios Pompejo non dissimulanter irati, ejusdem consiliis resistere non semel dubitarunt; unde paucorum annorum tempore interjecto, de alienato à Romana Rep. Cæsaris animo, occupatoque ab eodem fine vi Arimino, aliisque civitatibus certiores facti, missum ad se à Romanis Actium Varum, ut Auximates reliquosque Picentes contra Cæsarem novis rebus studentem defenderet, novumque militem in Piceno conscriberet, sæpissime per Decuriones suos hortati sunt, partibus Cæsaris favere ut vellet, cui salus publica tantæ semper curæ fuisset. At cum contraria Actii studia comperissent, precibus in minas commutatis, proclamatoque Cæsare domino suo, Actium excedere cum præsidiariis coëgerunt. Auximates itaque cum paucis quæ advenerant Cæsaris cohortibus in hostem profecti, multis cæsis captisque inter quos Lucius Puppius quadringentis militibus præfectus, domum rediêre paullo post quam Cæsar cum duodecima legione ex præsidiis deprompta, quod alium tum habere militem nequiret, eodem accessisset. Sciebat Cæsar tenere se Picenum non posse, nisi Auximates dicto haberet audientes; hîc enim secunda legio in præsidiis collocabatur, ut patet ex base quadam ab hujus legionis centurionibus dedicata, atque inter cæteras in foro urbis reposita. Quamobrem Auximates potentia valuisse vel ex eo constat, quod primi omnium ad Cæsaris partes ultro transierint, ut à Romanis quatridui itinere solum distantibus vindictæ nihil metuentes. Tenebat Cæsar quidem Ariminum, & pauca oppida præterea, ut diximus, sed ab his ob impositum Cæsaris præsidium pœnas exigere Romani nequiverunt. Cæsar deinde militum suorum delectum habens, cum transfugisse ad se ex Actianis plurimos cognovisset, studia eorundem laudavit, Puppiumque ab Auximatibus commisso prælio captum libertati restituit; Auximatibus vero ob res præclare gestas gratias egit, seque beneficii memorem fore ostendit. Istâ clementiâ Cæsar brevi tempore universam Piceni regionem suum ad arbitrium composuit, quemadmodum de se ipso testatur in comment. *Auximum Cæsar progressus totum Picenum percurrit.* Subjungit Cæsar, Romanos intellecta Auximi deditione Cæsari facta, obstupefactos resistendi amplius Cæsari consilium deposuisse. quanquam id Zonaras velit ob Ariminum ab eodem Cæsare direptum evenisse; quod falsum est. quippe ob Auximi, non autem Arimini deditionem, ipsomet Cæsare in Com-

Auximum fit Cæsaris.

Commentariis suismet teste, timor Romanos invasit. Cæsar deinceps sexaginta dierum spatio directo primum Samnium & Brundusium versus itinere, quod illic Pompejus esset, cum exercitu ad Vrbem nullo resistente accessit; Dictatorque perpetuus creatus, paucorum dierum tempore summum est imperium consecutus. Vide Cæsaris librum 1. de bello civili. Idem Auximatum studiis se amplissima quæque adeptum intelligens, in memoriam tanti beneficii numisma cudi jussit ex altera parte imagine sua notatum, circùm scriptis verbis: IVLIVS CÆSAR DICTATOR: ex altera, ad antiquitatem urbis designandam, Matris Deûm, Cybeles forma signatum plures manu turres gestantis, atque ad pedes binos leones habentis, apposito dicto: OB PERPETVAM AVXIMATVM BENEVOLENTIAM. *Numisma Jul. Cæsaris.* Dicto modo formata Cybele vetus hujus civitatis insigne fuit; etsi jam à tempore, quod hominum memoriam excedit, aliud habeant Auximates corona regali conspicuum. Posterioris numismatis notitia primum à vigintiquinque, plus minus annis ad Auximates pervenit, occasione disputationis Romano in Collegio ortæ inter Antonium Mariam Triacam Auximatem Sacrosanctæ Theologiæ professorem, Medicum ac Philosophum, atque Anselmum Nhermium Hibernum; qui Triacam Auximi natum intelligens edixit id numismatis inter multa alia in Hibernia domi suæ reperiri. Et quoniam intra paucos dies in patriam, deinde Romam esset rediturus, Triacæ se id daturum promisit; & exacto biennio redux promissum præstitit. Triaca publicæ rei studiosus id Communitati in rei memoriam concessit; visiturque Auximi aliud præter hoc numisma in agro suburbano inventum, & prisci insignis specie decorum. Ex pluribus fragmentis colligitur, quod, posteaquam populi istius partis Piceni quæ trans Centium flumen est, remisso fœderi Romanorum nuntio anno Vrbis conditæ 484. adversus eosdem bellum gessere, spatioque biennii à Romanis devicti, in Latium vetus inter Sarnum & Silarum amneis deinde translati sunt, amisso Picentum nomine, uti Strabo à Carolo Sigonio citatus refert, Picentini adpellati fuerint; reliqui vero populi Auximatum nomen susceperint. *Piceni.* Id Plinius lib. 3. cap. 13. insinuat: *Auximum Vrbs Piceni, à qua Auximates Populi, postea Picentes dicti fuerunt.* Ex quibus verbis Strabo arguit, Plinium non de solis Auximi habitatoribus; sed de integræ regionis incolis fuisse locutum; cum nomen, *Populi*, plurium locorum urbiumque habitatores significet; quemadmodum videre est apud Virgilium lib. 1. Æneid. *Littoraque & latos populos.* Præterea ex multis inscriptionibus fragmentisque Auximi repertis notatur, *Inscriptiones.* nominatimque è binis ab Auximatibus Sartorum Præfectis dedicatarum Statuarum basibus, atque ex unius à Fabrorum collegio Præfecto ejusdem erectæ inscriptione, verosimile non esse, præcipuos Senatores Romanos gravissimis laboribus atque amplissimis dignitatibus defunctos Auximum missos fuisse; ut parum numeroso Sartorum, aut Fabrorum collegio præessent; verum ut à diffusa per Picenum Sartorum ac Fabrorum multitudine vestes atque arma totis exercitibus sufficientia mature compararent. Idem constat ex base Reipubl. Auximatis Quæstori dicata; item è quinis basibus, quas Romanis Impp. Auximates dedicarunt, atque ex fragmento quodam duobus legatis conspicuo. *Bases.* Primum sic loquitur: *Legavit Coloniis Auximatibus singulis, & Decurionibus singulis sextertia vicena*: præterquam quod Coloniarum Romanarum numero censerentur, Firmum, & Asculum Picenum, Castrum novum, Hadria, Potentia, Auximum atque Æsis. Alterum his verbis accurate expressum est: *Legavit Coloniis Coloniæ Auximatis sextertia tercenta.* Nota hoc loco genere neutro sestertia intelligi. Adhæc quoddam aliud fragmentum continet legatum perpetuum emendis palliis concessum pro Auximatibus, qui ludis gladiatoriis victoriam reportarent. Constat etiam incolas Coloniarum Coloniæ Auximatis ad dictos ludos gladiatorios neutiquam fuisse admissos. Denique in libro de inscriptionibus totius Orbis Picentum, aut Piceni nomen nunquam invenies; eo quod erectio basium & statuarum primum fieri cœpta sit anno Vrbis con-

conditæ quingentesimo, post divisum à Romanis in provincias Imperium, in quas Proconsules cum Legatis mittebant, Piceni nomine quindenis annis jam ante, ut diximus, extincto. Porro si verbum, *Auximatium*, collegiis Fabrorum ac Sartorum postpositum habitatores Auximi tantum significare deberet, *Collegium Fabrorum Militiæ Auximi*, vel *Auximanæ*, ad eum modum quo dictum est, *Collegium Fabrorum Militiæ Ravennanæ*, & *Collegia Fabrorum & Centonariorum*, nulla regione locove adposito, de iis, qui Brixiam incoluerunt: sicut etiam, si verba *Auximates publice*, & *Auximates dedicarunt*, inscripta basibus dedicatis tot Imperatoribus complecterentur solum Auximi cives, scriptum fuisset: *Auximum*, sive *Colonia Auximi dedicavit*, quemadmodum in diversis fragmentis habetur, & speciatim, in uno, quod Anconæ visitur à Colonia Helvia Ricina dicatum hac inscriptione:

IMPERATORI CÆSARI L. AVRELIO VERO &c. COLONIA HELVIA RICINA CONDITORI SVO.

Ex inscriptionibus basium, quæ Auximi sunt, advertes Auximatium nomen in basibus dedicatis in honorem Imperatorum, Prætorum cæterorumque administratorum, à prædictis Sartorum & Fabrorum Auximatium collegiis quingentis annis & ultra durasse, quemadmodum apparet ex basibus Nervæ, Lucio Aurelio Vero, Lucio Aurelio Martiano, & A. M. Aurelio Antonino Impp. erectis. Regino Abbas Primicensis in Annalibus Germaniæ refert Auximum urbem Pentapolim sive quinarum civitatum dominam fuisse. In lectionibus sancti Leopardi primi Auximatum episcopi habetur Pentapolim omnium pulcherrimam fuisse. Vsque ad Gothorum tyrannidem totius Piceni nobilissima & potentissima urbs extitit, ut à Procopio Græco scriptore refertur, qui Belisario Duci Auximum pro Iustiniano Imperatore obsidenti à consiliis fuit, quod Auximo urbe perdita Gothi suum quoque perdiderint imperium, uti legitur in historia ejusdem Procopii sic de Auximo scribentis: *Bellisarius deinde undecim millium hominum exercitum ductans, ad Auximum urbem contendit, quam satis constat in Agro Piceno præstantiorem cæteris esse; quippe quam Romani Metropolem vocant.* De Firmo sic loquitur: *Bellisarius interea, & alii Romanorum præfecti circa Firmum copias jungunt, quæ civitas Ionici sinus adjacet littori, & ab Auximo opido diei iter hæc abest.* De Ancona his verbis: *Ancona vero saxo imposita est, à quo quia Anconi, id est insinuato brachio simile est, nomen accepit; abest autem ab Auximo civitate octoginta stadiis, cujus & promontorium est.* De Pisauro autem & Fano hæc habet. *Ad littus Ionici sinus oppida duo, Pisaurum Fanumque inter Auximum & Clavennam sunt sita.* Præterea Auximum provinciæ nomine indigetat his verbis: *In Regione Auximi, &c.* Cluverius etiam lib. de antiquitatibus Italiæ, & Siciliæ honorifice de Auximo non uno in loco discurrit, citans autores antiquos complures Auximi mentionem facientes. Præcipue vero Procopium, cujus verba Græca lib. 2. de bello Gothorum scripta sic Latinè refert: *Auximus omnium Piceni maxima est urbs, Vrbs hæc Auximus princeps est urbium Piceni, quam caput gentis Romani vocant.* Caput autem gentis idem significat, quod Metropolis. In hac autem translatione Cluverius textum Græcum secutus, qui Auximum Principem urbium Piceni adpellat. Et licet Cluverius referat, Lucio Floro lib. 1. cap. 19. Asculum *Caput gentis* vocari; id intelligendum non dignitatis, sed belli ratione, quod Picentes Asculanis ductoribus anno 483 ab Vrbe condita Romanis intulerunt. quemadmodum aperte ex his Procopii verbis è Græco in Latinum transfusis: *Domiti sunt*, inquit, *post Tarentinos Picentes*, & *Caput gentis Asculum Sempronio Duce.* Cluverius autem de Auximo clarius quam cæteri translatores seu interpretes Procopii loquitur hoc modo: *Auximus Princeps urbium Piceni.* At prædicto contra Romanos bello non intervenêre Auximates cum quibusdam aliis Piceni populis. Nam omnes qui hoc se bello miscuerunt, subjecti fuere à Romanis & patriis sedibus expulsi, bonis seu fortunis eorundem in fiscum redactis. Et, ut Strabo refert, hi Picentes devicti à Romanis, in antiquum Latium, quod Nea-

Neapolim versus spectat, inter Sarnum, & Silarum amnes traducti sunt, conclusique loco ad spacium triginta milliarium non ultra porrecto. Sin autem Picentes universi in societatem hujus belli venissent, recipiendæ genti vix suffecisset locus nonaginta milliaribus in longitudinem; & tantundem in latitudinem extensus. Quamobrem Carolus Sigonius, *Picenus*, inquit lib. 1. c. 15. *ager fortassis ille fuit, unde dimoti Picentes illi feruntur, qui à Romanis in Campaniam, quæ est inter Sarnum, & Sillarim, sunt traducti, ac Picentini postea teste Strabone appellati.* Et quadriennio post coloniæ Firmum, Asculum, Hadria, & Castrum Firmi deductæ fuerunt: quas illustres colonias merito dixeris, quod earum habitatores aut Romani fuerint, aut à Romanis profecti. Inter quos tum divisus ager, & fortunæ expulsorum. ut patet ex lege à Cajo Flaminio tribuno plebis latâ de agro Piceno viritim dividendo; quæ extat apud Ciceronem in Catone, teste eodem Carolo Sigonio in fine prædicti cap. 15. De coloniis quadriennio post deductis idem Carolus Sig. lib. 2. *De antiquo jure Italiæ. de coloniis ante bellum Italicum deductis.* Auximum vero Metropolim Piceni à Romanis vocitatam pluribus authoritatibus supra probavi; inprimisque Procopii testimonio, qui Auximum civitatem, antequam Vandalorum aliarumque barbararum gentium vastationi subjaceret, refertam basibus, statuis, arcubus, theatris, templi & capitolii majestate decoram conspexit; ex his Auximi potentiam & dignitatem vigente apud Romanos adhuc Republica, & primis istis Imperatoribus regnantibus, procul dubio dimensus. Cæterum de Procopio Raphaël Volaterranus interpres ejus, hoc laudis encomium promit: *Nec mortalium ullus ad ea memoranda magis quam ipse idoneus, quod Belisario consiliarius adfuit, & rebus omnibus dum agerentur interfuit.* Permultum olim de Auximi dominatu laboratum à Principibus quibusdam: nam Grossetus è Soc. Iesu refert Paulum I. Pontificem, qui ad summi Apostolatus gradum anno 757, ascendit, duos ad Pipinum regem Francorum legatos misisse, exoratum traditionem Vrbium Bononiæ, Auximi & Imolæ. Quid autem à Pipino rege Apostolici legati obtinuerint, non satis perhibetur. Platina tamen in vita Adriani I. Pontificis, qui anno 772 ad Pontificatum evectus est, narrat, postquam Carolus M. Desiderium Longobardorum Regem ad Ticinum profligavit, Anconitanos, Auximates, & Firmianos, Spoletanorum & Reatinorum exemplum secutos, spontè sese Apostolicæ Sedis imperio tradidisse. Idem notat Dolionius in Theatro Principum ad annum 768. Nicolaus II. Pontifex à Romanis injuriam passus, Vrbe excessit anno 1039; multi enim ex Romanis Benedicto X ex Comitibus Tusculanis, Pseudopapæ adhærebant: posteà re composita non ante Vrbem subiit, quam Auximi plures in Cardinalium numerum cooptasset. Adhæc in agro Auximatum comitia Imperii olim solita celebrari: extatque memoria duorum celebratorum in loco cui *Vaccaro* nomen, distante Auximo vix ultra spatium unius milliarii; primorum Henrico I imperante anno 1012 hìc peractorum, quibus duo Cæsarei Vicarii cum multis Principibus, quos inter Gislerius Auximatum Episcopus S. R. I. Princeps fuit, interfuere: alterorum anno 1214. indictorum ab Aldobrandino Atestino Marchione Marcæ Maraneæ, & Vicario Othonis Imp. in quibus exortæ inter Italiæ Principes & Dominos controversiæ sepositæ. Principes, quorum arma sensit Italia, in varia loca suos Legatos mittere solebant; Auximum vero ipsi veniebant. Ita factum à Cæsare, qui Marcum Antonium Fesolium, & Curionem Tinium misit, & alios aliò. Totila Auximum maximis copiis aggressus, cum potiri urbe desperaret, discessit, & partem exercitus Firmum atque Asculum misit; cum reliquis ipse copiis in Vmbriam profectus. Belisarius Mediolanum Orajam, Fesolium Vitalianum abire jussit, ipse Auximum adiit; quam etiam, ut jam dixi, ob victûs inopiam in potestatem suam redegit. Quæ omnia argumento sunt, istis fuisse temporibus Auximum urbem splendidissimam. Splendorem autem suum amisit vastantibus latè Italiam Gothis, Longobardis & Vandalis, qui capitolium illius, theatra, templa, aliaque superba ædificia subverterunt.

Metropolis.

Comitia.

Auxim splendori amissus.

terunt. Constat id ex reliquiis marmorum Gigantum, Sphingium, Bacchantium, Fortunæ atque armatorum imagines exhibentium; prægrandium item columnarum, basium, statuarum, atque arcuum triumphalium vestigia id declarant. Octuaginta anni sunt, cum ex loco muris urbis vicino, effossi sunt trecenti circiter lapides marmorei expoliti partim, partim figurati, sed diffracti, qui ad cornices fenestras portasque Palatii seu Curiæ ornandas adhibiti. Sexaginta anni sunt, cum sub muro quodam Imperatorum duorum statuæ nudæ fractæque inventæ: at quæ Romanis Senatoribus aliisque Auximum missis erectæ sunt, Senatoria veste decorantur.

Lapides marmorei.

Bases.

Centum anni sunt, cum reperta fuit basis quædam, sed dissecta, destinata olim cuidam Protectori seu defensori Municipii Ricinensis: quam Nobilis quidam prædii vicini, in quo effossa fuit, dominus Ricinetanæ concessit urbi: quæ ex Helviæ Ricinæ ruinis ab Athalarico Gothorum rege dirutæ instaurata. Anno salutis nostræ *1639*, refert Iacobus Laurus Romanus in hac descriptione Auximi, à nobis Latine redditâ, prope murum quendam repertam basim *Diis manibus* inscriptam, item partem columnæ striatam tres pedes & medium longam. Septem lustra sunt, cum ejusdem magnitudinis fragmenta quindena striata effossa, è quibus, ut inquit Laurus, præalta columna conjunctis partibus fabricaretur, imponereturque statua Virginis Matris advocatæ nostræ.

Basium ingentem hic numerum videres, nisi ob causam infra dicendam essent dissectæ. Hodieque tamen quindenas adhuc conspicies, quarum quinæ Imperatoribus Coccejo Nervæ, Lucio Aurelio, Marco Aurelio Antonino, Lucio Aurelio Vero & Martiniano ab Auximatibus, hoc est universo agro Piceno dicatæ, ut paulo ante insinuavi. Reliquæ Senatoribus Romanis aliisque Auximatum Rectoribus à municipiis, libertis, coloniis, & collegiis erectæ. Et credibile est fuisse hoc loco basim Adriani Imp., qui Imperator sæpe Auximum venit, ibidemque aliquamdiu commoratus est. Mediolani quoque basis cum Æsculapii statuâ ex ære, & alia basis præterea conspicitur, quas Auximates Ioanni Iacobo Trivultio ab Ludovico Mauro ad Auximum misso, dono dederunt ex causâ inferius deducendâ. Reliqua marmorum lapidumque fragmenta hic passim obvia, variisque inscriptionibus signata consulto omitto.

Leopardus, de quo supra, ab Innocentio I. Pontifice in Divorum numerum relatus, primus Auximatum ab idolorum cultu recedentium Episcopus fuit, deinde suffragiis 402 ad summum Pontificatum evectus. Cathedralis Ecclesia, quæ Auximi est, antiquitate suâ censenda lapidibus quadratis candidis constat, editioreque loco est posita. Ternis scalis, quarum singulæ vicenos gradus habent, unaquæque ex his bases superius dissectas, ad locum ascenditur pavimento vermiculato spectandum: qui ante quinquaginta annos à reliquo templo erat divisus cancellis ex Pario marmore crassitudine palmari, & columnis striatis ad latera oppositis ejusdem materiæ, addito in medio ostiolo. Intra hos cancellos altare erat expers tabulæ pictæ, ponè quod Episcopus cum canonicis & reliquo clero, ad latera vero & ante populus consistere solebat, dicebaturque *Sancta Sanctorum*: sub hoc loco sacellum est, in medio, & ad utrumque latus concameratum, altaria quina continens, quæ singula arcam habent marmoream, quibus universe, uti colligitur ex Bullâ Innocentii VIII. Data Romæ apud S. Petrum Sept. Kal. Martii. Anno V. inclusa undena corpora sanctorum Victoris, Coronæ, Philippi, Florentii, Sisinii, Diocletiani, Maximi martyris: Beneventi, Beati Ioannis Confessorum atque Pontificum, Leopardi & Vitaliani Episcoporum Auximanorum. Neque hic aliorum reliquias sanctorum desideres. Huic templo cathedrali, cujus & parietes, & concameratio, & pavimentum lapidibus quadratis candidis constant, adhæret palatium Episcopale laxitate & structuræ elegantiâ censendum, cui templum Divo Ioanni Baptistæ sacrum includitur, quod Augustinus Galaminius Brisicellanus Cardinalis tit. Aræcœli, & Episcopus Auximanus laqueari deau-

Templum Cathedrale.

Reliquiæ Sanctorum.

Palatium Episcopale.

deaurato pictisque tabulis ornato decoravit. In medio templi Baptisterium locatum ab eodem Cardinali, quod miro artificio ex ære formatum, post Lauretanum, reliqua Italiæ baptisteria antecedit. Episcopatus ipse, si annuos reditus hujus Præsidi destinatos consideres, reliquos Pontificiæ ditionis superat, exceptis tamen Bononiensi & Ravennate Archiepiscopatibus, atque Episcopatu Ferrariensi. Quondam ad hunc Episcopatum duo castella pertinuere, quæ anno 1285 Berardus Cardinalis Prænestinus, & Episcopus Auximas, Auximatibus vendidit, preciumque in emptionem prædii cujusdam, ex quo non mediocres annui reditus ad Auximatem Ecclesiam veniunt, prudenter convertit. Canonici etiam quoddam olim castellum tenuere à Lothario Episcopo ipsis anno 1294 cum aliis beneficiis concessum: quæ omnia propter bellorum varietatem, quâ Auximates exerciti, cum cæteris suburbanis ædificiis destructionem passa sunt. Episcopi electio penes Capitulum erat, quod anno 1417, à Martino V. Pontifice cum aliis antiquiorum & haud ignobilium oppidorum Capitulis, eligendi Episcopum facultate præditis, hac prærogativâ exutum est. Diœcesis Auximas ternis olim Abbatiis claruit sub his ternis patronis, S. Nicolao videlicet, S. Florentio, & S. Victore; & ex totidem ordinibus S. Benedicti, S. Silvestri, & B. Guzzolini civis Auximatis, istius nominis ordinis fundatoris. Hodieque tamen plures in eâ religiosorum ordinum conventus, templorum multitudinem, sacerdotum ingentem numerum, quibus largissimis reditibus provisum, conspicies.

Privilegia. S. Pontifices etiam nullo non tempore Auximates, ob singularem in sedem Apostolicam fidem non unis litteris Pontificiis laudatam, clementer amplexi sunt, variisque privilegiis affecerunt. Alexander IV Auximatum fidelitatem & zelum in defendendâ Romanâ Ecclesiâ in personâ Hannibaldi Marchiæ præfecti luculenter deprædicat, in litteris datis 4 Non. Sept. 1254. Pont. anno 1. hortaturque eos ad constantiam in istâ rerum perturbatione: nam exspectari à se Carolum Andegavensium Ducem cum exercitu, quem adversus Manfredum Tarenti Principem & Regem Siciliæ, quod se Neapoleos Regem diceret, Pontificiamque vexaret ditionem, missurus esset. Gregorii XI literæ datæ Avenione 8 Cal. Martii 1376. Pont. anno 6. multa de incredibili Auximatum fide loquuntur, monentque eosdem, ut parem reliquis Piceni populis, comprovincialibus suis, in Romanam Ecclesiam fidem persuadeant. Istis enim temporibus per Pontificiam regionem intestinis bellis infesta erant omnia; nam & Bononienses Apostolicum Legatum per militem suum ex urbe ejecerunt; & Florentini sese opponentes Pontifici, Auximum pro hybernaculo tenuere. Quamobrem Gregorius Pont. octingentos equites Britones suo sumptu conscriptos, contra rebelles in Italiam ire jussit; & cum, procurante Rudolpho Camerino, Maceratam quoque defecisse rescisset, ipse Avenione in Italiam profectus, secundis, & tertiis literis rogavit Auximates, ut in propugnandâ S. Sedis autoritate & ipsi constanter persisterent, & comprovinciales suos ad idem consilium sedulo exhortarentur. Eugenius IV Papa in litteris datis Romæ 8 Cal. Aprilis 1437. Pontif. anno 7. multa & gravia Auximatibus ob fidem in Ecclesiam Romanam damna accidisse, ob eamque causam castella iis omnia erepta fuisse commemorat, qualia ista fuerint iisdem literis declarans, mandansque Auximatibus veris eorundem possessoribus restitui, quod Sfortiæ Ducis jugo feliciter se liberassent. Idem Eugenius Pont. in literis datis Romæ 15 Cal. Decemb. 1443 laudat Auximates, quod postremi Sfortiæ sese tradidissent. Hac de causâ à Pontifice maxima privilegia obtinuere, postquam novem mensibus variis laboribus variâque fortunâ exerciti, belli vim sustinuissent, quemadmodum liquet ex pactis inter Sfortiam & Auximates anno 1443 initis, atque ipsiusmet Sfortiæ sigillo roboratis. Quanquam nonnulli referant scriptores, Sfortiam spatio dierum quindecim suæ potestati Marchiam subjecisse (sed à potiori parte fit denominatio) Auximumque cum quibusdam præterea civitatibus primùm sui deditionem fecisse,

se, ut patet ex litteris ejusdem Eugenii, datis Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscat. die 23 Decemb. 1443. per quas Auximates Sfortiæ jam dominatu solutos ut Sedi constanter adhæreant, nec unquam deinceps ad Sfortiæ partes revertantur, animose hortatur, promittens iis reliquisque fidelibus subditis militem auxiliarium Alphonsi Regis Arragoniæ, & Nicolai Picini militiæ Pontificiæ præfecti. Et cum Sfortia Dux fortissimus bellum in Marchiâ prosequeretur, scripsit ad eosdem Auximates Eugenius Pont. ut constantis fidei libertatisque à se renovatæ memores essent, certoque sibi, invadente Picenum Auximumque Sfortiâ, succurrendum existimarent, crederentque Castellum Ficardi Anconitanis Recitanisque venditum nequaquam fuisse, sed retentum pro Ecclesia, cum id incolis Castelli instantibus Auximates à Sede Apostolicâ petiissent. Bonifacius VIII, anno 1299, ex domesticis suis Bertucium ad Auximates mittere dignatus est, tractatum certa cum iisdem negotia, quemadmodum ejusdem Bonifacii litteræ datæ Romæ 5 Cal. Sept. Pont. anno 6. sic incipientes declarant; *Bonifacius Octavus Antianis Populis, & Communi Auximi.* Gregorius XI Pontif. non gravatus est Auximates de celeri suo Avenione in Italiam reditu rescripto Pontificio certiores facere, uti constat ex litteris datis Avenione 1377, Pont. An. 7. Etsi Platina referat, reditum Pontificis in Italiam vix ulli exploratum fuisse; cum octo mensibus post ipse Romam reversus sit. Eugenius IV Pont. Auximatibus rescribit exaudisse se Episcopi Auximani legati eorum preces, ut imposterum proscriptis relegatisque non liceat sine expresso Sedis Apostolicæ & civium Auximanorum consensu Auximi commorari ob scandala & tumultus ob eam causam exortos. Iulius II, iisdem Auximatibus datis ad eosdem litteris arma cæteraque instrumenta bellica, quæ in arce Auximanâ Eugenii IV jussu solo æquatâ asservabantur, liberaliter concessit. Pius II, anno 1459, Auximatibus tribuit, ut nemo ex oppidanis in consilium eorum cooptaretur, nisi quem idem consilium approbasset: uti manifestum est ex litteris datis Romæ 1459, eodem beneficio Auximates Paulus II, Pont. affecit, ut ejusdem litteræ datæ Romæ 1467 loquuntur. Idem privilegium Clemens VII, Pont. confirmavit, ut patet ex litteris Romæ datis 1526. Solebant quoque Romani Pontifices Auximi Episcopos à se creatos ad Auximates cum litteris suis commendatitiis mittere, quemadmodum ex Innocentii VII, Pauli III, Concilii Basileënsis sub Eugenio IV, anno Pontificatus ejus quarto, missis ad Auximates litteris discimus. Innocentius Octavus frumenti & farinæ ex quibuslibet Piceni locis coëmptionem ad modios mille remisso vectigali Pontificio Auximatibus concessit per litteras datas Romæ 6 Cal. Decembris Pontificatus anno 13. Et per alias, datas Romæ 11 Novembris 1484, iisdem Auximatibus liberum concessit farris triticei reliquarumque frugum commercium per omnem Marchiam Anconitanam cum onere tributi seu vectigalis solvendi Pontificio thesaurario: Eugenius IV, Pont. quod Auximani pro salute Sedis Apostolicæ non dubitassent sæpe periculum fortunarum & capitis negligere, quod ultimi sese Sfortiæ dedissent, ejusque præsidiarios milites Auximo ejecissent una cum ductore Ioanne Tollentinate præfecto suo, qui cum mille & ducentis equitibus urbis præsidio erat impositus; Auximanis demolitionem arcis prædictæ, & dispensationem quorumcunque redituum, vectigalium aliorumque tributorum ab oppidanis pendendorum arbitrio eorundem permisit; addita libertate commercii (ut dictum est) & confirmatione statutorum, privilegiorum, atque immunitatum ad id temporis concessarum; quemadmodum probant litteræ datæ Romæ 16 Cal. Octob. 1443, anno 13. Adhæc cum intelligerent Romani Pontifices plurimis vexari ab hostibus Auximates ob fidem in Sedem Apostolicam, iisdem adjuvandis nunquam defuere, quemadmodum non unæ Pontificum litteræ ad Auximates datæ manifesto commonstrant: Gregorius XI rescripsit Auximatibus sub dato Ananiæ. 4 Idus Iunii, Pont. anno 2, se, quod eos hosti repellendo impares

esse

esse ex litteris eorundem cognovisset, Nicolao Regni Siciliæ Cancellario, & Rudolpho Lotharingo Scutifero suo mandasse, ut adjutum Auximates cum copiis suis Auximum sine mora contenderent: Eugenius IV, literis datis Romæ 25 Martii 1446. Pont. anno 16. respondit Auximatibus hortatus eosdem ad constantiam, certamque spem succurrendum eis per Alphonsum Arragoniæ regem perque Ducem Mediolanensem contra hostes Ecclesiæ, ruinam Auximi civitatis, ejusque territorii meditantes. Huic accedit, quod ecce in Sforzeidos lib. 8. pag. 145. narratur, Eugenium IV, contra Sfortiam Auximum ac Recinetum misisse haud mediocrem equitum numerum ductore Antonio Rido Patavino, præfecto arcis S. Angeli, qui Auximatibus fidei effectrices litteras ostendit. Gregorius XI literis suis datis Ananiæ Id. Oct. Pont. an. 7. 1377. officialibus suis vetuit quidquam vasallagii sive homagii, tributi, subsidii, censusve nomine ab Auximatibus accipere; absolvens præterea eosdem ab omni onere reali, & personali S. Romanæ Ecclesiæ debito, causamque beneficii tanti litteris suis exprimens damna ab hostibus Ecclesiæ inflicta Auximatibus, sumptusque ad præstanda obsequia ab iisdem faciendos. Idem Gregor. XI Pont. quibusdam aliis à se scriptis litteris sub dato Romæ Id. Novemb. 1373. anno 3. Præfecto Marchiæ Anconitanæ mandavit, restitui à thesaurariis Auximatibus 141 florenos aureos pro commeatu partim dato, partim vendito equitibus Britonibus jussu suo Auximi hybernantibus. Calixtus III Pont. Auximatibus vectigalia minuit. *Dat. Romæ 1522. an. 1.* Adrianus VI, Franciscum Cassolarium militiæ suæ commissarium, Auximi milites in præsidiis collocare invitis oppidanis parantem, extra muros jussit commorari. *Dat. Romæ 6. Cal. Iunii 1453. an. 1.* Calixtus III, concessam à prædecessoribus suis Pontt. Auximatibus potestatem eligendi prætorem minime cupiens labefactare, præturam ab ipsis pro Guidone Vitali Camerte postulavit, solitis ad hanc dignitatem aut Cardinales, aut Pontificum nepotes tantum admittere, quemadmodum ex quadam bulla Innocentii IV, *Dat. Laterani 5. Cal. April. 1252.* qua litem inter Ariconem Caputium S. Georgii ad velum Aureum Cardinalem Diaconum, & Syndicum civitatis Auximanæ de salario ob gestam præturam Pontificio decreto decidit. Et quanquam sedente Vrbano IV, Pont. Auximates hanc facultatem eligendi Prætorem, cum reliquis privilegiis & castellis suis amiserint, quod Manfredo Siciliæ Regi Marchiam Anconitanam subjuganti modico tempore adhæsissent, in societatem armorum per ejusdem Manfredi legatos sollicitati: Non multo tamen interjecto tempore, cum ad alias partes declinassent, agnoscentes errorem Auximates, Manfredum Ducatus Spoletani & Marchiæ præfectum commissæ veniam culpæ rogaverunt: qui non modo supplicantibus ignovit, sed ipse Auximum profectus iisdem Auximatibus, aliquot castella cum villis restituit: quarum vulgaria vocabula ista sunt, *Monte Zaro, Casniolo, Monte Fano, Monte Filatrano, Cassaro, Storico, Corlengo* & *Casteldi Torrazzano*: Irritamque esse jussit factam à Manfredo tyranno castelli *dello Staffolo* dicti concessionem in favorem communitatis Æsinæ: Redintegrata quoque facultate eligendi prætorem consulemve, qua præditi erant, dum Marchia Romanæ Sedi subesset. Patet hæc ita facta fuisse ex authentico cujusdam privilegii exemplo à Manfredo legato Pontificio concessi, & ab Vrbano IV, Pont. approbati sub dato Avenione 2 Cal. Decemb. 1262. Ind. 5. Pont. Vrbani IV anno 2. Qua ratione Auximates & privilegiis nuper redditis, & dignitate Episcopali, & castellis suis exuti sint ab Ioanne XXIII, Pont. anno 1316, eo quod Andreas & Lipacius Guzzolini Auximates Bernardum Episcopum suum languore carceris necassent, constat ex litteris ejusdem Ioannis Pont. sub dato Avenione 4 Id. Iunii 1316. Quæ Auximatum calamitas tandem Vrbani V clementia extincta ob pulsos ab Auximatibus, ex urbe sua prædictos tyrannos cum asseclis eorum. Restituta tunc quoque Auximo Episcopalis dignitas fuit, quam Ioannes à se ademptam territorio sive Dioecesi imposuerat Auximanæ: quippe in catalogo Episcoporum Auximanorum à Casparo Zachio Volaterrano 1461, com-

composito, duo territorii Auximani Episcopi leguntur. Eam ob causam Ægidius Cardinalis Carillus Picenarum constitutionum compositor, in iisdem universi agri Piceni loca recensens, Auximum oppidis, non civitatibus adnumerat. Carillus autem prædictas constitutiones tempore Innocentii VI composuit, à quo anno 1353 in Italiam missus, usque ad annum 1358 ibidem commoratus est. Quo tempore pacata Italia, reductaque ad obedientiam regione Pontificia, successor Innocentii VI, Vrbanus V, Auximo titulum Episcopalem reddidit; at Gregorius XI, ob varia Auximatibus illata continuis bellis detrimenta, castellorum villarumque dominium absolutum restituit eo modo, quo singula ante dictam privationem tenuere.

Plura habet Iacobus Laurus in descriptione Auximi, ad Auximatum privilegia, beneficia & prærogativas (quæ à summis Pontificibus diversis obtinuere temporibus) spectantia: quæ quod sint quasi quædam jam dictorum à nobis repetitio, & ad Auximi cognitionem extraneis præsertim parum facere videantur, consulto omittimus, de ipsa nunc civitate verba facturi.

Itaque Auximum Republica florente Romana urbs ampla fuit Plutarcho teste in vita Pomp. Magni, ubi inquit: *Civitas quippe ampla.* Hanc amplitudinis gloriam sub Gothorum in Italia dominatu adhuc obtinuit: Vitigis enim Gothorum rex, ut Auximum, adversus Belisarium obsidionem ejusdem meditantem, sibi tanquam dominatus sui clavem, civitatemque maximam servaret, præter ordinarium præsidium equitum quaterna millia civitati imposuit; ut Procopius lib. 1 de bello Goth. commemorat. Nec Vitigis eligendo Auximum pro munimento erravit: quippe post longam obsidionem iteratasque sæpissime pugnas, ob annonæ rerumque necessariarum defectum, tandem Auximates æquis conditionibus Belisario deditionem fecere. Qui Auximo potitus, & Ravennam terrore perculsam illico cum Vitige rege, atque uxore & liberis ejus suam in potestatem redegit: quos triumphali apparatu Constantinopolim ad Iustinianum Imp. deduxit. Auximum vero sub Vitige, & Bellisario suæ dignitati servatum, tandem à Vandalis duce Athalarico eversum est. Multis præterea damnis fuere afflicti Auximates, iis temporibus quibus Romani Pontifices Avenionem Sedem Apostolicam transtulerunt. Nam Fridericus Guido, & Sperantia Comitis Vrbini filia anno 1321. Gibellinorum Picenorum, inprimisque Andreæ & Lipacii tyrannorum ope, quos non multo ante Auximates expulerant, Auximum cum Recineto, Æsi atque Apiro vi occuparunt; ut Rubeus in Historia Ravennate ad dictum 1321 annum perhibet. Verum Auximates, quemadmodum prædictos turbatores patriæ post invasionem eorum 1316, non longo tempore interjecto expulêre, solius Pontificis benefactoris sui dominatum agnoscentes; ita anno 1322, prætacti Comitis invasoris liberos urbe sua ejecerunt, ut refert Manentius in Historia Vrbevetana ad annum prædictum: ubi scribit à Guelphis Malatestarum ope Gibellinos Fano ejectos, traditamque Fanum urbem, ab iisdem Guelphis Marchioni S. R. Ecclesiæ: quo nomine summus Anconitanæ Marchiæ Præfectus eo tempore intelligebatur. Ad eundem modum Auximates, Regulis suis dejectis, ad Sedis Romanæ dominium sponte abierunt. Idem Vrbinates & Recinetani, ob bellum iis ab Francisco Sfortia illatum, sedulo peregerunt. Et licet Auximum ob Buccolinianam rebellionem privilegia sua cum castellis amiserit; Innocentius VIII, Pont. nihilominus, Buccolini domitor, re comperta extra culpam Buccolinianæ conspirationis esse Auximates, tam insignibus ob fidem eorum variis temporibus ornatos privilegiis (quæ in majorum gentium urbibus vix invenias) privare noluit. Constat etenim ex Bullario, seu Pontificiarum Bullarum compilatione, (in quo de munimentis S. Ecclesiæ, præsidiis eorundem & præsidiariorum stipendiis agitur) Buccolinum, inopinantibus Auximatibus, armatum cum suis in Curiam venisse, occisisque hic sine armis observare solitis quibusdam civibus, ad arcem exigua tum manu militum custoditam progressum, illico eandem cepisse. Sed ut ad Auximatum

matum privilegia revertar, Prætores, quos hodie Gubernatores appellant, à Sede Apoſtolica Auximatibus impoſiti antequam gubernacula Reip. capiant, coram urbis Senatu jurare tenentur fideliſſime ſe ſtatuta conſuetudineſque urbis ſervaturos; ſin ſecus fecerint, mille ſcutatorum ſeu Philippæorum pœna damnantur. Eidem Senatui urbis fas eſt precia frumento, vino, oleo, cæteræque annonæ imponere, nulla ad id confirmatione ſuperioris poteſtatis indigenti. Ius quoque habet Auximatum Senatus ſuccedendi in bonis eorum, qui eorum in territorio inteſtati & ſine heredibus excedunt; quod tamen beneficium regaliis accenſeri ſolitum ſoli Papæ, aliiſque ſuperiorem non agnoſcentibus Principibus, ſeu Rebuſpublicis ſolet reſervari. Olim mulctis integris, nunc earum gaudet medietate. Ab eodem judex *damni dati* creatur, mulctis ad Communitatis uſum redundantibus. Cæterum Auximum binis collibus inſidet omnis planitiei expertibus, cingiturque mœnibus forma antiqua. Quamobrem Beliſario & Totilæ diverſo eam tempore obſidentibus viſum, non poſſe Auximum alia ratione, quam annonæ difficultate ſubjugari: non enim tormentis bellicis quaſſari poteſt, cum montes in propinquo non habeat, ſed diſtantes procul frugiferos amœnoſque colles ampliſſima planitie ab urbe diviſos. Vnde mira vis frumenti, vini, olei cæterarumque frugum colligitur, non ad incolarum modo & vicinorum populorum commoditatem; ſed frumentum ex Auximate agro collectum nonnunquam etiam ad remotiores populos, atque adeo ad ipſos Tranſmarinos devehitur. Ad cœli qualitatem quod attinet, temperatus aër Auximum commendat, copia item carnium, volatilium, butyri, piſciumque, (nam ſenis tantum milliariis abeſt à mari) & minorum animalium jucunda frequentia. De ipſis incolis quod eſt, plures ex iis fuere, partim dignitatibus Eccleſiaſticis, partim litterarum ſtudiis, partim etiam armorum gloria illuſtres.

NARNIA.

Situs. QVa Vmbriæ regio camelini specie dorsi jugum montis attollit, ibi *Narnia* in Orientem, & Septentriones obversa difficili ab rupe fœcundam in vallem despectat. Imminet ei excelsior quadrata arx, præfecti sedes; æque celsi ex altera subterfluentis Naris ripa montes consurgunt, profunda quidem valle dirempti, sed tam angusta, ut Nar mediocris amnis perstrepens totam albentibus aquis suis occupet. Is tertio ab hinc lapide Tiberi miscetur, qui deinde Romam perlapsus Tyrrhenum sese in mare exonerat. Qui trans Narem montes spectantur, asperrimis saxis horridi, & angustis itineribus difficiles, præter veterem Abbatiam *San-Cassano* vulgo appellatam, Monachorum continent Cœnobium ab usu profanorum remotum. Porro Narniæ, qua ea Romam spectat, surgentes in acutum cacumen rupes, atque horrenda has excipientes præcipitia, viarumque pene incredibiles angustiæ, milliarium quatuor tractu continuo porrectæ, cum naturalem ab hac parte tutelam præbeant jam ab imminenti arce defensæ, merito Vmbriæ clavem Narniam adpelles. Cæterùm ea à Nare fluvio primum post missam huc adversus Vmbros à Pop. Roman. coloniam *Narniæ* nomen accepit. *Nomen.* antea *Nequinum* vocabatur, ut Livius, & Plinius scribunt; seu quod *nequam* homines incolerent, seu quod iniquus locus esset. Ita sane est, & prorsus, ut Martialis canit:

Narnia, sulphureo quam gurgite candidus amnis
Circuit ancipiti vix adeunda jugo.

Veteres Romani misso ad oppugnandam urbem ingenti exercitu, cum ob loci naturalem firmitudinem in longum tempus protraheretur obsidio, quasi in ducibus posita res esset; missi fuere Marcus Fulvius Petus, & Titus Manlius Torquatus viri consulares, & militari laude insignes. Sed & his expugnationem urbis desperantibus fuisset infecta re abeundum, ni duo Narniensibus è civibus effosso sub terra meatu in hostium castra ex alterius proxima mœnibus domo evasissent, dedissentque Romanis ducibus capiendæ urbis consilium. Itaque obside relicto altero, alter trecentis Romanis militibus stipatus, dum via subterranea, qua venerat, in urbem redit, ex portis unam vi aperit, militemque Romanum, dato signo, intromittit. Ab eo tempore Narnia (quæ tum adhuc, Livio teste, *Nequinum* fuit appellata) in Romanorum cœpit esse coloniis.

Ambitus urbis idem quod olim, etiam nunc spatium occupat; cum majorem fuisse nulla extramurana probent vestigia. *Ambitus.* Nunquam ea frequenter inculta. Cæterùm ditioni Narniensium, quam silvosi fere montes exiguo fructu occupant, plura sunt castella subjecta. Aër urbem temperatus circumstat, eo quod sit in Aquilonem obversa.

Via Flaminia, quam Flaminius Consul Romanus ab Vrbe Ariminum usque direxerat, Narniam olim mediam percurrit. Pontem Augustus Naris alveo impositum à Narniæ jugis in adversos montes produxerat. Ejus reliquiæ putantur illæ haud procul urbe exstantes vastorum arcuum & pilarum minæ. Certe Procopius constructi ab Augusto juxta Narniam pontis lib. I. rer. Goth. meminit; & fornices ejus omnium quos unquam viderit excelsissimos describit. Nunc alius depressiore situ, extante turri, & octonis arcubus conspicuus majore viantium commodo Naris utramque ripam conjungit. Plurima Narniam intra, & extra muros religiosorum insignia exornant Cœnobia Augustinianorum, Franciscanorum, Dominicanorum domus, scholæque piæ ipsa in urbe visuntur. *Cœnobia, & Templa.* Cui & Cathedrale

thedrale templum S. Iuvenali primo Narniensium Episcopo sacrum, & collegiata quædam Canonicorum Ædes maximis reditibus instructa, cum senis Deo dicatarum virginum Cœnobiis quæ insigni sunt ornamento. Extra muros Capucinorum bina, & Excalceatorum itidem bina, aliorumque Monasteria spectabis.

Viri illustres. Priscis temporibus Narniensium multi factis late famam propagarunt. Princeps eorum est Nerva ad Imperii sublime fastigium evectus; cujus & descendentes apud Romanos summa rerum potiti fuere. At majorum nostrorum memoria Gattæ Melatæ, *Gatta Melata.* Narniensi Veneti exercitus imperatori, ob res præclare gestas, statuam equestrem ex ære amplissimus Venetorum Patrum Senatus Patavii pro templo D. Antonii hoc subscripto elogio locavit:

Dux bello insignis, dux & victricibus armis
Inclytus atque animis Gatta Melata fui.
Narnia me genuit Media de gente, meoque
Imperio Venetûm sceptra superba tuli.
Munere me digno, & statua decoravit equestri,
Ordo Senatorum, nostraque pura fides.

Et Ioannem ejus nominis tertium decimum Romanæ Ecclesiæ Pontificem Narniâ genus duxisse Iacobillius in sua Vmbriæ Bibliotheca perscripsit. Prædictis accedunt Cardinales, Episcopi, Prælati, & litterarum gloria inclyti Narnienses quam plurimi. Nec minus *Familiæ illustres.* Narniam illustres familiæ nobilitant, quæ Melitensium, & S. Stephani equitum numerum sæpe auxerunt. Cæterum antiqua nobilitate florent Scortii, Cardolii, à Friderico Cæs. Narniam adducti relictique; Cardonii, Ieremiæ, Mangonii, Viperæ, Lambardii, Caldarini, Blandolisii, Herolii, Capocaccia, Mancinelli. Cæsii cives Narnienses nobilissimâ & antiquissimâ familiâ oriundi, Romanos inter Principes haud postremi, maximas possessiones, multis Marchionum, Comitum, Ducum titulis, possident. Nobilitatem plurimæ spectabiles opulentæque familiæ sequuntur.

Nosocomium. Nosocomium, quod non longius sagittæ repetita emissione suis à mœnibus Narnia habet, opere magnifico extructum, & primorum civium curæ commendatum, expositios recipit infantes, deindeque necessariis rebus omnibus instructos, suis impensis Romanam ad urbem mittit alendos educandosque. Ex hoc rivus aquarum saluberrimarum, haud parvo itinere excelsorum viscera montium scrutatus, Narniam illabitur, in pluresque fontes passim erumpit sublimibus spiraculis, balbus, & conceptaculis lapideis spectandos. Præcellit reliquos copia aquarum, qui in area Cathedralis Ecclesiæ publicam in viam porrecta, conspicitur, per canaliculos plurimorum civium domibus aquæ beneficium communicans.

Narniæ firmitas. Occupat Narnia vallis, cui natura quasi quandam navis formam impressit, extremum, Interamnâ proram faciente; cujus in occasum solis obversæ portæ ingressum in hunc amœnum recessum moderantur. Cæteros ab Ortu, Meridie, & Septentrione in hanc vallem aditus altissima montium juga silvis invia, infamiaque præcipitiis custodiunt. Ista locorum difficultate deterritus Hannibal Carthaginensium Dux (quemadmodum decadis tertiæ libro 2. Livius notavit) *Hannibali contraria.* ex Thuscia in Vmbriam cum exercitu & robore, & numero firmo descendens, ut inde Romanam ad urbem contenderet, Spoletinum primo populatus agrum; tum Spoletum urbem aggressus, cum magna suorum clade repelleretur, consilium mutavit, quod (quemadmodum Gabriel Nicolettus Interamnas non inexpertus miles, autorque historiæ, quæ supplementum belli Belgici inscribitur, commemorat) Romanum Spoleto iter adsiduis jugis, vallibusque profundis, Interamnam usque, novenorum millium passuum intervallo, impeditissimum, solumque interjacens nullis pene aquis irriguum esse siccumque didicisset. Et licet nullo is Interamnam attigisset obstaculo; duabus tamen de causis ejus eludi consilium necesse erat; primum, quod tanto exercitui alendo multis esset partibus circumjectus ager inferior,

NARNI.

ferior, tum etiam, quod exitum ex hac vallis nave perdifficilem invenisset ob excitata passim ad tutelam ejusdem firmissima munimenta; inter quæ Narnia nostra haud postremam portam habet viæ Romanæ custodem, atque ambientia Narem, Tiberimque flumina. Tot damna Hannibali si ab unica Romanorum colonia evenissent, ut justissime poterat timere; qualia, ac quanta accepturum fuisse existimas, si per regionem hanc binis oppidis, variisque defensam castellis, & Romanæ vicinam urbi aditum vi sibi aperire tentasset? Prudenter igitur ab Hannibale factum censet loco citato Livius, quod revocato cursu in Picenum, indeque in Aprutium, Capuamque Laborini nunc agri caput concesserit.

UTRIUSQUE OSTIÆ PORTUS, HORATII TIGRINI DE MARIIS, DESCRIPTIO.

A quibus conditi.

DVo Ostiæ portus, à totidem Imperatoribus conditi existimantur. Major quidem, formam habens ovatam, à Claudio; minor verò, huic contiguus & Hexagonus, à Trajano, prout ex Plutarcho in vita Cæsaris colligitur. *Nam, cum is* (inquit) *in animo gereret Romæ portum pro advenis navibus extruere, primus omnium, secando rupes, & amoliendo saxa, quæ navigationem ad litus Ostiense impediebant, rudem quandam portus formam induxit, quo navigia ex diversis mundi plagis Romam contendentia, tutò reciperentur, quæ alioquin, quod tutum receptaculum non haberent, ut plurimum periclitabantur.* Ex hoc igitur loco colligitur, à Cæsare quidem portus hos inchoatos, nunquam tamen (quod & Suetonius in vita Claudii adserit) ad exitum perductos fuisse; quod etsi sæpè conatus sit, nunquam tamen effecit, deterritus fortè non modò rei difficultate, verum etiam sumptuum magnitudine, temporisque diuturnitate: quorum quidem Claudium constat nullam habuisse rationem, quantumvis ab Architectis expensarum modum sæpè postulans, nullum unquam, Dione teste, responsum, præterquam, vix ipsis animum tantæ rei suppetere, retulerit: Idque prudenter admodum, ne impensarum magnitudine territum à proposito penitus dimoverent. Claudius igitur triginta hominum millibus, undecim continuis annis in hoc opere usus, primo minorem portum in ipso solo effodi, ea profunditate curavit, ut ipso mari profundior reperiretur, moxque duo illa majoris portus brachia, eo, quo ab invicem distant modo, in mare extendit, &, ad fundandam molem illam majoris portus, navem, qua maximus ille obeliscus ex Ægypto conductus erat, demergi, desuperque turrim, sive Laternam, ut vocant, erigi curavit, ad instar illius quæ est in Pharo, portu Alexandriæ, necnon ejus quæ est apud Ianuam. Et quanquam non desint, qui velint Claudium Imperatorem isto hominum numero, non in Ostiæ portubus extruendis, verum lacu potius Fucino, (hodie Celanum vocant) perforando ac in Tyberim deducendo, usum fuisse, illi tamen aberrant, cum, quod conatus ille statim irritus fuerit, tum etiam, quod ad illum tanta hominum frequentia opus non fuisset. Indubitatum igitur, ex sententia prædictorum auctorum, insuper Plinii, ac aliorum, relinquitur, dictum Ostiæ portum à Claudio Imperatore factum fuisse. Nec non minorem illum in terra firma, quem posteaquam cinxisset muro, in tantum excavare coactus fuit, quod ejus profunditas maris alveum superaret, ad hoc, ut aquam ex mari recipere posset; rem mehercule cogitatu, ne dicam, factu difficilem. Nec magis dubitandum, Neronem postmodum, prout egregia ejusdem numismata adhuc testantur, locum illum plurimum ornasse, ac stupenda illa ædificia à Claudio cœpta consummasse, quæ à diversis postmodum Imperatoribus aucta fuerunt, præsertim Trajano, quemadmodum Dominicus Marius Negrolus in sua Cosmographia testatur, quorum etiamnum ruinæ apparent, à Sarracenis aliisque Barbaris nationibus olim in declinatione Imperii factæ, negligentibus Romanis, ac postmodum etiam juvantibus, reliquiasque penitus evertentibus, ne dum ipsi illis frui nequirent, Cæsaribus ac hostibus illorum relinquerentur. Inter alia autem stupenda ædificia, præter tabernas, templa, ædes ac palatia plane regia, extabant tum etiam aquæductus, fontes, ac plura alia. Præterla-

Ædificia alia.


Os Tyberis
Insula
Flumicellus
TIBERIS
MARE
PORTVS
PORTVS
TRAIANI
CLAV-
DII
Os parvi portus
Canalis ... majoris portus
Via qua Romam ...
Aquaeductus
Murus Majoris portus occasum versus
TYRRHENVM.
Amplißmo Prudentißmo Domino
CORNELIO WITZEN,
VRBIS AMSTELÆDAMENSIS
CONSVLI AC SENATORI,
Nuper in supremo rei maritimæ Concilio
ibidem Delegato, Tabulam hanc D.D.
J. Blaeu.
VTRIVSQVE PORTVS
OSTIÆ
DELINEATIO.
1. Porta præcipua Romana.
2. Templum Portumni.
3. Aquæ-ductus.
4. Porta secunda.
5. Via circum interiorem murum parvi portus.
6. Murus parvi portus interior.
7. Domus in quas exponuntur merces.
8. Murus totum portum ambiens.
9. Ejus muri turriculæ.
10. Canalis ex fluvio in portum deducens.
11. Murus majoris portus orientem versus.
12. Aqua per quam navigiolis merces in forum exportabantur.
13. Palatium Regium quod a Trajano extructum putant.
14. Basis Colossi Imperatoris.

terlabitur hos portus cornu Tyberis fluvii, Flumicellus appellatus; In hoc procul dubio à Majoribus factus, ut per eum merces in portu onerari ac exonerari possent, indeque per aquam Romam deferri. Id quod in Cosmographia prædicti autoris innuitur, dum scribit, merces ab illis portubus tam aqua quam terra Romam conductas fuisse, tantamque euntium & redeuntium frequentiam extitisse, ut necessum fuerit viam illam largiorem efficere; quam silicibus deinde construxerunt, & intermediam certis quibusdam columnis diviserunt, ne ex portu redeuntes, aliis Roma venientibus, obviantes sese invicem impedirent, sed utrique diversum latus sectarentur. Id quod Leo Baptista Alberti, non solum antiquitatis, sed naturalium etiam rerum indagator solertissimus, notatum reliquit, qui in præposito Architectos admonens, ne quicquam adversante natura inciperent, exemplum Ostiensis hujus portus adducit, dicens, eum diu conservari nequivisse, ob continuum maris, eum arena implentis, impetum, ad quem quotidie expurgandum immensis sumptibus opus erat. Insula autem illa, quæ ex cornu illo Tyberis, sive Flumicello, Mari, ac ipso Tybere componitur, in latitudine paulo plus unico miliari, in longitudine vero circiter duo milliaria habet; quo vero transiri posset, antiquitus pons erat, eo loco, ubi dictus Flumicellus sese à Tybere subducit. Cornu vero illud Tyberis à Majoribus, ad exonerandum merces in & ex portu, factum, continet in latitudine ab octo usque ad decem ulnas. Tyberis vero circiter quadraginta, vicinus ad fauces, ubi Anco Martio, quarto Romanorum Rege, Ostia civitas ædificata fuit; plurimum ab antiquis æstimata, quantumvis sub insalubri aëre sita sit; adeò, ut exemptionem à publicis exactionibus meruerit, exceptis viginti annis, quibus Hannibal Italiam vastavit. Ex ruderibus etiam & ruinis apparet, eam amplam ac spatiosam fuisse, quamvis hodie reducta sit in arcem & exiguum oppidum. Quantum verò ad majorem hodie portum attinet, videmus eum indies per alluvionem ita impleri, ut verisimile sit eum brevi totum siccum fore, idque ex limo, qui per Tyberim in mare defertur, ac per illius refluxum congeritur, quæ causa est, quod ad eum expurgandum nunquam processum sit, quantumvis plurimi sæpè Principes ob publicam patriæ utilitatem id ipsum unicè desideraverint.

Flumicellus.

Ostia Civitas.

Ostiæ Portus.

Hujus autem portus stupenda & incredibilis magnificentia fuit; muris velut brachiis erat circumdatus (in quibus habitationes variæ) in arcus extructis, quo mare fluxu arenas expelleret, præter quos muri alii erant turriculis distincti, qui totum portum ambiebant. Portas habuit duas, quarum primaria Romam ducebat, larga Cannam & palmos sex cum dimidio. Templum forma rotunda, Aquæductum, portam secundam, largam cannam unam & palmos tres cum dimidio. Viam circum interiorem murum minoris portus, murum interiorem cum annulis ferreis alligandis navigiis, quanto & spatio eidem muro infixæ erant colümellæ. Porticum excipiendis minoribus navigiis cannarum XXV. Os parvi portus largum erat cannas LVIII. Canalis à fluviolo portum usque, largus cannas XVII cum dimidia, in quo duo parietes strati erant. Os parvi portus largum cannas V. Palatium erat ipso in portu Regium, à Trajano Imperatore olim extructum. Majori portui moles erat objecta, quam quo stabilius fundaret Claudius Cæsar navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, de qua navi Plinius: *Abies*, inquit, *admirationis præcipuæ visa est in navi, quæ ex Ægypto Caji Principis jussu, obeliscum in Vaticano Circo statutum,* quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit. Qua navi nihil admirabilius visum in mari, certum est. CXX. M. modium lentis pro saburra ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus latere lævo: ibi namque demersa est à Claudio principe. Arboris ejus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat. Os portus majoris orientem versus largum erat cannas quinquaginta. Os autem occidentale latitudinis ejusdem. A porta Romam versus ad molem portus majoris longitudo,

Ejus magnificentia.

Parvus portus.

tudo, cannæ mille trecentæ ſeptuaginta octo. Latitudo autem ejuſdem portus, cannæ quingentæ quinquaginta circiter. Hæc ſi deſcriptio cum priore & pictura conferatur, dilucidior erit. In hoc portu fuit ædes Portumni, qui portubus præeſt, in cujus ædificatione Portumnalia facta ſunt. Excitavit idem Princeps marmoream in mari turrim inſtar Alexandrinæ Phari, ubi nocturna lumina affixa viam nautis portum ſubituris aperirent, quæ hodie marinis fluctibus ceſſit una cum portu. Extant hodie in ambitu magnæ ruinæ civitatis Portuenſis cum templo S. Luciæ, quæ nunc eſt tertia dignitas poſt Romam. Quem locum interſecat pars quota Tyberis, & rivus ipſe vocatur Fluviolus. Hujus Civitatis nemo ex veteribus ſcriptoribus, quod ſciam, meminit, ſed Portus tantùm meminere Oſtienſis, qui poſtea, ut videtur, auctus eſt undique ædificiis, & rerum maritimarum conditoriis, quorum & hoc tempore extant veſtigia circum ſtagnum quod adhuc illic videtur.

Laurentius Schraderus hæc de Oſtia ſcribit. Oppidum ab Oſtio Tyberino appellatum ab Anco Martio, eo loco ubi Æneas primum caſtra conſtituit, conditum in ipſo maris Tyrrheni & Tyberis fluvii confinio, ut totius mundi opes illo, veluti maritimo urbis hoſpitio, reciperentur; aërem gravem habet & peſtilentem, olim maximis ædificiis ornatum, nunc in paucas & exiguas villas abiit. Turrim habet cum propugnaculo à Martino V. exſtructam, quà apud eam duobus oſtiis Tyberis in mare influit; ſed uno maximo & impetuoſiore. Ruinas & veſtigia portus celeberrimi vidimus, cujus fundamenta adhuc mari ipſo eminent. Fuit unum ex admirandis quæ unquam Romani exſtruxerunt. Fuit dirutus à Gregorio Pontif. propter metum Sarracenorum, ne eſſet ad illorum irruptiones receptaculum. Sunt propè ruinæ multorum ædificiorum, & maxime Camerarum quarundam, quæ quidem ſatis amplæ ſunt, ſed valde humiles, quarum nec formam complecti, nec numerum inire potuimus in tanta vaſtitate. In iis repoſita fuiſſe ea, quæ ex navibus exportabantur, veriſimile eſt.

INTERAMNA, vulgo TERNI.

Nominis origo, ejusque varietas.

TErni Vmbriæ oppidum Latini, Sexto Pompejo teste, Interamnam, quasi *inter duos amnes* dixêre; quòd eo positum esset olim loco, quò Nar amnis divisus à se, interjecto deinde spatio coiens insulam navali formâ, & quatuor millium passuum ambitu excitavit. Quamobrem & Nahars cognominata, idque ad differentiam duarum aliarum urbium cognominum; & regio quam Nar perfluit, Naharticæ nomen accepit. Et licet Interamna ab Attilio Pulchro de Gente Claudiâ (quæ in hac regione, testantibus monimentis nominis sui gloriam ad posteros transmisit) instauratore Attiliæ Pulchræ appellationem aliquando susceperit; nunquam tamen prima illa *Interamnæ, Teramnæ, Terapnæ*, vulgò *Terani*, & *Terni* nomina amisit. Conditum id octodecim annis ante Romam, quidam minùs rectè existimant; verosimilius est, octoginta, & duobus annis post ædificationem Romæ, ejusdem initium extitisse. Argumento est prægrandis tabulæ, longæ pedes octo, altæ tres, in vestibulo principis Ædis servatæ inscriptio:

Quo tempore conditum.

SALVTI PERPETVÆ AVGVSTÆ
LIBERTATIQVE PVBLICÆ
POPVLI ROMANI.
GERICO MVNICIPI
ANNO POST INTERAMNAM
CONDITAM D. C. IIII.
AD CN. DOMITIVM
AHENEOBARBVM . . .
. . . . CONS.
PRVDENTIÆ TI: CÆSARIS AVGVSTI NATI AD ÆTERNITATEM
ROMANI NOMINIS SVBLATO HOSTE PERNICIOSISS°. P. R.
FAVSTVS TITIVS LIBERALIS VI: IVR. AVG. ITER.
P. S. F. C.

Situs.

Porrò Ptolomæus cum Strabone *Interamnates* in *Quartâ Regione* locavit; quos prisci scriptores *Nahartes* quoque appellarunt. Testis est Plinius lib.3.cap.14. ubi Sextæ Regionis Italiæ populos recensens, *Nahartium* iis cognomen imponit: D. quoque Gregorius epistolar. lib. 12. cap. 23. Interamnæ agrum Narinæ nomine indigetat.

Cæterùm ipsum oppidum cœlo fruitur clementi, inter tenuem & crassum medio, positum in planitie frequentibus consitâ arboribus fructiferis. Id ab ortu Solis Septentrionibus, & Meridie Apennini juga theatrali formâ, pari securitate, ac pulchritudine circumstant. Hinc copia ligni, & volatilium, quadrupedumque commodo venantium incredibilis proventus. Ager Interamnas mirè fertilis earum rerum, quas victus humanus exigit, fructiferarum quoque arborum copiâ abundat; tantamque olivitatem suppeditat, ut exprimendo oleo molæ denæ intramuranæ, novem & triginta extramuranæ instructæ sint. His accedunt duodenæ frumentariæ molæ intramuranæ, vicenæ verò extramuranæ, præter complures eluendis pannis comparatas, omnes beneficio prorumpentium è terrâ limpidissimarum aquarum circumactæ. Ob istam aquarum copiam Plinius dixit ter in anno apud Interamnates fœnum è pratis secari: at nostris temporibus prata in ferti-

Fertilitas circumjacentis agri.

Aquarum copia.

fertiles campos conversa, pleraque aut consita sunt arboribus; aut distincta culturis quater in anno falcem postulant; Iulio mense tritici messis est; tum ad irrigandum emissis triduò per terram *Naris*, aliorumque fontium aquis, revocatisque; imbutæ deinde copioso humore terræ, ubi temperatam siccitatem adepta est, milium equarum pabulum Septembri mense maturum, mandatur. Quo falce sublato, per triduum rursus irrigato temperatóque solo, avenam idoneum itidem equis pabulum serunt medio Vere metendam. Avenæ messem illico excipit satio seminis cujusdam, unde herba, quæ solis æstu siccata fœni solet esse vicaria, cum Romanis graminibus de palmâ contendens. Alii post avenam canabis, aliarumque semina herbarum terræ committunt. Fertilitatem hanc agri Interamnatis Tacitus civis Interamnas lib. 1. Annal. Rom. prodidit: *Ager Interamnas feracissimus oleæ est in montanis locis & collinis; in planitie autem fœcundissimos habet campos.* Pighius vidisse se ait hîc rapas monstrosæ magnitudinis xxx. librarum amplius pondo singulas habentes. Et, præter alios, ipsius loci genius luculentius testatur. Dignitatem verè civitatis, atque antiquitatem prisci Romanarum rerum scriptores loquuntur. Lucius Florus in Bello Mariano splendidissimis Romanorum Municipiis Interamnam adnumerat: *Municipia Italiæ splendidissima sub hastâ veniêre Spoletum, Interamna, Prænestе, Florentia.* Idem lib. 27. refert, fuisse in earum civitatum numero Interamnam, quæ Romanis tributum, auxiliumque negare non dubitârunt. Quocirca Senatus Romanus ab Interamnatibus postulavit altero tanto majorem peditum numerum, quam maximum bello adversus Hannibalem tribuissent; ut idem Florus lib. 24. auctor est. Ælius Portianus hæc de Interamnâ meminit: *Centum Senatores ad eum senatus misit ad gratulandum, rogandumque qui ei occurrerent Interamnæ.* Diodorus Siculus lib. de Alexandri Magni successoribus commemorat, diruto Spoleto Interamnates mandato Senatus Romani novam coloniam ibi inædificasse. Tullius quarto ad Atticum libro: *Reatini me induxêre, ut agerem causam contra Interamnates.* Sanzovinus de celebrioribus urbibus Italiæ, in Interamnatum historiâ his sese verbis in laudem Interamnæ diffundit: E *Terni città nobilissima, e antichissima, e ricordata spesso nelle cose de' Romani dall' antichi scrittori, &c.* paulo post: *è ripiena di popolo honorato; & per natura gli huomini vi sono bellicosissimi; in tanto, che trà soldati d'Italia tengono il primo luogo.* Post hanc laudationem, familias illustres, & bellicâ virtute insignes Interamnates perstringit. Eodem fermè argumento Leo Marescallus in Chronico suo per octosticha pertexto, editoque 1572. in Interamnatum laude versatur; dum virtute eorum superioribus temporibus concussam fuisse Italiam commemorat: quorum etiam bellorum Iacobillus in suâ Bibliothecâ meminit. Catinus Interamnas prædictum chronicon typis evulgavit; in quo *Pacifici, Paradisii, Simonettæ, Thomassonii, Rossii, Giocosii, Ranierii, Riccardi, Manassei, Cittadini, Perottii*, (qui Iacobillo teste ex eadem cum *Simonettis* stirpe profecti) *Montii, Fiorii, Nicolettæ, Spadæ*, claro avitoque sanguini militaris disciplinæ scientiam addiderunt.

Interamnæ Dignitas.

Interamnates bellicosi,

Interamnates beneficio aspectus cœli staturâ plerique procerâ sunt; quod & in feminis obtinet. Quis igitur fidem Plinio neget affirmanti, Euthymenen sibi visum in Salaminæ monumentis triennali spatio ternis cubitis productum; similemque crescendi facultatem observatam à se in Cornelii Taciti Interamnatis filio? quæ res climati duntaxat, non aliis causis tribuenda videtur: ob istam ergo cœli temperiem in utroque sexu vita ad centesimum annum propagatur; quemadmodum experientiâ didicimus. Quantum vero in Interamnatibus belli studium sit, Vrbanicum nostra memoria bellum testatur; quo septuaginta litteris Pontificiis prima virorum Interamnatum ad diversa in hoc bello, præfecti cataphractorum, levis armaturæ, equitum, peditum; ejusque vicarii; signiferi, præfecti generalis vigilum, præfecti vigilum unius legionis, præfecti Interamnæ aliarumque civitatum; judicis militaris, & id genus alia munera obeunda fuêre evocati. Horum in numero *Gubernarios*, *Caporios*, aliosque, fratres binos, & ternos vidisses;

& proceri staturâ.

TERNI.

1. Sta. Maria, Domo e Vescouado e suo Campo.
2. Corpus Domini, Oratorio.
3. L'Annuntiata, Monache.
4. S. Jacomo e S. Philippo, Parocchia.
5. Sto. Angelo, e suo campo.
6. S. Salvatore Parocchia.
7. S. Gio. Euangelista, Parocchia.
8. S. Siro e Bartolomeo, Parocchia.
9. S. Egidio e dirincontro il Palazzo del Magistrato.
10. Palazzo de' Sigri. Simonetti.
11. S. Lorenzo Par. e dirincontro abitatione del Sigre. Giul. Castelli.
12. S. Tomaso, Parocchia.
13. S. Andrea Apto, Parocchia.
14. S. Nicolao frà le porte Parocchia.
15. S. Cleto et Ospidale de Pellegrini.
16. S. Gioseppe delle Monache Scalse
17. S. Christofano, Parocchia.
18. S. Catarina, Monast. del Mon. S. Francesco.
19. S. Nicolao in viis divisis, Parocchia.
20. S. Marco e Cassiano, Parocchia.
21. S. Francesco, convento de' frati minori.
22. Oratorio della Comp. della Croce.
23. S. Alo, Par. commenda de' Cav. de Malta.
24. S. Antonio, de' Confrati de' disciplinati.
25. S. Croce, Parocchia.
26. S. Gio. Decoll, de Confr. della Misericordia.
27. S. Agata. 28. S. Sebastiano de Confr.
29. S. Lucia. 30. Compag. del Suffragio.
31. Collegio de' Padri Giesuiti.
32. S. Nicandro, Monast. de Monache Agostin.
33. Madona del Carmine. [nella Città
34. Madona del Cassaro, e Porta che entra
35. Porta Romana.
36. Porta de 3. Monumati alias Spoletina.
37. S. Girolamo de' Confr. 38. Castello.
39. Camporeale della famiglia Camporeale.
40. Palazzo de Sigri. Gubernarii.
41. S. Pietro, Parocchia e conv. di S. Agostin
42. Palazza del Govern. apost. e Piazza Magg.
43. Mercato. 44. Fondachi.
45. Palazzo de rimanda.
46. Pal. de' Sigri. Rosci.
47. Pal. del Sigre. Carolo Spada.
48. Pal. de' Sigri. Giocosi.
49. Piazza Giudea. 50. la piazzetta.
51. Forte per difesa della Citta.
52. Giardino de' Rosati.
53. Giardino Episcopale serrato dalle mura del antico Teatro.
54. Palazzo et giardino de' Sigri. Ciancarotti.
55. Palazzo del Sigre. Canale.
56. Palazzo de Sigri. Spada.
57. Pal. del Sigre. Cap. Nicoletti.
58. Sacro monte della pieta.
59. S. Chiara con il giardino.
60. Torre, ove era la casa di S. Agapis.
61. Due capi d acqua.
62. Ponte del Sesto. 63. Torre antica.
64. Ospidale de Pellegrini ben'nati.
65. Porta di S. Giouanni.
66. Pal. del Sigre. Conte Spada.
67. Pal. de'i Sigri. Manassei.
68. La Conciaria, o Vaccinari.
69. Oratorio de' confrati di S. Giuseppe.
70. S. Onofrio con piazza e giardino.
71. Loco dove era un amfiteatro.
72. Pal. e giardino de Sigri. Provantini.
73. Pal. de Sigri. Fadulfi.
74. Porta di S. Angelo.
75. Pal. del Sigr. Vitelli.
76. S. Procolo monache Francescane.
77. Pal. del conte Spada.
78. Cappucini S. Martino.
79. Ciuita Nouina possessione Nobiliss.m del Sigr. Dottore Gasparo Cittadini.
80. Mada. del Ponte. 81. S. Valentio P. Scalzi.
82. Perticaro. 83. Terra di Aroncona.
84. S. M. delle Gratie, Zoccolanti.
85. Giardino de Sigri. Manassei.
86. Podere, Casino e Giardino de Sigri. Rustici.
87. Collobito dei Sigri. Piretti. 88. Colle di Valenza.
89. Velino fiume. 90. Cascata delle marmore.
91. Capella. 92. C. Papignio. 93. S. M. Madalena.
94. S. Paolo. 95. Rocca di Valle.
96. Romita de Cappucini. 97. S. Agnese.
98. S. Gio. 99. Mole. 100. S. Zenone.
101. Castello della Rocca di S. Zenone.
102. Villa di Collelicino de' Sri. Simonetti.
103. Nell' Umbria. 104. Rocca Sto. Angelo.
105. Nell' Umbria. 106. Miranda Castello.
107. Madonna della Misericordia.

disses; &, raro belli exemplo, septem *Simonettas* fratres militari omnes cingulo decoratos; qui partim conclusis ædibus, partim relicto solùm domi sexu fœmineo, certatim ad hoc bellum conficiendum profecti sunt.

Priscis temporibus aucta mirum in modum Interamna, & plena, fines insulæ suæ versùs Sabinos egressi Interamnates, coloniam isthîc condidêre, Plinio teste, qui lib. 3. cap. 12. Interamnam Sabina in regione his verbis locat: *Interamnates*, *Nartini*, & *Reatini*: eosque Sabinorum agrum ad Velinum, & Narem amneis usque tenuisse, recenset. Idem auctor est, lib. 3. cap. 14; Interamnam Vmbriæ oppidum esse: *Inter Vmbros Interamnates*, *cognomine Nahartes*. Proinde conclude, Sabinæ oppidum Interamnam non fuisse; nam quæ trans Narem regio erat, Sabina erat; quæ vero cis amnem, Vmbria dicebatur: *Nahartis* vero appellationem Interamna accepit, quod *Narinæ* caput esset regionis.

Interamna olim splendidior ampliorque, quam nunc.

Fuit & olim Interamna ædificiorum splendore intra, & extra muros spectabilis. Indicio sit ædium extramuranarum hodierna frequentia, ex quibus conjunctis bina opida mediocria statuenda sint. Eandem prisco ævo fuisse, obvia passim rudera, & parietinæ subterraneæ sunt argumento. Paschalis II. Pontifex datis in Laterano anno 1099. ad Interamnates litteris, urbem *Nobilem*, *Insignem*, atque *Illustrem* appellat. Itaque ejusdem temporibus splendidissimis ædificiis ornatam adhuc Interamnam fuisse quis neget? Contractæ porro Interamnæ Totilæ regis, & aliorum, causam dedit direptio; ducenti vero, & viceni anni sunt, quum muri civitatis, qua Aquilonem ipsa spectat, adhuc integri stetêre, ut ex statuto civitatis apparet; quo muros hosce vetustate collapsos, aut informes reficiendos ære publico; qui vero Vicinorum causa constructi, illorum pecunia reparandos, decretum est. Nunc hi, & isti sublati funditus, vix vestigium sui reliquerunt; cum tanto antea essent ambitu, ut duas commode inclusisses Interamnas. Igitur veterem Interamnam junctam civitati coloniæ Sabinos spectanti magnam urbem effecisse necesse est. Deus bone! quot adhuc ædificia in ista colonia seu Sabina Interamnæ parte sub terra fodiendo reperias musivo tota opere, ne pavimento quidem excepto, aliisque operibus miranda.

Monumenta antiqua adhuc extantia.

In ipsa urbe plurimis in locis veterum pavimenta palatiorum, vias antiquas, fontes, balneæ, aliaque senis, octonisve sub terra pedibus conspicias; nam viam antiquam Gregoriorum ædes, & Bartholomæi Castellii Doctoris domus subindicant; & pavimentum antiqui conclavis pretioso marmore constratum, dum fundamenta frontis ædium Provantinarum effoderentur, inventum est: nec non pavimenta bina musivo opere conspecta: Venturinis in ædibus, in ipsa cella; in Riccianis vero, sub alâ ædium novâ, utroque in loco conclavis pavimentum cernas è lapide jaspidem referente compositum: In domo Antonii Manassæi vetus lavacrum visitur; domi vero Ioannis Baptistæ Manassæi statua Cornelii Taciti ante octoginta annos reperta ab eodem servatur. In Ioannis Baptistæ Simonetæ ædium extremarum fundamentis arcuatus ductus, *Galsii* nomine inscriptus, ejus magnitudinis effossus est, ut lapide suo Tiburtino extremis ædium utrobique muniendis pænè suffecerit. In ædibus Manassæorum, Perottiorum, Ciamburlanorum, Venturinorum, & aliorum inventa fuêre vestigia palatii Claudii Taciti, & Annii Floriani Imperatorum. In eadem urbis parte arcus triumphales tres non dissimilis structuræ videas è prægrandibus Lapidibus Tiburtinis compositos medios exstantes & medios humo obrutos. Reliqua vetustatis monumenta consultò prætereo.

Princeps nunc urbis area seu campus Forum olim habebat, dicebaturque *Platea* columnarum à multitudine earum fori porticum sustinentium; quas deinde laxati campi ratio sustulit, relictâ in medio columnâ unicâ in Columnensis gentis Interamnatum perpetuæ protectricis honorem; quemadmodum ex veteribus monumentis litterarum, atque adeo ex ipsa columna coronæ imminente & variarum qualitatum lapide constante discimus.

In

In cœnobio S. Elisabethæ Tertiariarum S. Francisci dicato reliquiæ thermarum cum adjuncto fonte, nunc ipsius cœnobii conditorio seu cella visuntur: In S. Nicolai Æde varii lapides parietibus inserti, inscripti concavique prædicti quondam ejusdem fontis ornamenta servantur. Reliquos inscriptionibus, & vetustate censendos majores, minoresque lapides Angelonii Interamnatis historia contentos nec numero, nec jacto; cum quotidie ferè alii atque alii inveniantur. Exemplo sint ædes Mazzitellorum ad S. Agatham, & Simonettarum ad S. Ægidium; in quibus postremis Hector Simonetta, septem Simonettarum fratrum avus, effossis pone *trium monumentorum* portam, *Spoletinam* deinde appellatam, suo in solo dictorum Cæsarum sepulcris repertos complures lapides inscriptos, & rerum imaginibus incisos antiquitatis cultor reposuit. Eodem in loco magnum numismatum numerum Philippæi magnitudinem æquantium, minorumque, Corinthio ex ære, Cæsareos vultus, Clodii, & aliorum exhibentium adinvenit. uti Angelonius refert in sua historia Augusta, horum numismatum imaginibus illustri, idemque in historia Interamnate commemorat.

Prædictos vero Imperatores cum Cornelio Tacito patruo, aliosque claros viros patria Interamnates fuisse, præter cenotaphia, & palatii Cæsarei reliquias, Fl. Vopiscus nos docet; Silius Italicus Interamnatibus M. Attilium Regulum bello adversus Carthaginenses ducem accenset. Is eodem hoc bello à Pœnis captus, missusque deinde postulatum eorum nomine à Romanis pacem, cum hanc è re publica non esse putaret, prosequendum bellum suasit; & neglecto capitis periculo, ad Pœnos promissi memor reversus, ardente pice sublatus est.

Interamna summorum virorum feminarium.

Neque solum remotissimi ævi temporibus, sed etiam posterioribus sæculis quasi quædam Heroum continuata successio Interamnam illustravit. quis enim Alarico, Totila, Theodorico aliisque barbaris regibus Italiæ regionem invadentibus otiosos Interamnates domi consedisse existimet? quos bello adversus Christianum, Moguntinensem Archiepiscopum, & Barbarossani exercitus Imperatorem tricenis millibus armatum, tam gloriosè pro aris, & focis sciat pugnasse. Illati Interamnatibus belli causa fuit Cardinalis Octaviani à Monte Cælio, & fratrum ejus ejectio; quorum vicem Fridericus Imperator ulciscens, datis Mediolani literis eosdem oppidi dominos creavit, extincta post urbem direptam Interamnatum, qua semper usi fuerant, libertate. Nam ex Benedicti III literis Pontificiis in secretiore Interamnatum archivo conservatis constat, perpetuæ jus Reipublicæ apud Interamnates fuisse.

Eandem deinde Conradus Dux Spoleti, jure, quod Alerutiam conjugem suam habere putabat, violenter occupavit; & constantis diffidentia dominationis inciso anno 1189, lapidi in fronte principis Ædis conspicuo, edicto Castelliam gentem exulem relegatamque esse, & haberi jussit, facultatesque fisco inferri. Tandem renuntiato omni jure Innocentio III. Pont. Interamnam restituit. Cæterum Interamna anno 1408, à Ladislao Neapoleos rege capta, eo vita functo, Ioanne tertio & vicesimo procurante ad Pontificiam ditionem rediit.

Interamna variorum dominatui subjecta, nunc Romano paret Pontifici.

Ex eo tempore Pontificiæ ditionis membrum adsiduum Interamna fuit; cui gubernandæ recepta apud Interamnates Prætoria potestate, legatos suos summi Pontifices præficiunt. Prætoribus hisce sedes in Palatio Apostolico constituta est, quod Campo, & foro rerum venalium interjacet.

Nec minus togata, quam sagata Pallas Interamnatibus colitur; testes sunt *Brunorus Sciamana*, utriusque signaturæ apud Romanos Referendarius, & multarum Pontificiæ ditionis urbium præfectus; *Anastasius Castellius* à Paschale II. in purpuratorum Patrum Senatum cooptatus; *Theodorus Lælius* Archiepiscopus Tervisianus, à Paulo II Cardinalis dictus, qui ob improvisum è vivis excessum accepti Cardinalitii pilei honore caruit; *Paulus Castellius* magni nominis præsul, Rudolphi Primi ex Austriaca gente Cæsaris Legatus; *Ioannes Mazzancollius* sub Eugenio IV. Pontifice S. Cameræ Auditor; *Monaldus Paradisius* insulæ Corsicæ nomine Romanæ Eccle-

Interamnates virtute, ac doctrinâ illustres.

siæ vicarius generalis; *Christinus Campo-regalis* ab Eugenio IV. Papa Arcis Iohanninæ Comes creatus; *Angelus Spada* Iulio III. Pontifici à secretioribus consiliis, Comitis titulum obtinuit; *Horatius Nucula* Aphrodiensis belli scriptor eximius; *Philippi Setacii* Aldus Manutius in Orthographia sua honorificè meminit; Latinarum Litterarum scientia clari sunt *Cæsar Spada*, & *Galeatius Gilius*; *Hercules Barbarasa* Platonis Convivium è Græco in Latium idioma transfudit; Marlianum quoque res tractantem Romanas Italicè reddidit; *Iacobonius* verò plurima opera Latinè, eleganterque composuit.

Interamnæ hodiernæ descriptio.

Nunc quæ *modernæ* sit facies *Interamnæ*, paucis edisseram. Quinis ipsa portis conclusa domorum circiter bina millia, incolentium dena complectitur, in longitudinem magis, quam in latitudinem porrecta. Aquis passim irrigua est, quæ limpidissimæ in domibus singulorum copiosè erumpunt. Viæ ejus, quod cocto sint latere constratæ, munditiem ferè retinent, licet à viantibus adsiduè terantur; ut via princeps Calletia cognominata, quæ ad integrum milliare procurrit.

Ædificia sacra.

Templa in urbe frequentia sunt; parœciæ quatuordecim; cœnobia virginum quinque; collegia religiosorum intra, & extra muros octo; In Valentiniana Æde Valentini Martyris, & Episcopi Interamnatum ossa quiescunt; cujus honori augustam in eo Cellam Leopoldus Austriacus condidit. Ædes hæc celebris olim per Orbem Christianum fuit, quòd fama esset, in circumstante colle *quina millia Martyrum* fuisse sepulta. Cujus rei veritatem multa deinde signa comprobarunt. Hunc collem Zacharias Pont. & Luithprandus Longobardorum rex incoluêre; Desiderius rex item eo tempore hîc sedem habuit, quo Andreas Castellius, Constantius Albanus, & Theodericus Tiburtinus Adriani Primi Pont. nomine eum ad obedientiam S. Sedi Romanæ præstandam hortati sunt. Nosocomia exteris incolisque recipiendis cum sæcularium collegiis seu confraternitatibus plura apud Interamnates sunt. Confraternitas illa quæ S. Ioannem decollatum patronum veneratur, præclara charitatis Christianæ opera exercet, jusque illi est restituendi quotannis libertati ex relegatis capitis supplicio obnoxium: Confraternitas Mariæ Forensis, vulgò *della Madonna di piazza* ex pauperibus puellis nubiles dote afficit: at Pietatis Mons egentibus pecuniam remissa usura dat mutuo. Domum hanc ex Castellia gente inclytam mulier ad sublevandam oppidanorum indigentiam pio affectu concessit. Porrò civitas senas in regiones secatur; inter quas Castelli regio eminet, quæ, quod editiorem civitatis locum occuparet, Capitolii majestate fuit olim conspicua, & recentiore ævo Palatium vetus habuit à Ramonis nepotibus exstructum, turribus, solariis, porticibusque decorum. Id Andreas Castellius Præsul anno 1300 suis in bonis numeravit; at nunc solo æquatum cum sit, fundus in Castelliæ gentis ditione tantum permansit. Adsitum urbi cœnobium primitus abbatiæ titulo superbum ad Benedictinos monachos spectavit; post S. Claræ filiabus concessum, nunc in reditus Episcopales conversum est. Prima Interamnatum insignia fuêre bini in campo cæruleo tractus aquarum Naris bifurcati amnis exhibentes imaginem, quod urbs diviso à se amni interjaceret. At postea sub conversionis ad Christi fidem initium (quod immortale beneficium S. Peregrino Martyri, & primo hujus loci Episcopo anno Christi 130 acceptum referunt) insignia sibi statuêre angelum Ecclesiæ custodem; cujus deinde dexteram ob Erici Comitis, & Oddonis Castellii, insignium heroum in terram Sanctam expeditionem, cruce rubra armarunt. Crucem rubram Guelphica quoque per Italiam factio ad Gibellinæ differentiam, cui aquila nigra Othonis IV. Imp. beneficio fuit concessa, usurpavit. Ad Interamnatum territorium castella quondam multa pertinuêre; ex quibus pauca ruinæ proxima, & vetustate informia supersunt. Quæ sit agri Interamnatis ubertas, quot diebus Sabbatinis venum expositæ in foro res ad victum usumque humanum necessariæ demonstrant. Quippe mala hîc Persica invenias vicenarum pondere unciarum, pepones probissimos, turtures exquisitos,

Rerum ad victum necessariarum copia.

tos, & columbas domesticas supra modum delicati saporis.

Nundinæ. Februario mense *Nundinarum Liberarum* initium est; quo tempore certa limitatione causarum ex oppidanis *supraſtantes* electi civitatem gubernant. Ea potestas Septembri mense *S. Matthæi Nundinis* in S. Luciæ confratres transfertur. Diurnales nundinas minus celebres studio brevitatis omitto.

Haud procul ab Vrbe Velini conspicienda est Cataracta, ubi se immani fragore in Neram præcipitat; incolæ *la Caduta delle Marmora* vocant: ea vero, ex altitudine in Neram præceps fertur, quam oculis conspicere difficile est; hic perpetuam videas pluviam, ex repercussione aquarum cadentium provenientem, arcum cælestem sive iridem ex radiis solaribus & guttis cadentibus confectam, ut Plinius testatur lib. 2. cap. 26. *in lacu Velino nulla non die apparet arcus.* Strabo & idem Plinius locum hunc Vmbilicum Italiæ appellaverunt, ut & Virgilius lib. 7. Æneid. *est locus Italiæ in medio sub montibus altis, Nobilis & fama multis,* &c. Septem ex ostiis olim in Neram sese præcipitabant dictæ aquæ; quæ Romani in tria restrinxerunt, Clemens VIII. P.M. in unum tantum.

AVE-

AVENIO.

AD utramque Rodani ripam, insigne totius Galliæ flumen, in Provincia sita, summæ antiquitatis laudem eò meretur, quod priscis apud Romanos temporibus magnæ celebritatis dignitatisque fuerit. A quo vero sit prima fundatione constructa, difficulter ex historiarum monumentis erui potest. Sunt, qui nullis historiis certis, sed vacillantibus conjecturis adserant, primum eam hoc loci, sortitionibus, ex avium volatu observatis, ædificatam; utque perpetua tam magnificæ fundationis retineretur memoria, usitatis priscorum consuetudinibus observatum, ut, quicunque ejus generis avem, aut vivam, aut mortuam exhiberet, à vectigalium, & telonii solutione liber atque immunis judicaretur. Ptolomæus, Strabo, Pomponius Mela, aliique authores eam eodem quo Massilia conditam volunt tempore, 147 scilicet ab V. C. annis. Semper ardentissime partes Romanorum amplexa est, quamobrem à Plinio Vrbs Latina dici meruit, & Theodoricus Gothorum Rex ejus incolas Cives Romanos vocavit. Vrbs hæc latè patenti Romanorum imperio paruit, ad Gothorum usque irruptionem; quibus à Burgundionibus deinde pulsis, ad horum gubernationem Reipubl. cursus instituitur, à quorum se tandem subduxit dominio, quando Budonis filii Arelatensium Regis titulum usurpantes, huic etiam urbi præfuerunt. Cæterum Ottho Imperator, hoc sibi vendicans regnum, Avenionem etiam suæ jurisdictionis effecit. Deinde ad Provinciæ Comites urbs ipsa pervenit. Tum Carolus Franciæ Rex, Provinciæ hæredem ducens uxorem, factus est Siciliæ, atque Neapolis Rex, successores etiam Provinciæ Comites habuit, & Ioanna succedens, Roberto Regi Neapolitano fratri bellum movens, cum Rege Hungariæ cognato, Clementem Pontificem, ejus nominis Sextum, suarum partium fecit: Vrbem hanc Avenionensem Pontifici vendidit, ejus enim patrimonium habebatur. Persolvitur pretium feudi permutatione; tantundem enim, & eo amplius ob regnum Neapolitanum Ecclesiæ Romanæ debebat. Hanc Civitatem olim septenarius numerus, hoc est, omnium perfectissimus, laudabilem reddidit. Septies etenim in ea, & hæc quidem inter se septenario numero repetita, præcipua ornamenta videntur. Septem nimirum palatia, totidem parochiæ, Xenodochia, Monasteria virginum, Collegia, Conventus, Portæ, & Septem Pontifices eam præsentia sua & Sede Apostolica honoraverunt. Primi ejus urbis conditores, ad optimum urbis statum respexisse videntur, qui tanto studio, septenarium in ea numerum observarunt. Cathedralis in hac urbe Ecclesia D. Virgini sacra rupi superimposita (Archiepiscopatu siquidem inclarescit) fundationibus dotata amplissimis conspicitur, in qua etiamnum ea ipsa sine hæresum superstitione viget religio, quam B. Rufus martyrio clarus, primum introduxit, quem D. Paulus, cujus fuit discipulus, eo destinavit, ut euangelicam ibi operam navaret. Quod ea felicitate præstitit, ut non meminerim me unquam legisse, hunc Galliæ tractum, cujus hæc urbs primarium constituitur caput, à fide & religione Christiana unquam desciviße. Canonici hujus Cathedralis officio divino operam dantes ajunt Cardinalium vestiri more. In Ecclesia sumtuosissima D. Martialis omnium Abbatum Clugniacensium videre est imagines, inter quos conspicitur Casimirus Poloniæ Rex certis conditionibus, Polonis id ardentissime efflagitantibus, voto absolutus, Regnoque à Pontifice Rom. restitutus. Ecclesiam Franciscanorum magis conspicuam Lauræ à Petrarcha adamatæ sepulchrum reddit, quam Virorum Principum ossa ibidem condita. Franciscus I. Galliæ Rex cum Avenionem transiens Massiliam peteret, curiositate

Domini.

ſitate, adeo decantatam formam videndi tactus, ſepulcrum aperiri juſſit, ſed eheu, cineres & oſſa miſerabiles formæ venuſtiſſimæ reliquias, capſulam plumbeam, nummumque ex eodem metallo Lauræ referentem imaginem, & ab altera parte hiſce litteris M. L. M. I. ſignatam invenit, quas hoc modo interpretari ſolent: *Madonna Laura morta jace.* Quod eam fato jam functam ſignificat. Rex vero memoriam puellæ celebratiſſimæ ſepulchro eminentiori, & epitaphio à ſe confecto honoravit. In Cæleſtinorum Templo Petri Luxemburgici venerandum eſt ſepulchrum, ubi corpus ejus jam tot annos poſt mortem integrum & incorruptum, & miraculis quotidianis inclytum aſſervatur. Tria in hac Vrbe viſuntur Palatia, quæ Caſtra potius referre videntur. Eorum maxime capax Pontificum Maximorum olim, cum Româ huc S. Sedes eſſet tranſlata, inſerviebat habitationi, nunc Legatis & Vice-legatis nomine Papæ hic reſidentibus præbet domicilium. Huic proxime adjacet Palatium vetuſtate conſpicuum, ubi campanam ex argento fuſam, non niſi in Pontificum Max. funere vel promotione ſonari ſolitam, eſſe perhibent. Archiepiſcopi Palatium excelſæ ſuperimpoſitum eſt rupi, turribus probe munitum, in cujus Sacello, utpote loco totius urbis importantiori, noctu diuque vigilant excubiæ; Portæ, mœnia, Palatia majus, & minus cohortium Italicarum cuſtodia muniuntur.

Porro, urbs hæc Avinionenſis magnificis ſummorum hominum, & Cardinalium decoratur palatiis, Carthuſianorum etiam cœnobio, quod reliqua univerſæ Franciæ omnia celebritate præcellit. Sedem hæc urbs Maximo Eccleſiæ Romanæ Pontifici annis ſeptuaginta præbuit, quæ cum pro veteri à D. Petro recepta conſuetudine Romam iterum eſſet tranſlata, perpetuus ab eo tempore huic loco Legatus S. R. E. Cardinalis præficitur; ipſam Pontificis auctoritatem repræſentans. Ejus eſt penes Cardinalium conſiſtorium collocatio, ad quam præcipuæ dignitatis virum, qui reliquis auctoritate, experientia, doctrina & pietate prælucet, evehere ſolent. Ampliſſimæ huic functioni jam hoc tempore ſumma cum laude præeſt Eminentiſſimus Princeps Flavius S. R. E. Cardinalis Chiſius, Alexandri VII. P. Opt. Maximi digniſſimus è fratre nepos, præſtantiſſimarum virtutum nitore politus. Illo vero ob ardua Eccleſiæ Romanæ negotia Romæ, ad onus Sanctiſſimi Patrui ſublevandum, commorante, Vice-legati munere fungitur Prælatus generis, doctrinæ, & pietatis laude præſtans. Æqualis autem retinetur auctoritas, tam eorum, qui Pontificis, quam eorum, qui Reipubl. nomine præſunt, etſi juriſdictio habeatur diverſa. nam in congreſſibus publicis par præfectorum dignitas, æqualis vexillorum obſervatur ordo. Ita, ut eundem dignitatis gradum urbis præfecti obtineant, quo multorum annorum intervallo ſub Comitibus ſemper ſunt uſi. Politiæ adminiſtratio eſt penes Conſules tres, & Aſſeſſorem Doctoratus Laureâ decoratum, Senatus autem conſtat è Nobilibus, Doctoribus, Civibus, & mercatoribus, univerſis numerum 48 conſtituentibus; media verò Senatus pars ſingulis ſemeſtribus mutari ſolet. Primus Conſulum nobili genere natus, & ex hac Civitate oriundus conſtitui debet. Secundus Nobilis quidem, ſed utrum hic vel alibi ſit natus, nihil refert. Tertius conſtituitur è Mercatorum ſeu Notariorum numero. Septem à Senatu creantur Capitanei, qui urbis cuſtodiæ, & rebus bellicis invigilent. Duo ſunt annonæ Præfecti; totidemque viis publicis Præpoſiti. Pontifice Maximo fatis functo unus è Nobilium, alter è Doctorum numero Romam publico nomine mittuntur, qui novo Papæ obſequia & hommagia præſtent, & confirmationem pacti cum Civitate initi, ut & ſtatutorum & privilegiorum ab eodem impetrent. Prætor (quem vulgo *le Viguier* vocant) & bini Iudices S. Petri dicti, quotannis à Vice-legato electi, à Senatu approbati, juſtitiam civibus adminiſtrant; Iudices coram Prætore ſeſe privilegia & ſtatuta Civitatis obſervaturos juramento obſtringunt, & deinde ſoli rerum Civilium judices æſtimantur competentes; ab eorum vero Sententiis ad Vice-legatum, Rotam vel etiam Prætorem ap-

AVENIO Vulgo AVIGNON
SORGUE RIVIERE.
VNGVIBVS ET ROSTRO.
RHODANUS FLU.
Porte S. Lasare.
Porte Limbert.
Porte S. Michel.
Canne
Explication des Nombres.
1. Maison de Ville.
2. La Place.
3. Le Grand Palais.
4. S. Agricol.
5. M. S. Laurens.
6. Madalena.
7. Petit Palais.
8. Nostre Dame.
9. S. Anna.
10. Les Carmes.
11. Les Augustins.
12. S. Sifforia.
13. S. Pierre.
14. S. Ian le Vies.
15. Place pie.
16. Cemitiere des Iuifs dit la pignotte.
17. La belle Croix.
18. Le Grand Hospital S. Bernard.
19. Les Augustins reformés.
20. Quartier des soldats.
21. S. François.
22. M. S. Claire.
23. Nostre Dame principal.
24. S. Germis.
25. La Place S. Dedier.
26. M. des Orphelines.
27. M. S. George.
28. La Change.
29. S. Antoine.
30. Disdier.
31. College des Iesuites.
32. S. Marcial.
33. Le Noviciat des Iesuites.
34. Grand College.
35. College du Roure.
36. Les Carmelites.
37. Les Precheurs.
38. Les Observants.
39. Les Minimes.
40. Les Cappucins.
41. Le limas.
42. La Grand Fusterie.
43. Les Grottes.
44. La Petite Fusterie.
45. La Reille.
46. Le Puis de Beufs.
47. La Pent. de Misericorde. Banasterie.
48. Enfermieres.
49. La Corraterie des Chevaux.
50. Carreterie.
51. Larue de S. Bernard.
52. La Sorgue.
53. Carmes reformés.
54. Le Petit Paradis.
55. Lices.
56. Le Corsant.

pellari solet, secundum litigantium beneplacitum.

Prætor est judex omni exceptione major in iis causis quæ valorem quatuor aureorum haud excedunt. Causæ Criminales ad Auditorem ceu Iudices per præventionem pertinent. Si vero de pœna civis corpori infligenda res agatur, ad Vice-legatum à sententia judicum datur appellatio. Auditor de personarum privilegiatarum, exterorumque cognoscit causis, ut & eas quæ ad status sive R. Cameræ Apostolicæ pertinent interesse, & ab eo ad Vice-legatum datur appellatio, qui dein Rotæ (quæ quinque constat Auditoribus, delegatam non ordinariam Iurisdictionem habentibus, & à quibus Romam est appellatio) causam committit. Causæ criminales sola authoritate Vice-legati terminantur. Auditor finito administrationis tempore, constringitur Avenione haud excedere, donec de bona ejus administratione post exactam inquisitionem sententia lata constet. Rev^mi^ Vicesgerentis tribunal quoque est, & jurisdictio specialis, in Monachos Religiosos utriusque sexus, studiosos & Doctores; à quo ad Vicelegatum appellatur, qui causas Auditori suo committere solet. Archiepiscopus Vicarium in Causis Spiritualibus Advocatum Fisci aliosque ministros suos habet. Præter jam dicta, est & Tribunal Inquisitionis cæteris supereminens & omni exceptione majus; is cui Inquisitionis demandata est cura, ordinis est D. Dominici, à Pontifice autem Maximo & Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium congregatione, quæ de sancto Officio dicitur, constituitur, ut solus, exclusis quibuscunque, de causis fidem & religionem concernentibus cognoscat.

Vrbis gubernationi Vice-legatus à Legato Avenionensi à Pont. Max. constituto præficitur, Bullis Pontificiis, & Legati honoratur, quæ in sacello principe majoris Palatii præsentibus Consulibus & Comitatus Deputatis post adventum ejus publicantur. Potestas ejus cujuscunque generis complectitur negotia, estque ut Principis supremi in Temporali & Spirituali tam in Civitate, quam in Comitatu. Bullas ejus Parlamentum Provinciæ & Delphinatus verificat, Tholosæ vero non nisi bullas Legatorum nationis Gallicæ. Vice-legatum ejus Auditor, & Datarius, qui libellorum supplicum gerit curam, comitantur.

Est autem hæc præcipua & prima Legationum, non nisi Cardinalibus Papæ consanguineis, cum titulo Legati à latere mandari solita. Legati autem semper fuere Viri natalium splendore illustres, inter eos fuere; Franciscus de Conzié, qui Gubernatoris, Rectoris, & Vicarii Civitatis Avenionensis & Comitatus sibi assumebat titulum sub Pontificatu Martini V. Eum subsecutus est Alphonsus Carriglius: dein Petrus de Foix: Carolus Cardinalis & Dux Borbonius: Iulianus de la Ruvere: Georgius d'Amboise Cardinalis Rothomagensis nuncupatus: Robertus Guibé Cardinalis Nannetensis dictus: Franciscus Guilielmus de Clermont, Cardinalis & Archiepiscopus Narbonensis: Alexander Farnesius Card: Carolus Borbonius Card. Archiepiscopus Rothomagensis: Octavius Aquaviva de Aragonia Card. & Archiepiscopus Neapolitanus: Cynthius Aldobrandinus Card: Scipio Burghesius Card. Papæ Pauli V. nepos: Ludovicus Ludovisius Gregorii XV. nepos: Franciscus Barberinus, Caroli Aretii Ducis, & Constantiæ Magalottæ filius, Vrbani VIII nepos: Antonius Barberinus prædicti frater Card: Camillus Pamphilius, Pamphilii Pamphilii & Olympiæ Maidalchinæ filius, Innocentii X nepos, declaratus Legatus Avenionensis anno 1644: Camillus Astaldius Cardinalis Pamphilius nuncupatus, Innocentii X quoque nepos anno 1650. Nunc vero dum hæc scribo, Legati Avenionensis titulo decoratur Eminentissimus & Rev^mus^ Flavius S. R. E. Cardinalis Chisius, S. D. Alexandri VII Pontificis Maximi ex fratre Excel^mo^ Domino Mario Chisio & Ecc^ma^ Berenice della Chiaja nepos.

Vice-legatorum primus, cujus mentionem apud Historicos reperimus, est Alexander Campeggius anno 1542. Dein Antonius Trivultius Mediolanensis: Camillus Mentuatus: Theodorus Iohannes de Clermont: Iacobus Maria Sala:

Sala : Alexander Guidoccionius : Laurentius Lanti : Dominicus Grimaldi : Dominicus Petrucci : Silvius Cabella : Iohannes Franciſcus Bordini : Carolus de Comitibus: Petrus Franciſcus Montaureus: Ioſephus Ferrerius: Franciſcus Stephanus Dulcis : Philippus Philonardus : Iohannes Franciſcus à Balneo, è Fabricio Marchione Montisbelli & Comite à Balneo & Laura Columna, Pompeji Tagarolæ Ducis filia natus: Guilielmus de Broc: Octavius Corſini, Nobilis Florentinus : Coſmus Bardi, ex Comitibus de Verne & Salviatorum gente oriundus : Marius Philonardus : Iulius Mazarinus, S. R. E. Cardinalis: Fabricius de la Bourdaiſiere: Fridericus Sforza Romanus, Alexandri Ducis Segniæ & Principis Vallis montium, & Heleonoræ de Vrſinis, filius : Bernardus Pinelli : Laurentius Curſi.

FANUM S. LEONIS,

vulgo

S. L E O.

FAnum S. Leonis Ducatus Urbinatis Civitas, non procul ab Arimino, nunc *Marecchia* fluvio, in eminentissimi montis rupibus circumcisi vertice conspicitur; situ longe munitissimo, cum mons ipse unico tantum latere, & quidem difficulter possit adiri; ideoque Urbini Duces thesauros in ea asservare solebant; quemadmodum & Franciscus Maria Roboreus Urbini Dux, Pisauri & Senogalliæ Dominus, cum bello à Leone X Pontifice Maximo, qui Laurenzino Medicæo nepoti suo universam Francisci Mariæ ditionem acquirere studebat, impeteretur, maximam & potissimam fortunarum suarum partem hunc in locum, ut securissimum receptaculum condiderat: sed cum tandem, ut populares belli calamitatibus liberaret, ipse ultro sua ditione excessisset, post longam obsidionem, admirando stratagemate à Pontificiis capta est civitas, hujusmodi ratione: Scalis ad rupem admotis, aliaque super aliam in saxum ferro excisum, defixa firmataque, sic aditum in montis summa sibi vestigia struunt. quo opere perfecto, temporeque opportuno pluviis magna vi cadentibus, capto ad rem gerendam, silentio quam possunt maximo in suprema enituntur; civesque incautos & improvisos opprimunt, & post civitatem captam etiam arce potiuntur. Sed extincto dein Laurenzino, quum Leo Pontifex urbem hanc cum non paucis agri Urbinatis oppidis Florentinis donasset, ii dein Francisco Mariæ in veterem possessionem reverso, restituêre sua. Hæc fere Leander Albertus; subjungens se mentionem hujus Civitatis apud alios scriptores non invenisse quam in Luitprandi Historiarum libro sexto, ubi Berengarium & Willam huc præ Othone Imperatore fugisse narrat, inquiens: *Otho Papiæ navem conscendit, ac per Eridani alveum Ravennam usque pervenit; indeque progrediens, Montem feretratum quod oppidum Sancti Leonis dicitur, in quo Berengarius & Willa erant, obsedit.* Ab hoc autem monte & oppido Comitatum Montisfeltrii nomen traxisse plerique existimant. Porro Episcopatus sede civitas est veneranda, Metropolitanum agnoscens Archiepiscopum Urbinatem; Dominum vero cum universo Urbini Ducatu, post ultimum extinctum Ducem, Pontificem S. E. Romanæ.

GRANADA

S. LEO.

S. MARINI
OPPIDVM & RESPVBLICA.

Situs.

IN Romandiolâ Provincia, antiquitus Flaminia dicta, decem circiter Arimino leucis, Mons sese erigit excelsus, olim Titanus dictus, asper quondam, incultus, sylvisque obsitus, & solis feris animalibus præbens receptaculum; sed cùm Diocletiano & Maximiniano Imperii Romani habenas moderantibus, Christiani horrendas paterentur persecutiones, Felicissima quædam nomine matrona, idolorum cultui addicta, monti huic ut feudo suo dominabatur.

Origo & initia oppidi.

Eodem fere tempore Ariminum edicto Imperiali evocati undique artifices muros civitatis collapsos instauraturi confluxerant, in quorum numero Marinus quidam Arbâ Dalmatiæ oppido oriundus lapidicida; qui cum edicto parens fidelem in exædificando muro præstitisset operam, sibi, Christianis nempe ritibus initiatus erat, in Paradiso habitationem comparare desiderans, Ariminum civitatem impiâ gentilium superstitione infectam linquere decrevit. Montem itaque Titanum petiit, tum ut diximus incultum sylvisque horridum, ut ab omni hominum commercio semotus, tanto facilius Christianæ pietati convenientibus studiis, sui ipsius cognitioni, veroque Dei cultui incumberet. Cumque jam ad montis radicem pervenisset, cerneretque locum non satis remotum, vitæ, quam agere constituerat, minus idoneum, ipsum apicem montis desertum & asperrimum conscendit, in eo Christum Servatorem nostrum quodammodo imitatus, cui pleraque saluti nostræ conducentia opera in summitate montium, locisque solitudine horridis perpetrare placuit. Sed non admodum longo Viri sanctitas latuit tempore; nam rumor innocentiæ & pietatis ejus vicinas regiones pervagatus, filiorum Montis Dominæ, in vicino castro, cujus vestigia nomenque edax tempus abstulit, commorantium aures perculit; hi rabie accensi, sanguine viri innocentis idolorum injuriam vindicare desiderantes, præsto in perniciem ejus armati adfuerunt; ast Deus omnipotens servi sui miseratus, repente temerarios juvenes perculit, iisdem spiritum, motum, cognitionemque simul adimens. Felicissima interea rei novitate & miraculo attonita, ad Marinum accurrit, precibusque & lamentationibus, filiorum vitam ac salutem à Deo suo Omnipotente ut impetret, exorat. Quo impetrato Matrona tanto beneficio quas potuit reddidit gratias, idolorum insanum cultum linquens, verique Dei una cum quinquaginta tribus animabus familiam suam constituentibus, veram agnovit & arripuit religionem; atque Marino liberam Titani montis possessionem donavit. Mons vero eo à tempore coli & habitari cœpit, habitatorum numero, cum Marini pietate & vitæ sanctimonia indies accrescente. Marinus autem totus operibus pietatis intentus, concionando, infidelesque vertendo animas occupatus, montis habitatores non subditorum, sed pari ac fratrum habebat loco, humilitatem maxime Deo charam, & veram Paradisi semitam probe sciens; cumque jam morti esset proximus, monticolis omnibus advocatis, Dei timorem, cultumque constanter prædicavit, Montis dominium & possessionem omnibus & universis pro indiviso se relinquere testatus. Atque hoc modo post Marini mortem insequutam montis inhabitatores, virique sancti simul heredes, mutato Titani antiquo, assumtoque novo & optimi augurii sancti Marini nomine, Reipublicæ statum instituerunt.

Sed temporibus insequentibus cum Reipublicæ hujus territorium angustis sane limitibus comprehensum, incolarum

SANCTVS MARINVS, Italicè SAN MARINO.
Tramontana.
Leuante.
Ponente.
Mezzogorno.
Tramontana.
Ponente.
Lauante.
Mezzogorno.
SANCTI MARINI SVB VRBIVM.

Reip. accretio. rum ad ingentem numerum accretorum habitationi minime sufficeret, pomœria ampliare rectoribus visum est. Sedente igitur Paschali II Romano Pontifice, Imperiumque administrante Othone III, anno Domini nostri 1100, 15 Decembris die, Aldobrandus Graccagno Reipub. negotia curans, à Polano, Bonocomite, Frederico, & Arnaldo fratribus Montisfeltrii Comitibus, Castrum unicæ ferè leucæ spatio à Monte dissitum *Pennarossa* dictum, pretio numerato comparavit, Salimbenio di Tornimbene Ariminense Tabellario publico instrumentum contractus conscribente; cujus copia, ut vocant, authentica in Reipub. Archivio in hunc usque diem asservatur. Anno vero 1170, 6 Decembris die, Alexandri III Pontificis Maximi, & Friderici Ahenobarbi Imperatoris tempore, Respublica sancti Marini, eodem Aldobrando ministro ab iisdem quatuor fratribus Comitibus, eodem Tabellario instrumentum conficiente, Castrum quoddam *Casolo* dictum, leucæ quasi spatio dissitum coëmit. Illud autem in hoc contractu vere notatu dignum existimo, in eo eundem Reipub. nomine emtorem, eosdem quatuor venditores, eundem Tabellarium, eosdemque itidem testes, qui in emtione Castri Pennarossæ fuerant, intervenisse; quamvis inter primum postremumque contractus septuaginta anni intercesserint.

Sedente Gregorio XI Pontifice Max. Imperium vero moderante Carolo IV, 28 Decembris anni 1375, Respub. sancti Marini Castelli *Pietra acuta* dicti, tribus à S. Marini oppido leucis dissiti, possessionem adepta est: sed quo modo ejus, nec non Montis Maggii, & Vallis dominium amiserit, incertum est.

Temporibus Pii II, & Friderici III Imperatoris Ecclesiam, ob Regulorum & Tyrannorum in Italia exorbitantem numerum, admodum debilem Sigismundus Malatesta Arimini Dominus omnibus infestabat modis, donec Pontifex Maximus tandem vim vi repellere, aggressoremque aggredi constitueret; cumque videret S. Marini Rempublicam cum Sigismundi Dominio conterminam, oppidum vero in apice montis acerrimi situm, & naturâ & arte munitissimum, atque commoditate situs ad offendendum inimicum apprime opportunum, fœdus cum ea inire statuit, quod nec Respublica ut filia fidelis Ecclesiæ, quamvis vicini Malatestæ incursionibus, & injuriis prima pateret, recusavit; sed conditione pacta, qua partem acquisitorum pro rata auxilii acciperet, fidelem Ecclesiæ contra communem inimicum operam navavit, successu pio Reipublicæ zelo respondente. Quamobrem Pontifex auxilii fideliter præstiti gratiam remuneratus 25 Iunii 1463, Reipublicæ Serravallem, Faetanum, Mongiardinum, & Fiorentinum castella donavit, quemadmodum in Scripturis authenticis in Reipub. archivio asservatis, & præcipue in litteris à Leone X. Pont. Max. ad Rempub. datis, & in libro epistolarum Bembi comprehensis videre est; & in hunc usque diem Castella hæc cum supra recitatis sub placidissimo & pacifico Reipub. sancti Marini sunt dominio.

A principio suo, usque ad acquisitionem supradictorum Castellorum, regimen Reipublicæ erat penes universum populum; atque ad Magistratus tam rusticis, quam civilioribus patebat aditus, & ad administrationem rerum civilium utrique promiscue admittebantur. Constabat autem Regimen ex omnibus Patribus familiarum, qui simul Senatum constituebant, vulgo *Renga* dictum; penes quem omnium rerum libera erat administratio, criminum punitio, aliaque Superioritatis privilegia. Sed cum tandem labentibus annis, & ampliato ut retuli dominio crevisset civium numerus, viderentque ii vitia popularis vel potius plebei istius regiminis, Patres familias congregati, communi consensu sexaginta viros elegerunt, qui simul Concilium generale constituerent, in eos supremam autoritatem, & imperium unanimiter transferentes; adeo ut in Concilio hoc suprema consistat Reipublicæ potestas, quod in regimine & jurisdictione solum Deum superiorem agnoscens, mero & mixto gaudens imperio, libere subditis Reipub. qui circa sex mille sunt, imperat. Consilium autem constat quadraginta civibus, & viginti *Regimen.*

agrum

agrum colentibus. Civium vero numero censentur omnes qui oppidum, vel suburbium inhabitant, tam mercatores & artifices, quam nobili stemmate oriundi; qui omnes æquè in Concilii Senatores possunt coöptari, adeo ut nonnunquam excluso nobili eligatur artifex, & viceversa, ratione ad aptitudinem & virtutem electi habita. Rustici Senatores eliguntur ex iis qui villas in territorio oppidi inhabitant; nec quisquam eorum qui Castella Reipub. subdita incolunt in Concilium cooptatur. Quicunque autem sive civis, sive rusticus dignitatem Senatoris acquirit, nunquam nisi grave ob delictum ea privari solet, nec dignitas nisi cum vita extinguitur; suffragiis vero eliguntur, non successione fiunt.

Singulis autem semestribus, Martio & Septembri mensibus, duodecim viri Scrutinio secreto eliguntur; quorum sex majorem suffragiorum habentes numerum, tribus rursum inscribuntur schedulis, singulis bini, quæ in Ecclesiam majorem à Magistratu ad Altare majus, sub quo ossa S. Marini requiescunt, delatæ, post cantatum Hymnum *Te Deum laudamus*, ab Archipresbytero elata voce populo prælegunturs; tum demum urnæ injectarum schedulam unam infans quidam manu arreptam Archipresbytero tradit, qui schedulæ inscriptos Duûmviros populo significat, atque penes hosce, qui Capitanei vulgo dicuntur, Duûmviros meri & mixti imperii est administratio, & Reipublicæ dignitas; conceditúrque iis ab omnibus tam sæcularibus quam Ecclesiasticis locus honoratior, nisi adfuerit Episcopus. Hisce autoritate proximus est Iudex Reipublicæ, quem Commissarium vocant, quamvis hic eligi, nisi Capitaneis Iustitiam administrare recusantibus non soleat, estque semper exterus & Legum Doctor, habetque res civiles atque criminales judicandi potestatem: Præterea duo sunt appellationum judices, à quibus rursus ad duodecim Consiliarios datur provocatio; horum autem octo è civium singulo biennio, quatuor vero è rusticorum Senatorum Concilii majoris numero quotannis deliguntur. Præterea Respublica hæc legibus salutaribus inprimis est armata,

Urb. St. Eccl.

quarum tres nunquam non sanctissime observatas hic referam. Primo statutum est nequis extra oppidum S. Marini natus Capitanei honore ac dignitate afficiatur; secundo, nequis ob homicidium, quod non defendendi corporis sui causa commiserit, exul, ullo labente tempore patriæ restitui possit; vetitum quoque de ejus remissione, in Consilio unquam à quovis verba fieri: tertio, nequis ob furtum commissum condemnatus, ullius gratiæ possit fieri particeps, adeo ut ne quidem libelli supplices ejus in Senatu legi permissum sit. *Leges salutares.*

Oppidum autem S. Marini forma oblonga apicem fere montis occupat, comprehendens largo satis spatio circa centum & decem familias; in ipso vertice montis tres arces extructæ; oppidum à loci natura satis munitum, tutius adhuc & plane ab insidiis, & vi aperta securum reddere videntur; quarum ultimam temporis injuria deformatam & mutilam una indicat turris, quæ supersunt eminenti propugnaculorum mole instructæ, & triplici murorum ambitu cinctæ. Cives tradunt quingentis, & amplius ab hinc annis constructas. E summitate montis vero conspici possunt ultra centum oppida, & castella, nec non civitates undecim; Ravenna scilicet, Faventia, Forum Livii, Cervia, Bretinorium, Cesena, Ariminum, S. Leo, Pisaurum, Vrbinum & Ancona; ambitus autem oppidi cum duabus arcibus insitis miliare Italicum excedit. *Oppidi forma; Securitas; & ambitus.*

Ad radicem montis, qua mare respicit, suburbium sat lautum est, quod à Septentrione in Orientem vicatim & plateatim late protenditur. à familiis circa nonaginta inhabitatum, artificibus frequens, & cavernis cavisque in Montis visceribus provisum, ubi cives æstatis tempore fervidissimo, vina bibere glaciei in modum frigidissima in deliciis habent. Territorium vicinum mare versus fertilissimum est, & vini generosissimi, quod neutiquam bonitate & præstantia Vrbevetanis, Montis Fiasconis, & Florentinis cedit, ferax. *Suburbium. Soli qualitas.*

In parte huic suburbio opposita, quæ Occidentem respicit, suburbium quoque priori minus conspicitur, *Piagge* vulgo dictum, quadraginta circiter fa-

miliis constans; in hoc quamvis plurimæ familiæ honoratissimæ commorentur, nihilominus fæminæ sordida corporis prostitutione quæstum facientes habitare tenentur; antiqua Reipublicæ lege iis in oppido domicilium negante.

Territorium hujus Reipublicæ angustis sane includitur limitibus, quod tanto majorem admirationem excitat, Rempublicam pauperrimam, quamvis antiquissima sit totius Italiæ, in tot tantisque motibus & revolutionibus, à nullo Principe læsam, libertatem suam in hunc usque diem inviolatam conservare potuisse. Præter Castellorum subjectorum ecclesias, multæ in territorio sunt Parochiæ, quæ omnes matricem agnoscunt eam, quæ in oppido S. Marini, ejusdem Sancti conservat reliquias: is autem qui ei præest à Summis Pontificibus Archipresbyteri dignitate & titulo est honoratus. Dominium autem undique à S. Ecclesiæ Romanæ Statibus, postquam Vrbini Ducatus ad Ecclesiam fuit devolutus, cingitur; Ariminensis vero fluvius id à Monte Bello Dominio excellentissimæ familiæ à Balneo disjungit.

Serenissimi Vrbini Duces nunquam non Rempublicam hanc singulari affectu prosecuti sunt, & longissimo à tempore, sub conditione mutui auxilii, Protectores ejus extiterunt; sed post mortem ultimi Vrbinatium Ducis Francisci Mariæ II, devoluto ad S. E. Rom. Ducatu, eadem sub conditione Respublica tutelam & protectionem S. R. E. assecuta est; adeo ut credibile sit, cum undique Ecclesiæ claudatur dominiis, variisque & gratiis & privilegiis à Summis Pontificibus sit donata, nec non cives habeat industrios, concordes, & libertatis avitæ acerrimos propugnatores, Rempublicam hanc, quamvis angustis terminis & opibus, libertatem hucusque illibatam, in perpetuum conservaturam.

CASTRUM.



CAstrum Civitas quondam Episcopali Cathedrâ illustris, caput erat Ducatus Castrensis ad Farnesios Parmæ & Placentiæ Duces spectantis; omni ex parte rupibus præcincta ad fluviolum Olpita, nunc diruta adeo, ut nullum ejus extet vestigium, nisi columna lapidea loci & calamitatis index. Anno à Nativitate Servatoris nostri 1641 ortâ inter Urbanum Octavum Pontificem Maximum, & Odoardum Farnesium ob extinctionem montium Farnesiorum, Romæ, quam premebat Pontifex, aliasque causas ab eodem Pontifice, ut feudi Domino, desideratas, gravi discordiâ, Castrum jussu Farnesii munitionibus cinctum, præsidioque quingentorum hominum sub ductu Delfini Angelierii provisum est; sed Pontifex hanc rem indignam, dignitatemque suam læsam, ratus, postquam frustra Ducem per Cameræ Apostolicæ Auditorem admonuisset; Civitatem à D. Taddeo Barberino Urbis Romæ Præfecto obsidione cingi jussit; quam eidem Præfecto post sex dierum oppugnationem non absque notâ vilitatis dedidit Angelierius: cum vero anno 1644 pax inter Pontificem Maximum, Principesque confœderatos esset icta, virtute ejus ad Farnesium Ducem Civitatis Castri rediit possessio. Sed anno 1649 discordia inter prædecessorem Innocentii X, patremque Ranutii

tii Farnesii exorta, & pro tempore sopita, rursus in apertum bellum erupit; cumque exercitus Ecclesiasticus sub ductu Comitum Vidman, & Gabriellii civitatem secunda cinxisset obsidione; eam post honoratam defensionem, omni succursus spe privatus, Pontificiis reddidit ejus Gubernator Samson Asinellius: Pontifex vero, vel in vindictam Episcopi Castrensis, dum Civitatem peteret occisi, vel quo hanc motus & scandali causam tolleret, Castrum funditus deleri jussit, locoque Columnam imponi, quæ hanc fert inscriptionem: HIC FVIT CASTRVM.

OSTIA.

O S T I A.

OStia Civitas ad fauces Tiberis fluvii sita, nomen à loci conditione, tanquam Ostium consequuta est; pervetusta admodum Ancum Martium Regem conditorem agnoscit, qui eam, ut referunt veteres scriptores, in limo Tiberinis aquis allato condidit. Portus loco Vrbi Romæ inserviit, cum illo tempore Portus Romanus nondum esset conditus; quem multis post annis Claudius Cæsar fecit; naves tum temporis, uti & hac ætate in alto exonerare oportebat propter vada, quo merces deinde Romam parvis navigiis adverso Tiberi subveherentur; magnificentissimis porro olim ædificiis erat exculta, quorum nequidem ullum hodie extat vestigium; Civitatem hanc deinde à Saracenis dirutam & solo æquatam Leo IV Pont. Max. instauravit, colonis, qui eam inhabitarent è Corsicâ accitis; Martinus vero V, è Columnarum nobilissima gente, ad portus Vrbisque tutelam arcem illic communivit, quam postea Iulius II, munitiorem pro ratione eorum temporum, eaque forma qua nunc conspicitur, reddidit: cœlo fruitur graviore, quamobrem cives immunitatem olim à S. P. Q. R. consecuti sunt. Est porro unus è sex Episcopatibus attributis Cardinalibus Episcopis S. R. E. cui præest Sacri Collegii Decanus, nunc temporis Eminentissimus D. Carolus S. R. E. Cardinalis Medices.

INDEX CIVITATVM STATVS ECCLESIASTICI.

ROma. 1
Ancona. 31
Arcus Anconitanus. 33
Acquapendente. 37
----Idem prosp. 207
Arx Contraria, vulgo *Rocca Contrada.* 36
Ariminum. 41
----Idem plano. *post* 42
Arcus Ariminensis. 43
Asculum Picenum, vulgo *Ascoli.* 37
Assisium. 53
Bononia. 55
Forum majus cum æde Divi Petronii. 68
Fons Bononiensis. *ibid.*
Forum Majus, cum Palatio Potestatis. 69
Forum majus cum Palatio majori. *ibid.*
Collegii Sapientiæ (vulgo *lo Studio*) facies externa. *ibid.*
Ejusdem Collegii facies interior. *ibid.*
Forum minus portæ Ravennatis cum turri Asinellorum. 70
Cœnobium Olivetanorum cum templo Archangeli, vulgo *S. Michele in Bosco.* 72
Carthusianorum Cœnobium, vulgo *il Convento de Padri della Certosa.* 77
Bononia antiqua. 79
Cæsena. 83
Caprarola, Palatium Farnesiorum extra urbem. 85
Caprarolæ facies interior. 87
Caprarolæ Ichnographia. 89
Castellum novum. 91
Centum Cellæ, seu Civitas Vetus, vulgo *Civita Vecchia.* 93
Civitas Nova. 95
Eugubium. 97
Fabrianum. 103
Fanum. 105
Faventia. 109
Ferraria. 111
Forum Sempronii, vulgo *Fossombrone.* 129
Frascata. 131
Delineatio S. Tusculanæ Eremi S. Romualdi Camaldulensis. 133
Forum Cornelii, vulgo *Imola.* 137
Lauretum, vulgo *Loreto.* 139
Ichnographia Ecclesiæ Lauretanæ. 144
Ichnographia S. S. Capellæ, necnon & illi circumjacentis ædificii. *ibid.*
Macerata. 145
Mons Faliscus, vulgo *Monte Fiascone.* 147
Neptunium. 149
Nocera. 91
Nursia. 151
Perusia Augusta. 159
Pisaurum, vulgo *Pezaro.* prosp. 165
----Idem pl. *post ibid.*
Templi Fortunæ Prænestinæ Sciographia. 167
----Ejusdem Orthographia. 169
Senogallia. 171
Spoletum. 173
Terracina. 175
Tuder, vulgo *Todi.* 177
Tybur, vulgo *Tivoli.* 186
Templum Sibyllæ. 186
Cataracta Anienis, vulgo *Cascata del Teverone.* 187
Eadem majori forma. *atne* 187
Aliæ ex eodem Aniene labentes Cataractæ, majori inferiores. *ibid.*
Horti Estenses, Tyburi. 189
Velitræ, vulgo *Velitri.* prosp. 191
----Eædem. plano. 193
Viterbium. 197
Vrbinum. 201
Vrbiventum, vulgo *Orvieto.* prosp. 207
Auximum, vulgo *Osimo.* 217
Narnia. 229
Ostiæ portus. 231
Interamnium, vulgo *Terni.* 235
Avenio, vulgo *Avignone.* 241
S. Leo. 245
S. Marini Resp. 247
Castrum. 251
Ostia. 235

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

N° H
32-1